CUNRADI RITTERSHUSII

JCti, REIPUBL. NORIMBERGENSIS QUONDAM CONSILIARII, EJUSDEMQUE ACADEMIÆ, QUÆ eſt Altorſij, Anteceſſoris ultra vicennium celeberrimi

DIFFERENTIARUM JURIS CIVILIS ET CANONICI SEU PONTIFICII LIBRI SEPTEM:

Vtriuſque Iuris Studioſis apprimè utiles & neceſſarii.

NUNC DENUO CUM MSto AUCTORIS DILIGENTER COLLATI, SUPPLETI, ET INDICE CAPITUM, nec non Rerum, Verborum & Auctorum locupletati.

Huic Operi acceſſerunt propter ſimilitudinem materiæ aliquot opuſcula, quorum catalogum ſequens pagina oſtendit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

S. Andrea della Valle.

ARGENTORATI
Sumptibus Hæredum LAZARI ZETZNERI

Anno M. DC. XXXIIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

CATALOGUS OPUSCULORUM EORUM, quæ operi huic acceſſerunt.

1. Georgii Lauterbegi de differentia inter jus Canonicum & Civile.
2. Differentia juris utriuſque Civilis & Canonici Auctoris anonymi in Harmonia Titulorum utriuſque juris Theodori Straitmanni.
3. Joannis Emerici à Rosbach de comparatione juris Civilis & Canonici.
4. Cunradi Rittershuſii JCti Commentarius novus in l. 23. contractus: §. de diverſis Regulis juris antiqui, ejuſdemq;
5. Dodecadeltos ſive in XII. tabularum leges commentarius novus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHVS CAPITVM HVIVS
Tractatus de Differentiis Iuris Civilis & Canonici.

PROOEMIUM προπαρασκευαστικόν, in quo nonnullæ Quæſtiones explicantur, de Jure potiſſimùm Canonico, unde ſic dictum ſit: quos habeat auctores: quibus conſtet partibus: quid unaquæque ſummatim complectetur: quibuſnam in articulis & cauſſis potiſſimùm obſervetur, etiam in foro Eccleſiaſtico & in terris Imperii, ubi aliquot traduntur regulæ.

LIBRI PRIMI.

Cap. I.	De Sponſalibus.	Pag. 11
II.	De tempore inter ſponſalia & matrimonium interjecto.	14
III.	De Matrimonio: & primùm de conſenſu parentum in Nuptiis liberorum in poteſtate.	16
IV.	Quæſtiones quædam circa matrimonium ſine conſenſu parentum à liberis contractum diſſolvuntur. Profertur SC. Norimb. de ejuſmodi matrimoniis.	20
V.	De pubertatis æſtimatione.	23
VI.	De gradibus cognationis, eorumq; ſupputatione & uſu.	24
VII.	De prohibitione matrimonii alia atque alia, pro diverſitate utriuſque juris.	29
VIII.	Examinantur rationes prohibitionis Pontificiæ uſque ad 7. vel 4. gradum.	30
IX.	De Affinitate.	32
X.	De tribus generibus affinitatis.	33
XI.	De gradibus affinitatis.	34
XII.	De prohibitione matrimonii ratione affinitatis.	35
XIII.	De matrimonio cum vidua fratris.	35
XIV.	De matrimonio vitrici cum vidua privigni ſui.	36
XV.	De cauſa affinitatis.	36
XVI.	De cognatione ſpirituali.	36
XVII.	De numero teſtium baptiſmi, quos Compatres dicimus.	38
XVIII.	Compaternitas an ſit quædam adoptio.	39
XIX.	De legali cognatione.	39
XX.	De conjugio ſervorum, & ſpadonum.	39
XXI.	De perſonis quibuſdam, inter quas Jure Civili prohibita, Jure Canonico permiſſa ſunt matrimonia.	40
XXII.	De conjugio inter raptorem & raptam.	41
XXIII.	De matrimonio inter Senatorem & libertam.	43
XXIV.	De conjugio cum hæreticis vel ſectariis.	44

LIBRI

Digitized by Google

LIBRI SECVNDI.

Cap. I. De ſecundis nuptiis, earumq; odio ac vituperio. 45

II. De cauſis, ob quas ſecundæ nuptiæ tàm ſint exoſæ. 47

III. De ſecundis nuptiis viduarum intra annum luctus. 48

IV. De abrogatione Jur. civ. per Can. circa pœnas ſecundarum nuptiarum. 49

V. Statutum Norimberg. R.P. de tempore ſecundarum nuptiarum, Germanicolatinum. 51

VI. An præter infamiæ pœnam Jus Canonicum alias quoque Juris Civilis pœnas circa ſecundas nupt. ſuſtulerit. 53

VII. De Liberis. 55

VIII. De divortio ejuſq; cauſis: & primum ob adulterium. 57

IX. An parti nocenti, quæ adulterium commiſit, permittendæ ſint ſecundæ nuptiæ. 62

X. Rurſum de adulterio: & quotuplex id ſit. Uter conjugum gravius peccet id committendo. 62

XI. Convenientia Juris Civ. & Canon. circa adulterium. 65

XII. De ſeparatione conjugum ob ſævitiam alterius & malam tractationem. 67

XIII. De divortio ob impotentiam coëundi ſeu frigiditatem: item ſterilitatem. 68

XIV. De abſentia & deſertione conjugis, vel neceſſaria, juſta ac probabili, vel improbabili. 69

XV. De Concubinatu. 71

XVI. Concubinatus & matrimonii ſimilitudo. 72

XVII. Concubinatus & matrimonii differentia. 73

XVIII. In dubio utrum Concubinatus an Matrimonium potius ſit dicendum. 75

XIX. Concubinatus an Jure Can. ſit ſublatus & improbatus. 76

XX. De Clericorum vel concubinatu, vel conjugio. 77

XXI. Plenius de Clericorum matrimoniis. 78

XXII. De ſententia in cauſis matrimonialibus ferenda: De litis conteſtatione in iiſdem: Deq; poteſtate in uxorem. 80

LIBRI TERTII.

Cap. I. De Pactis. An ex nudis pactis detur actio. 82

II. De Pactis futuræ ſucceſſionis ex Jure Civ. 85

III. Ad *c.2. Quamvis de pact. in 6.* quo continetur inſignis mutatio Juris. 87

IV. An pactum Legis commiſſoriæ in pignoribus poſſit jurejurando confirmari. Explicatio *c. pen. ext. de pign.* 88

V. Exceptiones quædam ſive limitationes ad *c. quamvis. de pact. in 6.* 90

VI. De Stipulatione. 92

VII. De Antichreſi, Jure civili permiſſa; Canonico prohibita. 93

VIII. De voto filiifam. 95

Digitized by Google

IX. De contractibus bonæ fidei & ſtricti juris. 96

X. Deceptio in contractibus, an & quatenus à Jure civ. permittatur. 97

XI. De neceſſitate tradendi rem venditam incumbente venditori. 99

XII. De eadem re pluribus vendita. 100

XIII. De conductione à ſtudioſo facta. Explicatur *c. 1. extr. de loc. & cond.* 101.

XIV. De fidejuſſione Clericorum. 102

XV. De pœnalibus ſtipulationibus. 103

XVI. De beneficio ordinis, ſive excuſſ. 104

XVII. De donatione inter conjuges. 104

XVIII. De donatione à patre facta filiofam. 108

XIX. De donatione excedente ſummam quingentorum ſolidorum, jurejur. confirmata. 109

XX. De donatione omnium bonorum præſentium & futurorum. 109

XXI. Ad *l. 8. ſi unquam. C. de revoc. don.* 110

XXII. Examinatur ſententia And. Fachinei, de donatione Eccleſiæ facta revocanda. 114

XXIII. De donatione ſub modo facta. 116

XXIV. De Emphyteuſi. 116

XXV. De Feudo. 118

LIBRI QVARTI.

Cap. I. De ultimis voluntatibus. Et primò de teſtibus in Teſtamento adhibitis. 120

II. De teſtamento ad pias cauſas: & imperf. 122

III. De teſtamento nutu facto: & ad interrogationem alterius: & de captatoria inſtitutione. 122

IV. Ad *c. ult. extr. de ſucc. ab int.* Refutatur falſa quædam differentia inter utrumque Jus, de hereditate pactis danda. 123

V. De Remediis legatario competentibus ad conſequendum legatum. 124

VI. De herede non implente ult. voluntatem defuncti. 125

VII. De pœna heredis confectionem Inventarii omittentis. 126

VIII. De legitima liberorum. 127

IX. An filius fideicommiſſo gravatus à patre duplicis quartæ detractione gaudeat. 128

X. De ultima voluntate imperfecta ratione ſolennium, an ab herede ſit implenda. 134

XI. De Uſuris. 136

XII. De Emptione annuorum redituum, vel ad dies vitæ, &c. 140

XIII. De Præſcriptione. 142

XIV. De Præſcriptione centenaria ſive ſeculari. 146

XV. De aliis quibuſdam circa præſcriptionem differentiis. 151

Digitized by Google

LIBRI QUINTI.

Cap. I. De Judiciis. Et ubi ſummariè procedatur. Et de Inſtantia judicii. 153. & 154
II. De judicio petitorio & poſſeſſorio. 155
III. De foro competenti. 157
IV. De privilegio fori clericis dato. 157
V. De Juriſdictione. 160
VI. De Juriſdictione delegata ſive mandata: Et prorogatione juriſdictionis. 161
VII. De Appellatione à ſubdelegato: & executione ſententiæ à delegato latæ. 163
VIII. De Recuſatione Judicis ſuſpecti, tàm delegati, quàm ordinarii. 163
IX. De pœna judicis, qui malè judicavit. 164
X. De Arbitris. 164
XI. De Actore & Reo. 166
XII. De Procuratoribus. 167
XIII. De citatione, ſive in Jus vocatione. 168
XIV. De miſſione in poſſeſſionem. 170
XV. De Libelli oblatione & Actionibus: Et plus petitionibus. 170
XVI. De dilationibus. 171
XVII. De Exceptionibus. 172
XVIII. De Jurejurando calumniæ. 173
XIX. De Jurejurando in genere. 176
XX. De litis conteſtatione. 178
XXI. De probationibus: maximeque per teſtes. 180
XXII. De præſumptionibus. 185
XXIII. De Fama. 185
XXIV. De ſententia. 186
XXV. De Appellationibus. 188
XXVI. De Appellationibus ordine & gradatim faciendis. 191
XXVII. De Appellatione à ſententia Epiſcop. 192
XXVIII. De Appellatione à judice etiam in pluribus cauſis: Et de tempore proſequendæ Appellationis. 192
XXIX. De pœna temerariæ provocationis. 193
XXX. De Expenſis & ſportulis. 194

LIBRI SEXTI.

Cap. I. De Criminibus & Accuſationibus, atque Inſcriptionibus. 194
II. De Accuſatione adulterii. 197
III. De Inquiſitione & Denuntiatione criminis. 198
IV. De criminum ac delictorum aliquot ſpeciebus: ut furto: injuria: famoſo libello: adulterio: ſtupro: fornicatione. 200
V. De Raptu: de peccato contra naturam, ſive Sodomia: de homicidio: de parricidio. 202

VI. De

Digitized by Google

VI. De Vulneribus. 204
VII. De Incendio. 205
VIII. De Falſo. 205
IX. De Sacrilegio: Perjurio: Sortilegio: Blaſphemia. 206
X. De Hæreſi: & Iteratione Baptiſmi. 207
XI. De Impoſitione novorum vectigalium: De militiæ deſertione & fuga: De violatione & impedimento Legati. 208
XII. De Diſputationibus ſuper rebus divinis. 208

LIBRI SEPTIMI.

Cap. I. De Perſonis Eccleſiaſticis, ſive Clericis. 209
II. De Renuntiatione privilegio fori clericis interdicta: deq; Exemptione Clericorum. 210
III. De Epiſcopali dignitate, & modis tollendæ patriæ poteſtatis. 211
IV. De facultate teſtandi clericis competente: & bonis eorum, qui ingrediuntur in Monaſterium: & eo quod datur pro ordinatione, &c. 212
V. De ceſſione clerico, vel à clerico facta: Et de occupatione Diœceſis vel parochiæ ab hoſtibus occupatæ, &c. 212
VI. De Electionis forma: Et Epiſcopi teſtimonio ſingulari: & receptione eleemoſynarum ab uſurariis. 213
VII. De pallio Archiepiſcopali. 214
VIII. De patrono Eccleſiæ, præſentante indignum & ineptum: & de Libertis Eccleſiæ, &c. 214
IX. De Primatu Papæ & Eccleſiæ Rom. prærogativa ſupra omnes totius orbis Eccleſias, ἀποϱία. 215
X. De comparatione quam faciunt inter Papam & Imperatorem. 218
XI. An Clerico & cuivis Chriſtiano conveniat ac permitti debeat Lectio & Studium Poëtarum & Hiſtoricorum Gentilium. 220
XII. An Sacerdotis improba vita, impuritas atque indignitas, detrahat aliquid vel officiat Sacramentorum per ipſum adminiſtratorum integritati? 222
XIII. Paralipomena quædam differentiarum de Clericis. 224
XIV. De rebus Eccleſiaſticis. 224

Finis Elenchi Capitum.

CVN-

Digitized by Google

CUNRADI RITTERSHUSII ICti.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TRACTATUS,

DE DIFFERENTIIS JURIS CIvilis & Canonici, ſeu Pontificij.

QUONIAM ſæpè & in ſcholis legendo diſputandoq; & in foro multò ſæpius allegari ſolet diverſitas Juris Civilis & Canonici, in multis articulis & argumentis rerum, duxi operæpretium me facturum, ſi Auditoribus meis præcipuas ac nobiliſſimas quaſque differentias traderem, ne illarum prorſus ignari paſſim impingant, ſed ferè ſub unum aſpectum propoſitas habeant, ſibiq; familiares reddant. Utilitas porrò hujus tractationis per ſe patebit, & ſeipſam cuivis periculum facere volenti commendabit. Dicam autem initiò pauca de vocabulis ipſis & appellationibus. Ut igitur Jus ipſum pluribus modis dicitur, *l. pen & ult. ff. de Iuſt. & Iur.* Sic & Jus Civile: qua de re *in l. 2. ff. de Or. jur.* Sed omiſſis nunc aliis notionibus, de quibus aliàs dictum, hoc loco Jus Civile intelligimus illud quod auſpiciis & auctoritate Juſtiniani Imp. per Tribonianum ejuſq; Collegas compoſitum, & poſt aliquot annorum deſuetudinem revocatum eſt in uſum ab Imp. Lothario Saxone, continerurq; in lib. 4. Inſtit. 50. Pandectarum, XII. Codicis, & Novellis centum & aliquot.

Feudorum quoque Jura poſtea ex conſuetudine nata, & duobus vulgò libris comprehenſa, huc pertinent, & ad Jus Civile referenda ſunt Jus Canonicum appellamus cum vulgo illud, quod Pontifices Romani ſæpè ex gloſſarum lacunis hauſtum condiderunt, poſteaquam dignitatem & majeſtatem Imperii imminutum ire cœperant, atque ad ſe multa Imperatoris & Imperii Rom. propria, quo jure quaque injuria, pertraxerant, ſuam potentiam evehentes, atque adverſus ſecularem poteſtatem ſtabilientes: qua de re multorum & veterum & recentium ſcriptorum querelæ extant. Ut nunc taceam Marſilium Patavinum, qui pro Imp. Ludovico Bavaro, indigna multa à tribus Rom. Pontificibus perpeſſo, Apologiam ſcripſit adverſus uſurpatam Pontif. Rom. juriſdictionem, cui operi tripertito titulum fecit, Defenſor Pacis. Ut alios item hujus generis ſcriptores nunc præteream: Unus ſit nobis pro omnibus nobiliſſimus pragmaticus Joh. Petrus Ferrarienſis: cujus aliquot hac de re loca indicare non eſt inutile, præſertim cum in recentiorib. editionibus fuerint omiſſa

Digitized by Google

& caſtrata, malo more. Sic igitur ille 1. *in form. Reſponſ. rei conventi, in verb. Tanquam publicè excommunicatum, mihi pag. 39. a. in edit. Lugd.* Et ſic, inquit, nota, quomodo & quot modis iſti clerici illaqueant Laicos, & ſuam juriſdictionem ampliant. Sed heu miſeri Impp. & principes ſeculares, qui hæc & alia ſuſtinetis, & vos ſervos Eccleſiæ facitis, & mundum per eos infinitis modis uſurpari videtis, nec de remedio cogitatis. Idemq; *in eadem formula, ad verb. præſcriptionis, p. 43. b.* ait, non convenire pſalterium cum cithara, nec datum eſſe Eccleſiæ à Chriſto aut B. Petro ut poſſideat civitates & caſtra: potius reddendum eſſe Cæſari quod eſt Cæſaris, & quod eſt Dei Deo. Omnium verò maximè inſignis eſt ejus locus *in form. libelli in act. confeſſor. pro ſervitutib. ſuper verb. plenam & omnimodam juriſdictionem. p. 113. b.* In tantum (inquit) his temporibus excrevit hominum cupiditas, ut nitantur totis viribus aſcendere ad juriſdictiones, honores, & dominationes, & ſi poſſibile foret, cœlorum manſiones. Et mox: nedum Laici, ſed etiam ſummi ſacerdotes & clerici ſunt tali morbo ac vitio penitus infecti. Vides enim quod ipſe Papa, qui deberet tanquam verus Vicarius veſtigia ſequi Ieſu Chriſti, poſſidere & manu armata nititur tenere juriſdictionem in terris, civitatibus & villis, & locis, quæ ſunt naturaliter & à mundi creatione & Chriſti ordinatione, Imperii Romani. Juxta illud, quod eſt Dei reddatur Deo, & quod eſt Cæſaris Cæſari. Imò ipſe Papa in ipſo Imp. nititur ſuperioritatem habere: quod ridiculum eſt dicere, atque abominabile audire: Nam naturaliter à principio mundi omnes clerici, nedum Laici, erant ſub poteſtate & juriſdictione Imperii: ſed ipſorum Impp. dulcedine & benignitate fuerunt clerici dimiſſi ſub poteſtate, & beneficium hoc tanquam ingrati ſciunt malè cognoſcere, *ut not. per Innoc. in c. 2. de major. & obed.* Benè ergo & ſanctè faceret ipſe Papa, ſi in totum corporalem juriſd. in manibus Imp. remitteret, nec aliter unquam Reſpubl. quieſcet, &c. Similia loca in lectione Alberti Kranzii paſſim obſervare licet: quæ aliorum adulatoriis ſcriptis, De primatu & juriſdictione Papæ opponenda ſunt. Sed omiſſis in præſentia gravioribus illis quæſtionibus, quas hîc Ferrarienſis attingit, de Jure Canonico breviter videamus, primùm unde ſic dicatur: deinde quos habeat auctores: Tum quibus conſtet partibus, & quidquæq; ſummatim complectatur: Denique quibuſnam in articulis potiſſimum obſervetur in foro civili, & in terris Imperii, etiam ubi reformata eſt religio.

Ad I. quod attinet, nemo neſcit, Jus canonicum à canone & canonibus nomen accepiſſe, quaſi dicas Jus regulare. Eſt enim κανὼν Græcis idem quod Latinis Regula ſive menſura. Unde & Canonici jam olim in Eccleſiis quibuſdam dicti ſunt clerici regulares, ab obſervantia videlicet regulæ ſeu peculiaris inſtituti vivendi. Ex ſcripturæ quoque ſanctæ libris illi dicuntur eſſe in canone ſive canonici, qui ab Eccleſia jam olim approbati receptiq; ſunt, velut Authentici & ab Hebræis aſſervati, quibus Apocrypha opponuntur, aliaq; quæ ſunt extra Canonem. In Conciliis autem ſive conventibus Epiſcoporum, quæ ſtatuebantur definiebanturq; decreta, ſive illa pertinerent ad dogmata Chriſtianæ religionis, ab hæreticis fortè impugnata, ſeu ad mores & vitam Chriſtianis dignam, & ritus ac ceremonias ſacrorum, Canones appellabantur. Ut in illa

Digitized by Google

illa Juſtiniani ſententia, Leges non dedignantur ſequi ſacros Canones: *Nov. 83. ut clerici apud proprios Ep. prim. conve. ubi plures concordantes textus adducit Accurſ. in gl. verbi: ſequi.* Quod dictum religioſiſſimi Principis pro confeſſo acceptantes Pontifices Rom. ſæpè inculcarunt in ſuis reſcriptis, non rarò etiam illo abutentes. *vid. c. fin. extr. de ſecund. nupt. c. 8. clerici. extr. de judiciis. c. 1. extr. de jur. calum. c. 1. extr. de nov. op. nunt.* ubi tamen Pontifex addit, ſacrorum ſtatuta Canonum etiam principum conſtitutionibus adjuvari: ſignificans, hæc duo jura mutuas tradere operas. Unde *Fern. Vaſq. c. 87. Illuſtr. controv. lib. 2. num. ult.* ait, Jus civile & canonicum quaſi ſocietatem coiiſſe videri. Sed Canones illi veteres Conciliorum confirmari ſolebant ab Imperatoribus, qui etiam indicere antiquitus ſolebant illos Epiſcoporum conventus, & ſæpè illis præſidere: quâ confirmatione accedente, vim legum ſortiebantur. Pontifices verò Rom. etiam ſua quælibet reſcripta Canones appellitarunt, & eandem cum priori illo genere vim obtinere voluerunt: quod eſt certè μέγα αἴτημα, id eſt, poſtulatum nimis magnum, pertinens ad labefactanda Jura Imperii, & incidendos Impp. nervos. Nam ſi hanc vim habere debet illud effatum: Leges non dedignantur ſequi ſacros canones, quaſi cedere debeant Leges & conſtitutiones Principum & prona quaſi ſe ſubmittere iis, quæ quiſque Pontifex ſanxit, quis non videt, hanc compendiariã eſſe viam, ad ſubvertendas omnes leges, omniaque Jura, ab Impp. condita? Verbi cauſa, Si quoſvis actus jure alioqui inutiles & invalidos ſtatuimus Jurejurando confirmari poſſe, ut Canoniſtas contra expreſſam *l. 5. non eſt dubium C. de ll.* feciſſe videre eſt *apud Everhard. in Topic. in loco à vi & energ. juram.* totum penè jus civile tot vigiliis excogitatum, & bono generis humani promulgatum evertemus. *Quam in ſententiam Carolus Molinæus ſcripſit cum alibi, tum in addit. ad Alex. & in conſuetud. Pariſ. quem refert & probat Mynſing. cent. 6. obſ. 61.*

Ex his, quæ dixi, apparet, Jus Canonicum à potiore ſui parte, id eſt canonibus Decretiſque conciliorum, appellatum eſſe. *argum. l. cum quæritur. ff. de ſtat. hom.* Vel etiam quia Pontifices quælibet ſua reſcripta Canones habere voluerunt, iiſque illa, quo ad vim & auctoritatem, exæquarunt. Quam rectè & verè id factum, ſit, nunc non inquiro neque diſputo. Hujus igitur Juris Interpretes & tractatores ſive commentatores (qui ſunt & multi & celebres admodum) Canoniſtas vulgo, item Decretiſtas, vocarunt, ſicut LL. ſive Juris Civilis Interpp. Legiſtas.

De auctoribus hujus Juris ſciendum, alios veteres eſſe, alios recentiores. Veteres voco, primum quidem Epiſcopos, in Conciliis Oecumenicis & Univerſalibus ritè collectos, qui Canones, ſive Decreta fecerunt, Eccleſiæq; ſervanda, tàm in dogmatibus fidei Chriſtianæ & Orthodoxæ, quàm in vita & moribus ac ceremoniis tradiderunt: Ut ſunt inprimis Decreta Concilii Niceni, Conſtantinopolitani, Epheſini, Chalcedonenſis: quæ quatuor Concilia aliquoties laudat Juſtinianus, *ut in l. 7. & l. 8. ſive Epiſtola, Inter claras C. de ſum. Trin. & fid. Cath.* Item *Novell. 131. cap. 1.* Quibus poſtea in Eccleſia Græca ſeu Orientali acceſſerunt tria alia, ut ita ſeptem fuerint, quæ commemorantur

ab Iſidoro lib. 6. Origin. c. 16. & Greg. Mag. lib. 1. Regeſti. epiſt. 24. Item à Gelaſio vid. c. 1. 2. 3. & 4. Diſt. 15. Eorumq; vindicem ac ſervatorem eſſe oportere Imp. Romanum: *ait liber de Iure, qui eſt Baſilii, Conſtantini & Leonis T. 1. c. 9.* Et plura alia in Occidentali Eccleſia celebrata ſunt: quorum acta extant in Tomis Conciliorum Coloniæ editis. Deinde veteres dico Sanctos Patres, tam Græcos, quàm Latinos, ut Joan. Chryſoſt. (qui & os aureum dici ſolet) Cyprianum, Originem, Hieron. Ambroſ. Auguſtinum, Gregor. I. (qui & Magnus dicitur) aliaque Eccleſiæ lumina: Ex quorum ſcriptis, ut & Conciliorum decretis, maximam partem conſtat prima Juris Canonici pars, Decretum vulgo uſurpata, collecta compilataq; à monacho quodam Bononienſi Gratiano: quod Corpus Decretorum vocat Innocentius III. Papa & JC. inſignis..

Fuerunt quidem & alii Decretorum collectores: ut Ivo, & Burchardus: ſed Gratiani decretum prævaluit, & (ut ita dicam) reliquorum luminibus offecit. Hunc tamen ſæpè falsò dicta SS. Patrum & aliorum allegaſſe, aliàs liquidò demonſtravi. Memorabile eſt exemplum hujuſmodi depravationis *in c. 6. in canonicis diſt. 19.* ubi locum Auguſtini *ex lib. 2. de doctrina Chriſtiana c. 8.* allegans eò detorſit, quaſi ille Decretales Epiſtolas Paparum connumeraſſet inter Canonicas ſcripturas, & his exæquaſſet. Quod expresſè repugnat aliis ejuſdem Auguſtini locis, relatis ab eodem Gratiano *in c. 3. 5. ego ſolis. c. 8. quis neſciat. cum 2. ſeqq. diſt. 9.* Idq; agnoverunt tandem editores & Cenſores Romani, cum poſt inſtitutam collationem textus Auguſtini, ut in operibus ejus extat, cum exceptis, vel potius depravatis Gratiani, adſcripſerunt, quod eſt veriſſimum, & vis veritatis ipſos ſcribere coëgit: Hanc ſententiam B. Aug. non ad Decretales Romanorum Pontificum, ſed ad Canonicas & ſacras ſcripturas referendam eſſe. O invictam vim veritatis, quæ etiam ab invitis ſæpè erumpit pectoribus! *ut ait Lactant. Firmian.* Atque hæc de veteribus auctoribus Juris Canonici. Recentiores ſunt, Pontifices aliquot Romani, qui ſuas Decretales Epiſtolas variis de rebus, non ſolum ad Epiſcopos, ſed ſæpenumerò etiam ad Impp. & Reges: (quorum ſe ordinarios Judices jactitant, ut eſt *in Clementin.) Clem. un. de ſent. & re judic.* miſerunt, ut ex ipſa inſpectione librorum Juris Pontificii patet. Qua certè in re parum memores fuerunt ejus, quod S. Petrus Apoſtolus (cujus ſe tamen ſucceſſores, & Chriſti in terris vicarios gloriantur) in priore Epiſtola ſua præcipit, Non oportere ἀλλοτριοεπιſκοπεῖν: quodq; graviter ac ſapienter ſcriptum eſt à Juſtino Imp. Juſtiniani noſtri avunculo & patre adoptivo, cujus hæc ſunt verba: Abſurdum eſt, ſi promiſcuis actibus rerum turbentur officia, & alii creditum alius ſubtrahat: & præcipuè clericis, quibus opprobrium eſt, ſi peritos ſe velint diſceptationum eſſe forenſium. *l. 23. conſulta. C. de teſt.* Quam in ſententiam in ipſum quoque Jus Canonicum multa ſunt relata, Ne clerici ſe negotiis hujus mundi implicent. Ut *Can. 29. 11. q. 1. inquit*: Oportet ſummo ſtudio niti, ut omnes hujus vitæ occupationes abjicias, &c. Cujus contrarium potius ipſos feciſſe conſtat, quando plurimarum rerum ſecularium curam tractationemq; ad ſe revocarunt & pertraxerunt, cumq; ad alia ordinati eſſent, alia tractarunt, ſectatiq; ſunt.

Porrò

Porrò conſtat Jus Canonicum quinque partibus principalibus. I. Decreto Gratiani, quod is, ut dixi, tùm ex Canonibus Conciliorum, tùm ex SS. Patrum ſcriptis compilavit atque congeſſit, ſuis alicubi interpoſitis verbis & diſputationibus. II. Decretalibus; quæ ſunt Epiſtolæ & Reſcripta atque Edicta Pontificum uſque ad Gregorium IX. qui per Raymundum Capellanum & pœnitentiarium ſuum collegit diverſas conſtitutiones & Epiſtolas Decretales anteceſſorum ſuorum, & ſuas, & in quinque libros diſpoſuit atque digeſſit. Inter hos autem facilè primas obtinet Innocentius III. qui & Cujacio & Giphanio teſtibus excellens fuit Juriſconſultus ac ſuæ rei benè gerens, ſibique & Romanæ ſedi cavere doctus, longè ſcilicet melius, quàm ſibi & ſuis clientibus olim Trebatius cavere ſolebat, ut eſt apud Ciceronem. III. Principalis pars eſt Sextus Decretalium, quem & ipſum in quinque libros diſtributum per tres compilatores, quos in proëmio ejus nominat (Gul. Archiep. Ebrudunenſ. Berengar. Epiſcop. Biterenſ. M. Richard. de Senis, Vice Cancellar. Eccleſiæ Romanæ) prioribus quinque libris addidit Bonifacius VIII. de quo Papa celebre eſt illud elogium: Intraſſe ut vulpem, regnaſſe ut Leonem, mortuum eſſe ut canem, *vid. Palatinam De vitis Pontificum, & Ioannem Balæum Anglum.* Teſtatur autem *Cujac. ad cap. 4. extr. de Sponſalib.* Sextum Decretalium in Galliis nunquam fuiſſe receptum propter capitales inimicitias, quæ inter Reges Galliarum & Bonifacium illum interceſſerunt: de quibus Hiſtorici conſulantur. IV. Partem conſtituunt Clementinæ, quæ nomen habent à Clemente V. qui illas in Concilio Viennenſi edidit in Gallia, cum ſedem Papalem Avenione conſtitutam haberet. Hîc Papa feſtum Corporis Chriſti, quod vocant, inſtituit, celebrandum Feria V. poſt octavam Pentecoſtes. V. Pars poſita eſt in Extravagantibus tùm Joannis 22. tùm communibus. Vocarunt autem Extravagantes, barbarico nomine, eas conſtitutiones, quas Imperatores appellaſſent Novellas. Extravagantes Joannis 22. ſunt 20. Communes verò etiam in quinque libros & ſuos titulos diſtributæ ſunt: perinde ut Decretales Gregorii IX. & Sextus Decret. Bonifac. S.

Redeamus pauliſper ad Decretum. Id in tres partes tribuitur: Quarum prima diſtinctiones habet CI. ſub quarum ſingulis aliquot ponuntur capitula, ſicut ſub titulis librorum Juris Civilis leges & paragraphi. Ex his ſi quid allegetur, nominari ſolet primò capitulum ſive Canon, deinde additur diſtinctionis numerus. v. g. *Can. 12. Nicæna Synodus. diſt. 31.* ubi refertur *ex hiſt. trip. 2. c. 14* ſententia Paphnutii confeſſoris, qua diſſuaſit Patribus in Concilio Nicæno legem, quam introducere volebant alii in Epiſcopos, presbyteros & Diaconos maritos, ne conſuetudine conjugali uterentur. Sic *Can. 15. Si quis diſcernit. diſt 28.* ubi anathema eſſe jubetur à Concilio Gangrenſi, qui ſentit non licere ſacram communionem accipere à presbytero conjugato. Secunda pars Decreti complectitur cauſas xxxvi. quæ ſunt quaſi conſolationes de quæſtionibus controverſis: Et ſub ſingulis cauſis aliquot ſunt quæſtiones: ſub quæſtionibus capitula. Ex hac parte ſic fiunt citationes: *v. g. Can. 3. & 4. Redintegranda. 3.*

Digitized by Google

q.1.3.ſil.cauſa. Semper autem cauſæ nomen omittitur,& numerus tantum ejus ellipticè ponitur.

Porrò cauſæ triceſimæ tertiæ,quæſtio tertia etiam ſeptem novas continet diſtinctiones, quæ de Pœnitentia inſcribuntur. Ex hoc tractatu De pœnitentia citationes fiunt in hunc modum: *can. ſive cap.19. aut facta. De pœnit.diſt.1.* Eſt autem totus ille locus deſcriptus ex *Pand.l.16.tit. De pœnis.* Nam & hoc non prætermittendum,In Decretum non modò dicta SS. Patrum & Canones veterum Conciliorum & Reſcripta quædam Pontificum relata eſſe,verùm etiam paſſim aſperſa loca Juris Civilis, *ex Pand.Cod. & Novellis.* Quas leges Canoniſatas vulgò dicunt.

Sequitur Tertia Decreti pars, quæ de Conſecratione tractat, maximamque partem de Sacramentis, ut Baptiſmo,Confirmatione,& Cœna Domini:aliqua etiam de Conſecratione Eccleſiarum & altarium,nec non de jejunio & feriis Eccleſiaſticis & Imaginibus ibidem afferuntur. Conſtat hæc pars quinque Diſtinctionibus,ſub quibus etiam capitula ſive Canones ſubjiciuntur. Ex hac parte talem in modum allegationes fieri ſolent: puta *c.23. nihil autem prodeſt. de conſecr. diſt.5.* ubi dicitur, Jejunia & orationes nihil prodeſſe abſque puritate mentis. Quæ memorabilis ſententia extat etiam *in c.21. nihil prodeſt. de pœnitent.diſt.3. & in c.12 quid prodeſt diſt.86. in 1.part. Decreti.* Item aliud exemplum citationis, *c.10. peracta. de conſecrat. diſt.2.* ubi ab Anacleto ſub interdictione Eccleſiaſticorum liminum, id eſt, ſub pœna excommunicationis jubentur communicare poſt conſecrationem omnes Chriſtiani, qui in Eccleſia ſunt congregati. Quæ ſententia malè ibidem in ſummario reſtingitur ad miniſtrum ſive ſacerdotem ſolùm, contra diſertum textum, conſuetudinemq́; notoriam veteris Eccleſiæ, qua omnes ſolebant tremenda myſteria participare, quicunque remanſiſſent, ſolis catechumenis,& energumenis,& qui pœnitentiam publicam agebant, exire juſſis.

Similis fraus commiſſa eſt in ſummario *c.11. comperimus. ead. diſtinct. 2. de conſecrat.* ubi quod textus de omnibus dicit Chriſtianis, Eos debere integrum ſacramentum percipere,non ſolum corpus Chriſti ſine ſanguine ejus, ſive calice, niſi grandi ſacrilegio, & neſcio qua ſuperſtitione ſeſe obſtringere velint: id manifeſto crimine falſi rubrica ſeu ſumma ejus capitis reſtringit ad ſacerdotem. Contra quas depravationes meritò objicitur illud vulgatum: Non debere plus eſſe in rubro, quàm in nigro, id eſt, ſummarium & gloſſam non debere à textu diſcrepare: Sed hujuſmodi alia longè plura obſervari colligiq́; in hoc jure poſſunt. Addam hîc exempli cauſa unam aliam citationem. Celebre eſt *c.6. Si papa. diſt. 40. ex dd. Bonifacii Martyris,* ubi dicitur Papam ejuſq́; culpas à nullo mortalium judicari debere, quamvis ſuæ & fraternæ ſalutis negligens deprehendatur inutilis & remiſſus in operibus ſuis, quiq́; innumerabiles populos catervatim ſecum ducat primo mancipio Gehennæ (id eſt, Diabolo) multis plagis cum ipſo in æternum vapulaturus. *Concordat. c.13. nemo judicabit.9.q.3.* Additur quidem ibi Exceptio: Niſi deprehendatur à fide devius. Sed in hac ipſa exceptione Pontificios parum ſibi conſtare: ut qui aliàs hanc firmiſſimam teneant hypothe-

Digitized by Google

hypotheſin, Papam nunquam à via deviare poſſe: ex dicto Chriſti ad Petrum: Ego pro te oravi, ne deficeret fides tua. Ut taceam, quod intelligi non poſſit, quomodo non à fide devius deprehendatur, & ut cum Apoſtolo loquar, non fecerit fidei naufragium, & abnegaverit fidem, qui ſuæ & alienæ ſalutis, omniſq; officii ſit negligens. Certè Clemens veriſſimè dicit. *c.ult. diſt.38.* Qui rebelliter vivit, & diſcere atque agere bona recuſat, magis Diaboli, quàm Chriſti membrum eſſe oſtenditur, & potius infidelis, quàm fidelis monſtratur.

Reliquæ partes, videlicet Decretales, Sextus Decretalium, Clementinæ, & Extravagantes, tàm Joannis 22. quàm communes, tantum libris, titulis, & capitulis diſtinguuntur. Si quid autem ex Decretalibus allegetur, plerumque additur, Extra. Ut *c.6. ſolicitæ. extra de majoritate & obed.* In quo c. Innocentius III. ait, Inter Pontifices & Reges tantam eſſe differentiam, quanta inter Solem & Lunam, inter animam & corpus. Quomodo & Gelaſius Papa *in c.10. duo ſunt. diſt.96.* ſcripſit Imp. Anaſtaſio, aurum non tam pretioſius eſſe plumbo, quàm Regia poteſtate altior ſit dignitas ſacerdotalis. Quam in ſententiam ibidem in proximis ſequentibus capitulis plura ſequuntur. Quibus meritò opponimus auctoritatem Tertulliani adverſus Scapulam, & D. Chryſoſtomi *in hom. ad Pop. Antioche.*

Ex ſexto Decretalium quando citationes fiunt, additur *tit. in 6. ut c.2. quamvis de pact. in 6.* ubi valere jubetur jurata renunciatio hereditatis paternæ facta à filia, quæ dotem accepit, Contra *l.3. pactum dotali. C. de collat. & l.ult. ff. de ſuis & legit. juncta l.5. de LL* & regula traditur, Omne juſiurandum ſervari debere, quod non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, nec in alterius detrimentum redundet: quæ ſententia etiam alibi continetur paſſim, ut in *c.8. & 28. cum contingat. extr. de Iurejur.* Ex Clementinis ita fiunt citationes, ut *Clem. un. de Iurejur.* in qua Papa Clem. V. declarat, quod Juſiurandum à Rom. Imp. præſtari ſolitum Papæ, ut refertur *in c. Tibi Domino. diſt.63.* ſit juramentum fidelitatis, & pro tali habendum ſit. Aliud exemplum *Clem. un. ſentent. & re judic.* Ubi idem Papa ſe jactat ordinarium eſſe judicem Regis: Imò ſe procul dubio habere ſuperioritatem in Imperium, & ſuccedere Imperatori vacante Imperio. Aliud exemplum *Clem. ſæpè. de V.S.* ubi dicitur, Juxta petitionis formam pronunciatio ſequi debet. Quomodo & vulgo dicunt, Sententia debet eſſe conformis libello. *arg. §. præterea verſ. curare, ubi Zaſ. n.16. & 17. Inſt. de act.* Eademq; Clementina nobilis & inſignis cum primis eſt propter enumerationem earum rerum, quæ in ſolenni ordine judiciario obſervari ſolent, (v.g. Citatio, Libelli oblatio, Litis conteſtatio. Dilationes & feriæ, Exceptiones, Poſitiones, Articuli, Juramentum de cal. vel mal. Teſtium productio & exam. Interrogationes partium à Judice factæ, Concluſio in cauſa, Pronunciatio ſivè ſententia, Appellatio,) quæque ex illis omitti ſine vitio poſſint, quando ſic facta eſt commiſſio, ut ſine ſtrepitu & figura judicii ſimpliciter & de plano procedatur.

Poſtremo Extravagantes ita allegari ſolent, ut Joannis 22. quidem ſimpliciter Extravagantes nominentur: reliquæ verò in quibus etiam aliorum Pontificum

Digitized by Google

tificum reſcripta ſunt permiſta (ut Bonifacii VIII. Benedicti XI. & Sixti IV.) cum adjunctione iſta, Extravag. communes. *v g. c.1. unam ſanctam. de major. & obed. in Extravag. commun.* ubi Bonifacius VIII. ex dicto Chriſti: Petre paſce oves meas, colligit univerſalem poteſtatem in omnes totius mundi Eccleſias datam eſſe Petro, & cuilibet ejus ſucceſſori Pontifici Romano. Deinde ex eo, quod Chriſtus dicenti Petro, Ecce duo gladii hic, non reſpondit, Nimium, ſed ſatis eſſe, infert, utrumque gladium & ſpiritualem & materialem eſſe in poteſtate Eccleſiæ, ita quidem ut hunc Reges & milites ad nutum ſacerdotis cogantur ſtringere & exercere. Et materialis gladius, id eſt, temporalis poteſtas atque auctoritas ſubjiciatur ſpirituali. Præterea ex dicto Jehovæ ad Jeremiam *c.1.* Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna, ut evellas & deſtruas & diſperdas, & diſſipes, & ædifices & plantes: ex eo, inquam, infert Papa, ſibi ut ſpirituali poteſtate prædito jus eſſe terrenã poteſtatem inſtituendi, & ſi bona non fuerit judicandi: In ſumma, poteſtatem ſibi arrogat, regna & dandi & adimendi, transferendiq; de gente in gentem, de perſona in perſonam: Tandemq; concludit & pronunciat Papali ore, OMNINO eſſe de neceſſitate ſalutis omni creaturæ humanæ ſubeſſe Romano Pontifici Quem tamen novum Articulum fidei proximus ejus in Papatu ſucceſſor Clem. V. non credidit per omnia verum, dum videlicet Regem Franciæ excepit. De quo *vide Marſilium Patavinum in defenſione Pacis p.2. c.20.*

Superiora idcircò admonui, ut Studioſi tanto minore cum negotio inquirere ac reperire poſſint, quæ ex iſto Jure, quo hodie multum utimur, citata audiverint aut legerint, ſimul etiam guſtum aliquem ejus Juris præbere auditoribus volui, de quo verè uſurpes illum Homericum verſum, quem & Juriſconſulti allegant: φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. Ne autem hac quoque in parte quicquam Impp. & Juri civili concederent, tandem etiam Inſtitutiones quaſdam hujus ſui juris in aula Romana componi curarunt, quæ per Joannem Paulum Lancellotum JC. Peruſinum in 4. libb. digeſtæ ſunt, perinde ut Juris Civilis Inſtitutiones, & cum ipſo Juris Canonici corpore ferè conjungi ſolent.

Hoc porrò Jus tametſi Martinus Lutherus zelo quodam, ut perhibent, divino accenſus, & percitus Wittebergæ Anno 1520. magno hominum concurſu atque applauſu in ignem ad id extructum conjecit atque exuſſit, cum hoc ſuper dicto Elogio: Quia tu conturbaſti ſanctum Domini, id eſt, Eccleſiam, ideo te conturbet ignis æternus: ejuſq; ſui facti rationes ſcripto publico comprehenſas reddidit, quo in ſcripto XXX. articulis oſtendit abominandos aliquot errores illius Juris, ut videre licet. *Tom.2. Latin. operum Witteberg.* Tamen magnopere prodeſt adhuc illud extare ac legi, non ſolùm quia paſſim adeo craſſas continet abſurditates, ut metuendum non ſit, ne quis amplius illis decipiatur, niſi ſua ſponte cæcutire velit, patefacta jam veritate, detectiſq; erroribus: verum etiam quia multis in locis ipſoſmet Pontificios refellit, ac proprio gladio (quod dicitur proverbio) toti orbi Chriſtiano jugulandos præbet. Id quod præclaro ſpecimine cùm alii probarunt luculenter tùm *D. Georgius Tradelius JC. Auguſtan.*

Digitized by Google

Auguſtan. in Tr. de Eccleſ. ante paucos annos edito, & ante ipſum Innoc. Gentiletus in Apologia Eccleſ. Gallic. nec non in Examine Concilii Tridentini: itemq; Franc. Hotom. in Bruto fulmine, aliiſque libris ſuis.

Videamus poſtremo loco, In quibus nam cauſis, ſive Articulis, & capitibus, potiſſimum hoc Jus Pontificium & in foro civili & multis reformatarum Eccleſiarum Conſiſtoriis obſervetur. Hoc enim ultimum erat ex iis, quæ ſupra ad explicandum proponebamus. De his cauſis primum obſerventur regulæ quædam generales, ab Interpretibus traditæ, & paſſim inculcatæ: Ipſi Theoricas vocant. Prima eſt, Quoties res obſcura aut dubia eſt Jure civili, Jure autem Canonico clarè definita, ſtandum eſſe Canonibus, & quidem in utroque foro. *c. 1. & 2. De nov. oper. nunt. Iaſ. in l. præſcriptione. nu. 23. C. ſi contra jus vel util. Decius in l. edita. C. de edend. Socin. in c. quoniam frequenter. ut lit. non conteſt. Not. in c. licet. De for. compet. & in c. cum per venerabilem. Qui fil. ſint legit. Mynſing. Dec. 9. Reſp. 85. num. 3.* ubi & rationem regulæ reddit: Quia per Deciſionem Pontificis cenſetur ſopita eſſe varietas Legiſtarum. *Vid. & M. Weſenb. conſ. 6. num. 202.* Item *conſ. 43. nu. 58. & Menoch. lib. 1. De arbitr. Iud. quæſt. 30. n. 3. ubi plures allegat. Item Quæſt. 74. num. 53. P. Paulus Pariſ. conſ. 27. n. 10. & ſeq. vol. 3.* ubi addit hanc limitationem ex Alex. Niſi ſtatutum aliquod jubeat judicare ſecundum Jus civil. Altera regula eſt: Quando aliquid eſt Jure civili definitum, & non Jure Canonico, ſtandum eſt Juri civili etiam in foro Canonico. *Menoch. lib. 2. arbitr. caſ. 185. n. 12.* ubi eandem reg. ſic limitat, nempe ſi differentiæ ratio inter utrumque Jus nequeat aſſignari. Has duas regulas in unam hanc cogit M. Weſenb. Quoties alterutro jure quid expreſſum eſt, quod in altero ſit controverſum, toties eam definitionem expreſſam in utroque foro valere. *conſ. 1. n. 20. addens rationem.* Quia alterum jus per alterum ſuppleatur. Cui non eſt diſſimile, Quod ubi quid non eſt expreſſum Jure feudali, ſtandum ſit juri communi, ut traditur, *in 2. F. 1. § ſtrenuus & ibi not. Dd.*

Tertia Regula eſt: Cum jus civile & Canonicum inter ſe pugnant, jus civile ſervari debet in foro Imperii, Jus Canonicum verò in terris Eccleſiæ, *per not. in c. poſſeſſor. De R. I. in 6. Myn. d. loco nu. 6. Bart. in l. privilegia. n. 2. C. de ſacroſ. eccl. Caſtr. in Auth. at qui ſemel numero* 10. *C. de probat. Iaſon. in Rub. ſol. matrim. num. 31. Phil. Deci. in c. Clerici in pr. De judic. & idem conſ. 452. nu 6.* Sed hanc regulam tantum de iis cauſis & rebus intelligere oportet, quo (ut loquuntur) non concernunt animam: item de eo caſu, quando utrumque Jus eſt rationabile, & ſine periculo animæ ſervari poteſt: *ut notat Modeſt. Piſtor. Conſ. 41 n. 6. vol. 1. allegans Abb. in c. 1. n. 7. De nov. op. nunt. & gl. in c. 2. verb. ex civilis. De arb. lib 6.*

Aliud eſt, ſi tractetur de peccato vitando, & de caſibus conſcientiæ. Tunc enim quando eſt diſcrepantia inter Jus Canonicum & Civile, potius tenendum eſſe ajunt conſtitutionem Juris Canonici, non ſolum in terris Eccleſiæ, ſed etiam in toto orbe Chriſtiano, atque ita etiam in terris Imperii: quaſi ibi cedant LL. Impp. ſacris Canonibus, *ut ex Bart. Panorm. & aliis probat Modeſt. Piſtor. conſ. 49. nu. 11. vol. 1. Iaſ. in l. 3. §. genera. n. 18. De acquir. poſſ. quem ad hoc rectè allegat Mynſing. Reſp. 41 num. 13.* Sed Ferrarienſem ibidem non rectè hujus ſententiæ auctorem laudat, cum is in omnia alia abierit *in for. Reſp. rei conventi. verb. præſcriptionis.*

Digitized by Google

num.40. de quo me per Epiſtolam nuper monuit etiam D. Giphanius, & eſt veriſſimum. *Vid. etiam Rol. à Vall. conſ.99. nu.23. vol.3. & conſ.72. nu.13.* ubi etiam allegat. *Alex. conſ.34. vol.2. & Butr. conſ.45. Franc. Balb. tract. præf. in pr. & alibi,* quem cum aliis adducit. *Weſenb. conſ.2. nu.38. & idem conſ.44. nu.37. & conſ.60. nu.10.*

Sit igitur hæc notabilis Exceptio ad tertiam noſtram regulam vel etiam ſeparata quædam & IV. Regula, nempe, Quoties tractatur de materia peccati & conſcientiæ, ſi pugnet Jus Civile cum Canonico, potius ſequenda eſt diſpoſitio Juris Canonici quàm civilis, etiam in foro civili. De cujus Regulæ, ut & præced. exemplis infr. dicetur. Ratio ejus hæc eſt, quia principalis intentio Juris Can. eſt conſulere ſaluti animarum, *ut ait A. Tiraq.* Animæ autem ſalus omnibus rebus eſt anteponenda. Hic illud quæri poſſe video, Quid ergo Juris ſit, ſi quod extet in tali caſu ſtatutum Juri Canon. contrarium & Juri Civili concordans? Reſpondent Dd. Etiam tunc præferendum omnino eſſe Jus Canonicum & nullius momenti eſſe tale ſtatutum, utpote nutritium peccati (Sic enim loquuntur) id eſt, invitans ad delinquendum. Quæ ampliatio ad hanc quartam regulam probè notanda, & videndus de ea *Pariſ. conſ.66. nu.99.* ubi pluribus eam auctoritatibus probat. His accedat & V. Regula, nempe ſi diverſum jus ſtatuatur in foro ſeculari & Canonico, Judex ſecularis ſervat ſuum jus, & ſpiritualis quoque ſuum. Sed ſi in altero foro jus illud ſit æquius, tunc etiam ad alium forum deducendum eſt, *Ioh. Sichard. ad l. placuit. n.3. Cod. de Iudic.* Et VI. In dubio non debet fieri differentia inter Jus Canonicum & civile. *Phil. Deci. conſ.452. nu.15. ubi ad hoc allegat Roman. ſingul.344. & conſ.427. Corn. conſ.121.*

Poſt regulas iſtas generales, videamus in ſpecie, quibus potentiſſimum in cauſis Jus Canonicum obſervandum dicant Interpretes etiam in foro Civili, ſive non tantum in terris Eccleſiæ, verum etiam in terris Imperii.

Obſervatur ergo Jus Canonicum præ civili in his potentiſſimum cauſis & articulis I. In Matrimonialibus & aliis, quæ eò pertinent, ut Gradibus, Sponſalibus, Conſenſu parentum, Liberis, & eorum alimentis, concubinatu, divortiis, eorumque cauſis, De ſecundis nuptiis & earum tempore. II. In pactis, ſtipulationibus, & Emphyteuſi. III. In Uſuris & Antichreſi. IV. In bonis Eccleſiaſticis. V. In decimis. VI. In piis cauſis. VII. In teſtamentis. VIII. In fideicommiſſis & detractionibus Quartarum. IX. In præſcriptionibus. X. In juramentis. XI. In iis, quæ ad ordinem Judiciorum pertinent. In Judicibus, in teſtibus, in Appellationibus.

De pleriſque horum teſtantur etiam anteſignani practicorum Germanorum noſtræ ætatis. *D. Ioach. Mynſing. And. Gail. Wurmſer. & Hartm. in ſuis obſerv. Practicis: & idem Mynſing. in Reſponſ. Fichard. Weſenb. Modeſtin. Piſtoris, &c. in conſiliis ſuis,* quæ hic omnia allegare ſupervacaneum puto, cum in ſequenti tractatione ſint ſuo loco & tempore allegandi.

Etiam hoc in fine horum prolegomenorum notari prodeſt, quod Cujacius aliique rectiſſimè monuerunt, pleraſque ſuas Decretales confeciſſe Pontifices ex Gloſſis Jur. Civil. atque ita Gloſſas iſtas vim Juris per Pontifices accepiſſe; *de quo vid. Cujac. Recit. ad c.3. & ult. ext. ut lit. non conteſt. Idemque Cujac. ad c. un. De plus petit.*

Digitized by Google

petit.& ad c.15. quod ad conſultationem. De ſent. & re judic. ingenuè ſcribit. Ex ſolo Jure Civili habuiſſe Pontifices quod peterent exornandorum ſuorum Decretorum gratia: & omnino quicquid eſt præclarum in Jure Pontificio, id ex Jure Civili eſſe: Q. d. plumas eſſe alienas, quas ſi repetitum venerit olim grex avium, nuda hæc moveat cornicula riſum, ut verbis utar Horatii. Verum eſt igitur illud vetus verbum Italorum: Quello legiſta ſenza capitolo vale poco: malo Canoniſta ſenza lege vale niente, ut ex *Ludo.Rom. Notab.143. refert Ioan. Igneus in Diſput. An Rex Franciæ recognoſcat Imperatorem.* Quod autem tantam vim illæ conſtitutiones Decretales etiam in terris Imperii & foro Civili obtinuerunt, id non alia ex cauſa factum eſſe exiſtimemus, quam per ruinas Imperii Romani & Imperatorum ac Principum ſecularium, ſæpè falſa religionis opinione, qua etiam ſecundum Livium, nihil eſt in animis hominum efficacius, dementatorum conniventiam. Nihil (inquit *Livius lib.9. Dec. 4.*) in ſpeciem fallacius eſt quàm prava religio, ubi Deorum numen prætenditur ſceleribus, ſubit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis divini Juris aliquid mixtum violemus.

Poſtremò etiam hoc notetur, ut in Cod. Juſtinianei legibus, collocandis obſervatus eſt ordo temporis, quo ſibi invicem ſucceſſerunt Imperatores, ita in Decretalibus libris ſervatum eſſe ordinem Pontificum Romanorum *Cuja.ad c.2. De ſponſ. & matrim.* Sed pluribus prolegomenis omiſſis ad ipſas horum Jurium differentias exponendas accedamus.

PRIMA CLASSIS.

EAS CONTINENS DIFFERENTIAS, QUAE AD MAtrimonia vel prima, vel ſecunda, De liberis, De affinitate pertinent: ubi & De ſponſalibus & De Gradibus, De divortiis: De concubinatu.

CAPUT PRIMUM.

De Sponſalibus.

QUONIAM matrimonium velut Seminarium eſt generis humani, non immeritò in explicandis differentiis utriuſque Juris inde exordium ducimus. Matrimonium à matre dici manifeſtum eſt: Cujus denominationis tres potiſſimum cauſas reddi reperio. 1. propter bonum omen & ſpem prolis ex conjugio ſuſcipiendæ. Hoc enim voto nuptiæ contrahuntur, ut quæ nubit mater fiat. *Gell. 18. c. 6. B. Auguſtin.19. contra Fauſt. Manich. c.26. Iſid. lib. 9. Etymolog. c. De conjug.* 2. propter onus & laborem, quem mater in concipiendo, geſtando, pariendo; nutriendo ſuſtinet majorem quàm pater. *c.ult.extr.de converſio.infidel.* ubi Gregor. IX. ait in reſcripto ad Epiſcopum Argentinenſem, Quia infans matri ante partum ſit oneroſus, in partu doloroſus, poſt partum laborioſus; ex eo legitimam conjunctionem maris & fœ-

Digitized by Google

minæ magis matrimonium, quàm patrimonium nuncupari. Tametſi alioquin onera matrimonii incumbant viro, qui hoc nomine & dotem accipit, & fructus ejus facit ſuos ac lucratur. *l.21. ſi quis pro uxore. §.1. ff. de don. inter vir. & uxor. l. 20. pro oneribus. C. de Iur. dot.* 3. Propter majorem certitudinem prolis, quæ eſt in matre. *Cujac. ad cap.1. extr. De ſponſ. & matrim.* Mater enim ſemper eſt certa quo conceperit: Pater verò intelligitur is, quem juſtæ nuptiæ demonſtrant. *l. 5. De in jus voc. l. filium. De his qui ſunt ſui. l.L. Titius. De cond. & dem.* Unde & Telemachus interrogatus à Minerva, cujus eſſet filius, reſpondit, Mater quidem dicit me Ulyſſis filium eſſe. Ego verò neſcio. Neque enim quiſquam unquam extitit, qui certò ſciret, quo patre ſatus eſſet. Quam in ſententiam & Comicus Menander ſcripſit, Idcircò matrem ardentius quoq; quàm patrem diligere ſobolem, quod mater certò ſciat ex ſe natam eſſe, pater opinetur tantum & credere cogatur. Verſus græcos affert etiam *Cujac. Paratit. C. de confirm. tut.* Matrimonium verò quia præcedunt ſponſalia, tanquàm videl. præparatio ejus ſive inchoatio quædam, & linea ad matrimonium, *ut eleganter Cujac. vocat. in Recitat. Decret. ad Rub. de ſponſal. & matrim.* de his primò dicendum eſt.

Sponſalia definiuntur à JC. Flor. mentio & repromiſſio nuptiarum futurarum. *l.1. ff. de Sponſal.* Unde & ſpes matrimonii dicuntur *ab Vlp. in l.6. d. t. in l.13. ſi uxor. §.3. Divi. ff. ad L. Iul. de adult.* Omnis ſpes eſt futuri alicujus boni ſecundum Philoſophos. Ergo & Sponſalia omnia Jure civili ſunt de futuro matrimonio. Canoniſtæ tamen & aliud quoddam genus ſponſaliorum excogitarunt, quod vocarunt de præſenti. Quomodo autem vel hæc, vel illa contrahantur, explicatur à Canoniſtis *ad c. pen. extr. De ſponſal. & matr. Ioh. Schneiderv. tit. De nupt. part. 1. De ſponſalib. Weſenb. parat. De ſponſal. nu. 3. nec non à Ioach Beuſt. in Tract. De ſponſal. & matrimonio. Item ab Everhardo Speckhan. cent. 2. cl. 2. Q. 3.* Huic tamen diviſioni non magnam vim tribuunt. *Phil. Dec. ad d. c. pen. & M. Luther. in libello* von Ehesachen. *Idemq; Decius in conſ. 368. exponit*, quot modis ſponſæ de futuro conſtituantur: quomodo item tranſeant in matrimonium vel non, cum quo conſilio velim conferri *Pariſ. conſ. 51. & 62. vol. 4.* Sed hæc non rectè ſponſalia vocari notat *P. Coſtalius ad l. 1. De ſponſal.* Quod autem vulgo perſuaſum eſt, Idem valere ſponſalia de præſenti & matrimonium. (Ex qua hypotheſi etiam *Eberhard. Speckhan. d. q. 3 nu. 3. & 4. & 6.* ſcripſit, ſi quis penitius & propius rem inſpiciat, omninò fatendum eſſe, quod nihil novi hac in re introduxerit jus Canonicum, nihilq; diſcrepet à Jure civili, ſed tantum excogitarit hanc diſtinctionem, ut oſtenderet differentias inter matrimonium, ſive nuptias, & ſponſalia) in qua ſententia eſt etiam *Coſtal. d. loco, & ad l. 5. ſi ſponſus. De don. inter vir. & uxor. Iac. Toming. Deciſ. 36. n. 3. Item Nic. Vigel. lib 4. Meth. Iur. Pont. c. 11.* Id etiam refellit *Cujac. ad Rubr. De ſponſ. & matr.* ubi docet *ex c. 13 De præſumpt.* Etiamſi verba ſponſalium in præſens tempus collata ſint, tamen ne quidem Jure Pontificio ſponſam talem ſtatim eſſe uxoré, aut ſponſum eſſe maritum: tametſi hoc habeant commune, quod alteri nubere, vel aliam ducere nõ poſſint. Non conciliari enim matrimonium eo Jure, niſi accedat Eccleſiæ aſſenſus & auctoritas, benedictioq; ſacerdotalis: de qua dicam infra. Sponſalia de præſenti Schneid. d. loco, & alii ſubdividunt in publica & clandeſtina: & de clande-

Digitized by Google

clandeſtina deſponſatione extat etiam *t. Lib. 4. Decret. & Can. 1. Conc. Trid. Seſſ. 24. De reform. matr.* Sed non video quî minus iſta diviſio etiam ſponſalibus, quæ vocant, de futuro conveniat. Nam & hæc poſſunt fieri vel publicè ac palam, vel clanculum: quorum illa ſola ſunt valida ac juſta: hæc verò injuſta & nulla: Ita tamen ut quo magis conſulatur conſcientiis accedat ſententia Judicis declaratoria: qua de re etiam Mandato peculiari Senatus Norici cautum eſt, idq; in viridi eſt obſervantia. Et his clandeſtinis deſponſationibus ſaluberrimo inſtituto opponuntur publicæ denuntiationes in Eccleſia, binæ vel ternæ, quæ *banna* appellantur. *c. 27. cum in tua. De ſponſal. c. fin. extr. de clandeſt. deſp. c. fin. Qui matr. accuſ. poſſunt. Cujac. ad d. c. cum tua. Menoch. de arb Iud. cap 453.* Quæri poteſt, Quid ſi verba promiſſionis ambigua ſint, ut neſcias ſint nè ſponſalia de præſenti, an de futuro contracta: utrum hæc an illa potius ſint præſumenda? Reſpondetur, pro ſponſalibus de præſenti ſive matrimonio potius, quam de futuro eſſe præſumendum & judicandum. *c. 7. ex literis. c. 26 tua nos. ext. de ſponſ. c. licet. ext. de teſtib. c. fin. ext. de ſent. & re jud.* Quod tamen totum præſtat relinqui arbitrio Judicis, qui æſtimet ex circumſtantiis quid veriſimiliter actum ſit inter contrahentes. *Beuſt. Tr. de ſponſ. c 8. & ſeq.*

Porrò inter utramque ſpeciem ſponſalium quænam ſint tùm convenientiæ, tùm differentiæ, ſive in quibus rebus ſponſalia conveniant cum matrimonio, vel ab eodem differant, prolixius eſt, quam ut hoc loco explicari debeat. *v. Speckhan. d q. 3. & Iac. Cuiac. ad Rub. de ſponſal.* Illam hic attingere quæſtionem duxi operæ pretium, ſi exſtet ſtatutum (quemadmodum in multis Germaniæ, Galliæ & Italiæ locis talia exſtant) ut præmortua muliere in matrimonio, maritus lucretur dotem vel ejus partem: an id etiam in ſponſa de præſente locum habeat? Et valere tradunt. *Bart. ad l. nihil. ff. rer. amotar. Panormit. ad c. tertio loco. ext. de præſumpt. & in c. publico n. 6. De converſ. conjug. Salicet. l. 6. cum in tr. C. de don. ante nupt. Ang. §. fuerat. n. 24. De act. And. Gail. lib. 2. obſ. 80.*

Tametſi Jure Saxonico conjuges antequam lectum conjugalem conſcenderint conjugii nomine & titulo nihil lucrentur alter ab altero præmortuo. Landrecht. *lib. 1. art. 45. & lib 3. art. 45. Aug Elect. Conſtit. par. 3. art. 19.*

Alia differentia eſt, quod jure civili etiam unus poteſt ſuo diſſenſu recedere à ſponſalibus *l. 1. C de ſponſal.* Jure canonico non item, ſed utriuſque diſſenſus requiritur. *c. 2. ext. de ſponſal. c. 7. de illis. De deſponſ. impub.* de qua tamen differentia non immeritò dubitat *gl. in d. l. 1. C. h. t.*

Rurſus alia differentia eſt in ſponſalibus, Quia Jure civ. ſponſa cogitur expectare abſentem ſponſum per triennium, ante cujus terminum elapſum non poteſt alteri nubere. *l. 2. C. de repud.* Jure autem Canon. ſponſus poteſt ſtatim ex quo ſponſus ad remota loca abiit ne ei conjungeretur, alteri nubere, etiamſi juraſſet priori. *c. 5. de illis De ſponſal. junct. c. 3. De condit. appoſ.*

Sequitur alia differentia quoad ſponſalia inter Jus civil. & Canon Jure civili ſponſalia nulla & invalida proculdubio nullum producunt effectum, *per l. non dubium. 5. C. de LL.* At Jure Canonico ſponſalia quamvis nulla & invalida, tamen præclarũ operantur effectum, nempe impedimentũ, ſive, ut loquuntur, juſtitiam

Digitized by Google

quit, ut jam pactæ ſponſæ non ſtatim tradantur: ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiraverit ſponſus dilatam. Quæ ejus verba referuntur *in c.39.27.q.2.* quia ſcil. metuendum ſit, ne uxor vileſcat & contemptibilis fiat marito quâ tàm citò potitus eſt. Hæc enim ferè eſt ingenii humani ratio, ut ex facili parta non tanti æſtimemus, quanti ea quæ nonnulla cum difficultate obtinuimus. Ut igitur tantò cariorem habeat maritus uxorem quantò diutiùs eam deſideravit in amplexus ſuos venire, aliqua mora intercedere debet. Poteſt etiam hæc reddi ratio fortaſſis non inepta: Ut aliquâ interpoſitâ morâ appareat, nos domitas habere cupiditates noſtras, & animo imperare poſſe, nec libidinis cauſa ducere uxorem, quæ ut Imp. Antoninus ajebat, honoris eſt appellatio, non voluptatis, ut amica, meretrix vel pellex. Sed ea mora non debet eſſe nimis longa, ne fortè interea carnaliter commiſceantur. Indicat tamen Nicolaus Papa *in c.3. noſtrates.30.q.5.* mox etiam ſponſos poſſe ad nuptiarum fœdera perduci, nec ſemper neceſſariam eſſe alicujus moræ interpoſitionem. Aut mox, inquit, aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege definitum tale quid fieri præſumatur. Ubi non immeritò quis quærat, quodnam illud ſit tempus lege definitum, ante quod Pontifex nolit ſponſos ad fœdera nuptialia perduci. Cum autem nuſquam reperiatur tempus lege definitum, quo ſejungi debeát nuptiæ à ſponſalibus, ſed tempus illud ferè cujuſque arbitrio relinquatur: omninò exiſtimo ea verba capienda eſſe de ætate legitima & nubili, ut ante eam expletam ad nuptias non feſtinetur, videlicet à viris ante 14. à fœminis ante 12. annum: quâ de re paulò ante dictum. Quid ergò, inquiet quiſpiam, ſi nuptiæ nimis diu differantur: ſi ſponſalia, ut cum Cajo loquar, nimis in longum trahantur? Hîc diſtinguendum eſt inter abſentem & præſentem. Si ſponſus abſit, expectandum eſt triennium: Si præſens, ſive in eadem Provincia ſit, biennium. *l.2.C.de repud. l.2. C. de ſponſal.* Hæ enim duæ leges ita conciliandæ ſunt, quod ex ipſis verbis earum patet, cum in una l. dicitur, In eadem provincia degens: in altera l. poſt tres peregrinationis annos. *vid. ibid. & Gothofred.* Ratio ibi additur: nempe, Ne opportunum nubendo tempus amittatur, ſive, quod idem eſt, ne cujus vota diutiùs eludantur. Eſt & altera ratio, quia ſi ſponſus adſit, ſponſa ei ſtatim nuntium remittere poſſit. *d.l.2.C.de repud.* quod eſt argumentum à majore ad minus. Sed hac in re aliqua videtur eſſe differentia inter Jus Civile & Canonicum. Hoc enim jure non eſt neceſſe, ut ſponſa ſponſum tam diu expectet, ſed poteſt etiam citiùs ad alia vota ſe transferre: ut ait Alex.3. *in c.5. de illis. De ſponſalib. & matrim.* quanquam, ut infra dicam, id c. de deſertore intelligi debere videtur. Nam cum quis juratò promiſiſſet, ſe quampiam ducturum uxorem, poſtea verò ad alias partes ſe tranſtuliſſet, id eſt aliò terrarum migraſſet, ne videlicet cogi poſſet ad ſponſalia per matrimonium conſummanda: reſcripſit Alex.3. ſi non amplius in facto ſit proceſſum, id eſt, ſi res ſit integra, nec carnalis copula acceſſerit, liberũ eſſe mulieri repetere matrimonium cum alio; ita tamen, ut ſi per ipſam ſtet quo minus conſummatum fuerit prius matrimonium, id eſt, ſi ipſa præbuerit ſponſo mutandi animi, alioq; migrandi cauſam, tum agat pœnitentiam de eo, quod præbuerit anſam perjurio.

CAP.

Caput III.

DE MATRIMONIO: ET PRIMUM DE CONSENſu parentum in Nuptiis liberorum poteſtati ſubjectorum.

SAtis de ſponſalibus pro inſtituti noſtri ratione. De differentiis quoad matrimonium videamus. Ubi in primis occurrit nobilis illa quæſtio, De conſenſu parentum in nuptiis liberorum? Ubi illud præmittendum eſt, certum utriuſque Juris principium, Nuptias ut & ſponſalia. *l. 4. De ſponſal.* conſenſu contrahi, *l. 2. ff. de ritu nupt. l. cum hic ſtatus. §. ſi mulier. ff. de don. inter vir. & uxor. l. 15. cui fuerit. ff. de cond. & demonſtr.* Quod etiam in regulas Juris relatum eſt. *l. 30. ff de Reg. I. & aliquot Nov. iteratur ut* 18. 22 74. & 117. Eumque conſenſum eſſe non ſolum expreſſum, ſed & tacitum. *c. licet. De ſponſa duorum. c. 14. cum apud. De ſponſ. c. un. De deſponſ. impub. lib. 6.* Cui conſequens eſt, qui conſentire non poſſunt, ut furioſi. *l. 5. & l. 40. De R. I. De his qui ſunt ſui &c.* tametſi contractum matrimonium furore ſuperveniente non tollatur *Paul. 2. ſent. 19. l. 16. oratione. ff. de ſponſal. l. 22. ff. ſol. matrim.* Et hic conſenſus ſive affectio conjugalis (Juſtin. *διάθεσιν ἀμοιβαίαν* vocat) in iis quidem qui ſui Juris ſunt, ſufficit. In iis verò qui ſunt in poteſtate patria, ſive in ſacris paternis conſtituti, non ſatis eſt ipſos conſentire contrahentes: hoc amplius Jure civili neceſſe eſt etiam accedere conſenſum parentum, in quorum poteſtate ſunt, etiamſi filiusf. miles eſſet. *l. 2. l. filiusf. miles. De rit. nupt. l. nec filium. l. ſi ut proponis 5. & 7. C. eod.* Idque fieri debere & civilis & naturalis ratio ſuadet, ut ait *Imp. init. tit. De nupt. ubi hoc expoſitum eſt latius.* Et ſuadendi verbo ibi contineri imperium, neceſſitatem, & vim coactivam, tametſi aliàs ſuaſio & conſilium non habent neceſſitatem parendi. *l. 7. legis virtus. De legibus,* eruditè docet *Alb. Gentil. lib. 4. de nupt. c. 2.* Collegit quidem. *Ant. Guib. Coſtan. 1. Quæſt. Iur. 12. & in Tract. De ſponſal. & matrim.* multa argumenta, quibus probare conatur, ne quidem Jure civili neceſſarium eſſe conſenſum parentum in nuptiis liberorum, quos in poteſtate habent. Sed ea ordine & perſpicuè refutat præceptor meus. *D. Borchold. in Tr. de Gradib. p. 45. §. videamus jam qualia poſt Ioan. Coraſ.* Recteq; cenſuit *Alber. Gentil. d. lib. 4. De nupt. c. 3.* ridiculum eſſe Coſtanum tota illa diſputatione, & argumenta ejus ridicula. Qui enim alia eſſe potuerunt, quæ tam manifeſtis Juris locis opponuntur? Illud igitur maneat, Jure civili conſenſum vel expreſſum, vel tacitum patris vel avi paterni in nuptiis liberorum, qui in poteſtate ſunt, neceſſarium eſſe, & ſine eo contractum matrimonium eſſe injuſtum, injuſtos liberos, injuſtam uxorem. § *ſi adverſus. I. de nuptiis,* Tametſi contemplatione publicæ utilitatis ejuſmodi matrimonia non ſolvantur. *l. 1. ff. de lib. exhib. Paul. 2. ſent. 19. & 5. tit. 6. de Interd.* Matris verò & avi materni neceſſariò non requiri: nec immeritò, quia neque in poteſtate habent liberos. § *fœminæ. de adopt.* Ceſſante igitur juris ratione, ceſſat Jus ipſum, ſicut & in emancipatis à patre liberis, quorum nuptiis non amplius neceſſarius eſt conſenſus. Excepto quod in nuptiis puellarum mortuo patre matris etiam conſenſus exigitur. *l. 1. & l. 20. in conjunctione. C. de nupt.* Cujus ratio eſt imbecillitas ejus ſexus.

Ad Jus

Digitized by Google

Ad Jus Can. quod attinet, vulgò perſuaſum eſt, per id corrigi jus civile quoad conſenſum parentum, quem velit non eſſe neceſſarium, *per c. cum cauſa. De raptor. c. per Tuas. de cond. appoſ. c. ſufficiat. 27. q. 2. ubi gl. in verb. ſolus. c. cum locum. & c. cum apud. de ſponſalib. Pariſ. conſ. 24. vol. 3. Gail. 2. obſerv. 93. nu. 3. Schneid. ad tit. de nupt. ſub capite, An indiſtinctè ad matrimonium contrahendum requiratur conſenſus parentum. Weſenb. in parat. de rit. nupt. num. 3.* ubi tamen inter veteres & recentiores Canones diſtinguit, & ait illos magis Jus civile ſecutos eſſe. Et hoc Jus volunt in matrimonio tanquam re ſpirituali prævalere etiam in foro civili. Acceſſit Concilium Tridentinum, Decreto *de Reform. matrim. c. 1.* quod anathemate damnat eos, qui falsò (ut ait) affirmant, matrimonia à filiisfam. ſine conſenſu parentum contracta irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe. Operæ-pretium eſt autem unam & alteram eorum, qui ita ſentiunt rationem breviter cognoſcere & perpendere. 1. inquiunt, Matrimonia libera eſſe debent. Libera autem non erunt, ſi requiratur neceſſariò conſenſus parentum. Hic igitur neceſſarius non eſt. De libertate matrimoniorum res certa eſt in utroque jure. *vid. l. 134. Titia. in fin. pr. ff. de V. O. c. 17. requiſivit, & c. 29. Gemma. de ſponſ. & matrim.* Eóque pertinet etiam quod invitæ nuptiæ ſolent malos proventus ſive difficiles exitus habere: *ut ex Ambroſ. in 7. cap. 1. ad Cor. rectè ait Pontif. in d. c. requiſivit, & in c. 14. cum locum. de ſponſal.* Antecedens concedimus, ut quod ſit certiſſimum. Sed quod inde infertur, pernegamus: omninoq; contendimus. Libertati matrimoniorum minimè repugnare conſenſum parentum. Nam ut Jure civili liberrima tamen ſunt matrimonia. *d. l. Titia. d. V. O.* quamvis parentum conſenſui quaſi adſtricta: Ita & Jure canonico & divino nihil eorum libertati officit, etiamſi neceſſariò requiri conſenſum parentum dicamus. Libertas enim definitur naturalis facultas faciendi quod velis, niſi ſi quid jure facere prohibearis. *§. 1. Inſtitut. de jure perſ.* Et ut Cic. præclarè ait: Legum idcirco ſervi ſumus, ut verè liberi eſſe poſſimus. Præclarè Bald. in conſilio ſchiſmatis: Libertas eſt freno cogi legis & rationis. Facit huc quod ait Seneca: Meum eſt etiam quod ſub certa lege meum eſt, etiamſi alienare non poſſim. Ita nos dicere poſſumus, Libera eſſe matrimonia, etiamſi ſub certa lege libera ſint. Aliud enim eſt libertas, aliud longè licentia. Et B. Anſelmus ait, ex eoque repetiit Coraſius: Libertatem non aptari rebus malis. Et quemadmodum non idcircò minus libera ſunt matrimonia, etiamſi non poſſit quiſque quam vult, ducere, v. g. matrem, ſororem, ſocrum, nurum, & cæteras perſonas prohibitas, item forenſem ſive extraneam; Ita libertati matrimonii nihil derogat, quantumvis liberi in poteſtate prohibeantur contrahere invitis parentibus. Nec valet conſequentia Ieſuitica Bell. non cogitur filius. Ergo patris conſenſus non exigitur. Vel patris conſenſus exigitur. Ergo filius cogitur. Neutrum ſequitur, Et matrimonia tamen manent libera, quibus parentes coguntur à magiſtratu aſſentiri, & dotem dare vel donationem propter nuptias, ſi liberi nubant condignis, ut docet contra Bellarm. *Alb. Gentil. 4. de nupt. c. 5.* Nec cogitur viceverſa filius aut illam ducere, aut filia ei nubere, quam pater elegerit. *vid. Schneid. part. 2. de nupt. num. 41.*

Digitized by Google

Sic & teſtandi libertas, quæ eſt procul dubio maxima. *l.* 1. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* §. *Diſponit Nov.* 22. & exponitur *ad init. tit. Inſtit de leg. Falcid.* nullum quis patitur ex eo detrimentum, etiamſi ſtatutum fiat, Ne mulier ob fragilitatem ſexus poſſit teſtari ſine conſenſu propinquorum. Tale namq; ſtatutum valere probat *Iaſ. l.* 41. *de vulg. & pup. ſubſt.* Nam ſi propinqui ſine juſta cauſa conſentire nolint, Judex auctoritatem ſuam interponet, ut tamen ſalva maneat mulieri teſtandi libertas, ut ex *Dd. tradit Alb. Gentil. dict. cap.* 5. Eodem modo, ſi Teſtator juſſerit nihil fieri ſine certi hominis, puta Titii, conſenſu, & is conſentire nolit, à magiſtratu aut cogetur is conſentire, aut non expectato ejus conſenſu id fieri permittetur ab heredibus. *Alb. Gentilis d. loc.*

II. Utuntur, vel potius abutuntur dicto Chriſti *Matth.* 19. *Quos DEUS conjunxit, homo non ſeparet.* Reſp. 1. ex eo, quod graviſſimi ſcripſerunt duo Juriſconſulti Galli Joan. Coraſ. & Franciſc. Conanus. Coraſ. *lib.* 1. *Miſcell. c.* 17. *n.* 10. ait: neque enim leves, vanos, ſtultos, imprudentes, repentina aliqua affectione permotos, per fraudem illectos juvenes, futuroſq; per omnem vitam propter morum diſſimilitudinem diſcordes DEUS OPT. MAX. jungit. Hoc enim tantum copulat, quod ritè & honeſto modo jungitur. Conanus autem, potéſtne (inquit) conjunxiſſe eos DEUS videri, quos intemperans libido, effrenataq; animi cupiditas conciliavit? Subjicit tamen ibidem in gratiam Pontificiorum: ſed nolo pluribus agere, ne videar os in cœlum ponere. Quid publica omnino utilitas, parentum poteſtas & religio, filiorum pudor & obſervantia, matrimoniorum fides & honeſtas deſideret, facilè eſt judicare.

III. Sic colligunt: Servus poteſt invito Domino contrahere matrimonium. Ergo & filius multo magis invito patre poterit. Probatur antecedens per *c.* 1. *De conjugio ſervorum.* Deinde & hac ratione: Quia matrimonium ſit res ſacra ſive ſacramentum, teſte Paulo. Et in ſpiritualibus ac ſacramentis nulla ſit liberorum hominum & ſervorum differentia. Conſequentiæ ratio eſt, Quia filio non debet denegari quod ſervis conceditur, cum longè ſit arctior domini cauſa, quàm patria poteſtas: illa blanda, hæc ſevera. *Tertull.* 2. *adverſus Marcion.* Reſp. ad probationem antecedentis. 1. quæ ſumitur ex cap. 1. *De conjug. ſerv.* eam conſtitutionem eſſe Juris Pontificii recentioris, cui meritò opponemus alios antiquiores Canones prohibitorios & conformes Juri civili. 2. In ratione illa multa ſumuntur pro confeſſis ac certis, quæ ſunt in quæſtione; ſive principium petitur. Nam quod dicitur ſacramentum & juris ſacri eſſe matrimonium, id verum non eſt, niſi quoad arcanam illam ſignificationem, quâ Chriſti cum Eccleſia conjunctio arctiſſima denotatur. Cæteroquin autem verius videtur quod matrimonium ſit Juris civilis & privati, non publici, non ſacri. De quo latius *Giph. in Comment. ad* 5. *Cod. in pr.* Plura hujuſmodi argumenta, puta à voto filiif. ad matrimonium, hîc ſciens prætereo, quorum refutatio videri poteſt *apud Steph. Maleſcot. de nupt. c.* 4. *Oldend. cl.* 4. *act.* 26. *Alber. Gentil. de nupt. lib.* 4. *c.* 4. *& ſeqq.* qui etiam *d. c.* 4. allegat ex Paponio Areſta quædam Parlamenti Gallici in curia Pariſienſi, quibus raptus eſſe declaratur, ſi ſine conſenſu patris nubat filia. Et laudat orationem eruditiſſimi viri Gentiani Herveti, quam habere ſtatuerit in Concil.

Tridert.

Digitized by Google

Trident. Ne matrimonia filiorumfam. ſine conſenſu patris legitima habeantur, & *Gabr. Paleotum de Nothis c.8. B.Chaſſan.&c. P.Greg. quoque in Syntagmate Iuris univerſi lib.9. c.3. n.24.* laudat conſtitutionem Henric. 2. Regis Gall. Anno 1556. promulgatam (inquam & Joan. Coraſ. commentarium ſcripſit) qua prohibentur hujuſmodi matrimonia liberorum invitis parentibus,& quidem ſub triplici ferè pœna. I. Ut à parentibus poſſint ob id exheredari,& omnibus donationibus tanquam indigni privari. II. Ut ſint incapaces omnium lucrorum matrimonialium, quæ vel ex conventione vel ex conſuetudinibus locorum alioquin obvenirent ipſis à parentibus. III. Ut inſuper arbitrio judicis puniantur. Excepit tantum conſtitutio liberos,qui eſſent majores vel 25. vel 30. annis. Et hos tamē juſſit prius conſulere parentes, quorum conſenſum etiamſi non impetrent,immunes à pœna eſſe voluit. Honeſtiſſima certè & æquiſſima ſalubertimaq; conſtitutio, & quam meritò alii Princpes ac Rerump. gubernatores imitentur.

Sed ut ad Jus Canonicum revertar, verius eſſe puto,quod & doctiſſimis viris placuiſſe video, *Jo.Coraſio, Borcholdo dd. locis Dan.Mollero lib.1. ſemeſtr. c.47. per totum, & maximè. n.16. Alb.Gentili d. libr.4. de nupt.* Nullam hîc eſſe differentiam inter Jus civile & canonicum,ſed potius ſummum eorum conſenſum ſuper conſenſu paterno in nuptiis liberorum: & commentitium eſſe illud diſcrimen inter neceſſitatem & honeſtatem, quaſi honeſtum duntaxat, non etiam neceſſarium ſit, ut conſenſus parentum liberis in eorum matrimoniis requiratur & adhibeatur. Imò hoc ipſo quod fatentur, honeſtum eſſe ut adhibeatur conſenſus, non animadvertunt ſe ſtatuere neceſſitatem. Nam in conjunctionibus ſemper non ſolum quid liceat obſervandum & ſpectandum, ſed etiam quid honeſtum ſit. *l.ſemper.42. de rit.nupt. l.197. ſemper in conjunctionib. de Reg. Iur.* Quod ſi omnino aliqua eſſent loca Juris Pontificii, quæ conſenſum parentum non neceſſariò exigerent,fatendum eſſet *cum Weſ.in π. de rit.nupt.n.3.& aliis,* diſcrepare in ea re Canones recentiores ab antiquioribus, & meritò ſtandum antiquioribus, utpote concordantibus non ſolum Juris civilis manifeſtæ ſanctioni, verum etiam præceptis atq; exemplis ſacrarum literarū ſive juri divino. *De quo vid.Schneid.de nupt.d.par.2. Et Petr.Martyr.ad c.14.judic.* ubi de exemplo Samſonis, Dalilam non ſine conſenſu parentum ſuorum ducentis,extat hiſtoria. In Jure quidem civili, & legibus ſecularibus valet regula,Poſteriores leges derogare ac prævalere prioribus.*l.ult.ff. de conſt.Princ.* Sed in rebus divinis valet alia regula,videlicet, Antiquiſſimū quodque veriſſimum:adulterinum quodcunq; poſterius:nec ſemper meliores ſunt poſteriores Canones & conſtitutiones,ſed ſæpe etiam deteriores:quod in multis demonſtrat egregiè Innoc. Gentiletus *in Apolog. Eccleſ. Gallic. & Greg.Tradel. in libello de Eccleſ.* Antiquiores verò Canones, quibus in hac re niti debemus, ſunt *in c.1. Aliter. & c.3. noſtrates.30. quæſt.5. c.12. non omnis. §. paterno arbitrio &c.honorantur. 32. quæſt.2. c.3. videtur. qui matrim. accuſare poſſ. ubi Cujac. hoc notat.* Sed & ad alia loca, quibus conſenſus parentum non videtur requiri, facilè reſponderi poteſt, ea nihil adverſari vel Juri civili, vel canonibus veteribus. *vid. Borchold. De gradib. ibid. pag.66. verſ. non obſtat igitur.* ubi docet, nuſquam diſertè excludi parentum conſenſum. Quod & veriſſimum eſt. Videatur de hoc eodem

Digitized by Google

argumento etiam *Fr. Hotom. Ill. q. 9. & Petr. Heigius q. 22.* ubi de clandeſtinis Sponſalibus multa affert.

CAPUT IV.

QVAESTIONES QVAEDAM CIRCA MATRIMONIVM ſine conſenſu parentum à liberis contractum diſſolvuntur. Profertur SC. Norimbergenſe de ejuſmodi matrimoniis.

NUnc poſtquam didicimus & divino ac naturali, & Gentium, & civili, & canonico Jure omninò neceſſarium eſſe conſenſum in nuptiis liberorum, eoque non adhibito illas injuſtas eſſe: non intempeſtivè hîc quæritur de his quatuor. 1. An ergo matrimonia hujuſmodi, quæ invitis parentibus contracta ſunt, per parentes dirimi poſſint. 2. An pater exheredare poſſit liberos ob talem cauſam, quod ipſo invito matrimonium contraxerint. 3. An pater nihilominus cogi poſſit ad dandam dotem filiæ, vel donationem propter nuptias filio, qui quævè matrimonium abſque conſenſu ejus contraxerit. 4. An ſtatutum, ne ſine conſenſu parentum liberi nubant, valeat. De quibus ordine & breviter quid ſit Juris explicabo.

Ad I. Quæſtionem reſpondendum eſt negativè, patrem talia matrimonia dirimere non poſſe. Et ratio eſt, quia res non eſt amplius integra, multaq; ex illa diremptione ſequerentur incommoda, quæ præcavere atque evertere præſtat, quàm admittere: accedit favor matrimonii & ſobolis, publicæque utilitatis contemplatio: quam nominat *Paul. 2. ſent. t. 19.* & privatorum commodis anteferendam eſſe ait. Item huc facit, quod ait *l. 8. ff. de his qui ſunt ſui*: Multa impediunt matrimonium contrahendum, quæ non diſſolvunt contractum. *vid. eundem Paul. 5. tit. 6. de interd. & Vlp. in l. 1. ff. de lib. exhib.* Ubi tamen JC. ſignificat, ſtricto jure patrem jure poteſtatis potuiſſe talia matrimonia dirimere; Sed perſuadendum ei potius, ne acerbè ſuo jure utatur, néve interdicto de exhibendis liberis adverſus conjugem ſuæ ſobolis agat: memor videlicet illius, patriam poteſtatem non in atrocitate, ſed in pietate conſiſtere debere: ut eſt *in l. 5. ff. de ſicar. vid. quoque Schneid. ad tit. de Nupt. p. 2. num. 35. & 2. ſeqq.* ubi diſtinctionem quandam affert.

II. Ad exheredationem quod attinet, an ea juſtè fiat à parentibus ex tali cauſa, in hac quæſtione diſſentientes ſunt opiniones. Aliqui ſine diſtinctione negant hanc eſſe juſtam cauſam exheredationis: quorum ſententiam probat *Cujac. 3. obſ. 5. & Borch. ſequitur in tr. de grad. p. 70. & ſeq. & ante illos latè Decius ad l. nuptias. ff. de R. I. nu. 10. & ſeqq. & Io. Coraſ. 1. c. 17. num. 5.* Ratio eſt, quia quod lege permittente fit, non meretur pœnam, *per l. 4. C de adult.* At lex Canonica permittit liberis matrimonia non expectato parentum conſenſu: ut vulgo perſuaſum eſt, & probat *Sichard. ad l. ſi ut proponis, &c. n. 6. C. de nupt.* Sed de hac ratione non immeritò dubitari poteſt, ob ea, quæ paulò ante diximus. Verior igitur ratio eſt, Quia hæc cauſa non ſit expreſſa *in Novell. 115.* qua comprehenſæ ſunt

cauſſæ

Digitized by Google

cauſſæ exheredationum non temerè ampliandæ, cum ſint odioſæ, *arg. l. 19. cum quidam. ff. de lib. & poſth.* Sicut autem non poteſt filius hereditate ob hanc cauſam privari à patre, ita neque alimentis: *Decius d. loc. num. 14.* Quia tamen inter alias cauſas exheredationis *in d. Nov. c. 3.* etiam hæc numeratur, ſi liberi ſe turpibus perſonis applicuerint: videtur etiam tali ex cauſa permiſſa eſſe exheredatio, ſi utrumque concurrat, ut & ſine conſenſu parentum liberi matrimonium contrahant; & cum infamibus perſonis contrahant: *vid. Hotomann. quæſt. 9. Sichard. ad d. l. 5. Ant. Cont. 1. ſubſec. cap. 4. Vaſq. 1. de ſucceſſ. creat. §. 1. num. 635. & ſeqq. Fr. Sarment. 1. ſelect. c. 11.*

Alii verò contra putant, hanc juſtiſſimam eſſe exheredationis cauſam: quam ſententiam *Hieronymus Schurpff. in conſil.* defendit. Eandemq; & leges municipales quorundam locorum probarunt.

III. Sequitur 3. de dote & donatione propter nuptias, an illa nihilominus liberis à parentibus, quorum conſenſus requiſitus non eſt, debeatur. Certum eſt aliàs, officium patris eſſe, non ſolum filiabus ſuis dotem, ſed & filiis donationem propter nuptias conſtituere, adeoq; cogi poſſe patrem ad id faciendum implorato judicis officio, ut pulchrè docet *Iohan. Sichard. ad l. fin. C. de dotis promiſſion.* etiamſi filia dives haberet bona propria, unde ſe dotare poſſet. *Sichar. d. l. num. 18.* Nunc autem quæritur, an etiam expiret hæc paterna obligatio per matrimonium liberorum ſine conſenſu contractum. Hæc quæſtio ejuſq; reſolutio ferè dependet ex ſuperiore. Nam cum æquis paſſibus incedant exheredatio & dotis privatio; ſi ſtatuamus exheredationem valere ob talem cauſam factam, eadem opera etiam patrem abſolvimus neceſſitate dotandi filiam: & contrà, ſi dicimus, patrem non poſſe liberos exheredare, ſimul dicimus, eum cogi poſſe dotare & donare propter nuptias: *vid. Sichard. ad dict. l. fin. n. 8. & ſeqq.* Noribergæ uſque ad legitimam, non verò in totum poſſunt exheredari liberi, qui invitis parentibus matrimonium contraxerunt: iiſdemq. non debetur dos aut donatio propter nuptias aut quicquam ex bonis parentum, quamdiu hi ſuperſtites ſunt: Qua de re extat Senatuſconſultum Norimbergenſe ſecundum quod in judicio pronuntiari ſolet: quod ſubjicio:

Nach dem der Eheſtand von Gott dem HErrn ſelbſt eingeſetzt vnd verordnet / vnd durch Jeſum Chriſtum vnſern HErrn vnd Heyland beſtetiget / auch in Krafft vnd Außweiſung der Käyſerlichen Recht / natürlichen Vernunfft / vnd ſchuldigen Danckbarkeit / die Kinder jhren Eltern gehorſam zu leiſten ſchuldig / vnd mit jhrem Rath / Vorwiſſen vnd Willen / verehlicht werden ſellen / Dem aber zuwider / vnd vber eines E. Raths dieſer Stadt Nürnberg / mehrmahlen geſchehene Chriſtliche Verwarnungen vnd Edict / in der Stadt vnd auff dem Land / durch jhre Burger / Vnterthanen vnd Verwandten / eine Zeithero vielfältig gehandelt worden.

So iſt demnach eines Ehrſamen Raths nochmalen nicht allein ernſtlicher Will / Meynung vnd Befelch / daß fürohin kein Kind / ſo noch vnter Väterlichem Gewalt / oder der Vormünder vnd Curatorn Verſorgung iſt / ſich ohne Rath / Vorwiſſen vnd Willen ſeiner Eltern vnd Vormünde / Ehelich verſprechen / ver-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

IV. Sed an valebunt ſtatuta, Ne matrimonia liberorum abſque conſenſu parentum contracta valeant, & ut liberi puniantur ex tali cauſa? Canonici Juris interpretes & horum ſequaces, negant hujuſmodi ſtatuta à laicis fieri poſſe: tum quia ſint contra libertatem matrimoniorum, quibus non debet ullum afferri impedimentum. *l. cum tale. §. reſcriptum. ff. de cond. & demonſtrat.* tùm quia ſtatuta hæc decernerent aliquid ſuper ea re, in qua Laicis nulla competat juriſdictio, cum matrimonia regantur jure poli, non fori, ut dicunt *ex cap. fin. extr. de ſecund. nupt.* Ita tenet *Ioan. And. in c. ſtatutum. de haret. in 6. quem & Ph. Dec. allegat. ad d. l. nuptias de* R. I. *& Coraſ. 1. Miſcel. 17. ſub num. 5. vid. & Iohan. Sichard. ad l. ſi ut proponis num. 5.* Apud Juris autem Civilis interpretes nullum eſt dubium de talis ſtatuti validitate. Congruit enim cum jure communi: à quo cum revera nihil diſcrepet Jus canonicum, ut ſuprà probavimus, dixerim omni jure firma ac valida eſſe hujuſmodi ſtatuta, ut quibus liberi tantò magis etiam in officio & pietate parentibus debita contineantur. Nec obſtant duæ illæ prius in contrarium adductæ rationes. 1. Non idcirco minus libera manebunt aut coactiora eſſe incipient matrimonia, etiamſi jubeantur liberi parentum adhibere conſenſum. Nam liberum eſt etiam quod ſub certa lege liberum eſt, ut ſuprà docui. 2. Quod laici dicuntur nullam habere juriſdictionem in cauſis matrimonialibus, id falſum eſt, & in Impp. contumelioſum, quorum reſcripta plurima de matrimoniis *in lib. 5. Cod.* extant, de quorum firmitate non licet ſine crimine læſæ Majeſtatis dubitare: & eſſet hoc proximum ſacrilegio crimen. Ad illud autem *c. fin. de ſecund. nupt.* reſpondetur, eſſe ex Jure Pontificio poſteriore & ſequiore, cum jam Pontifices Romani ſecularem poteſtatem magnoperè enervaſſent & imminuiſſent, multaq; ad eam pertinentia invaſiſſent. Nihil igitur moramur anathematiſmum Concilii Tridentini in can. 12. qui ſic habet: Si quis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos, anathema ſit: Siquidem hoc volunt illi Patres, (ut certè volunt) ad Eccleſiaſticos ſolos pertinere. Opponimus autem ipſis conſuetudinem & auctoritatem veteris Eccleſiæ, quæ nunquam cauſas matrimoniales ita ad ſuum forum tranſtulit, ut prorſus excluderet politicum magiſtratum, præſertim ſi Chriſtianus eſſet. Nam leges ferre pertinet ad magiſtratus officium, ut rectiſſimè *Mart. Chemnitius* ad illum canonem notavit.

CAPUT V.

DE PUBERTATIS AESTIMATIONE.

SAtis hucuſquè de conſenſu parentum. Nunc ad alias exponendas differentias procedamus. Notum eſt ex Inſt. inter cætera requiſita juſtarum nuptiarum eſſe etiam ætatem juſtam, ut maſculi quidem ſint puberes, feminæ verò viripotentes, *init. tit. De nupt.* Pubertatem verò non ex habitu corporis inſpecto, ſed ex annis æſtimandam definiendamqe eſſe, in maſculis quidem 14. anno completo, in fœminis verò poſt duodecim annos completos *init. tit. Quib. mod. tut. fin.*

Repu-

Repudiatâ enim Caſſianorum ſententiâ, qui contendebant, puberem eſſe eum, qui habitu corporis pubes appareret, id eſt, qui generare poſſet, rejectâ quoque opinione Priſci, qui ex concurſu utriuſque pubertatem æſtimari volebat, id eſt ex habitu corporis & ex numero annorum, *teſte Vlp. in frag. tit. 11. §. ult.* Juſtinianus probavit Proculejanorum ſectam, *l. ult. C. quan. tut. vel cur. eſſe deſ.* & ante ipſum probarunt eandem. *Dioclet. & Maximianus in l. 4. ſi frater. C. qui teſtam. fac. poſſ. in verb. licet vigoris nondum emerſiſſent veſtigia*: ubi quod de ætate 25. affert *Accurſ.* totum eſt nugatorium. Imò veſtigia vigoris appellant Impp. habitum corporis ſive pubem, cum quis veſticeps factus eſt: cui opponitur inveſtis: ut ex Lucretio, Agellio, Auſonio, Iſidoro probat. *Cujac. ad c. 3. ext. de ſponſ. impub.*

Caput VI.

De Gradibus Cognationis, eorumque ſupputatione & uſu.

Sequitur de Gradibus ut videamus: ubi hoc præmiſero paralipomenon ſuperiorum, In ſtatutis. *Norimb. tit.* 28. *l.* 9. pœnam clandeſtinorum matrimoniorum, & neglecti conſenſus parentum hanc eſſe, ut liberi parentes ſuos, quamdiu vivunt, non poſſint convenire aut cogere ad præſtandam dotem, vel donationem propter nuptias. Deinde ut parentes in ſuo Teſtamento poſſint liberos ob hanc inobedientiam exheredare uſque ad legitimam &c.

Hic multiplex eſt differentia inter utrumque Jus, tùm quoad vocabula quædam: tùm quoad uſum graduum, tùm quoad ſupputationem ſeu numerationem eorum, tum quoad prohibitionem conjunctionis: tum denique quoad affinitatem: De quibus ordine cognoſcendum nobis eſt.

Et primum quidem in vocabulis notanda venit differentia. Conſanguinitas Jure civili anguſtè ſumitur tantum pro fraternitate germana, & ſpecies eſt agnationis. Conſanguinei enim vocantur fratres ex eodem patre nati. *§. 1. & aliquot ſeqq. Inſt. de leg. agn. ſucceſſ. §. vulgo quæſito 5. l. de ſucc. cogn. Et utroque in loco Cujac. in Not. Inſt. Idemq; hoc annotat. in Recit. Decret. ad Rub. De conſang. & affin.* nec uſquam aliter in Jure civili hoc verbum uſurpatur. At Jure Canonico latiſſimè ſumitur conſanguinitas pro qualibet propinquitate, ſeu cognatione, pro omni Jure ſanguinis, quæ & parentela paſſim appellatur, quamquam parentela etiam de affinitate uſurpetur. Exempla ubi ſic accipiatur conſanguinitas ubique obvia ſunt non modo *ſub d. tit. Decretal. De conſanguin. & affin.* ſed etiam de variis capp. *ſub. 35. maximeque in c. 2. ad ſedem. 35. q. 5.*

Ad uſum graduum quod attinet, Jure quidem civili ſupputatio graduum præter alias utilitates à Paulo enumeratas *in l. 10. ff. de gradib.* maximè omnium inſervit hereditatibus ab inteſtato, ut ſciamus, quis defuncto, de cujus hereditate quæritur, ſit proximus. Nam proximo defertur hereditas excluſis remotioribus, ut in *L. XII. Tab.* Agnatus proximus familiam habeto, *init. tit. l. De legit. agn. ſucc.* Idque etiam ratione ordinis & collocationis patet. Tam enim in Pandectis quàm in Inſt. *& ſent. Pauli tit. de Gradibus* ponitur inter eos, quibus de ſucceſſione agitur.

Digitized by Google

agitur. In tractatu de Nuptiis Jus civile pauciſſimis tantum locis nominat Gradus, *ut §. fratris. in verb. quamvis quarto gradu. l. de nupt. l. 17. per adoptionem. §. 1. ff. de rit. nupt. Ulp. in frag. tit. 5. §. inter parentes. Sicut etiam B. Ambroſ. Ep. 66. ad Paternum*, ubi quæſtionem tractat de nuptiis vel prohibitis, vel permiſſis. Ratio eſt, quia cum naturalis pudor & honeſtas in nuptiis ſpectanda ſint. *l. 12. adoptivus. ff. de rit. nupt.* non eſt ibi opus ſubtili graduũ computatione, ſed res facilius expediri poteſt commemoratione perſonarum conjungi prohibitarum: idque exemplo non tantum Juſtiniani, *in tit. De nupt.* Verum etiam ipſius Dei *in Levit. c. 18. & 19.* aliorumque Legislatorum. Jus verò Canonicum doctrinam de Gradibus adhibet ad tractatum de nuptiis vel prohibendis vel permittendis. Diſertè hoc fatetur *Alex. II.* (qui ſedit Pontifex cum imperaret Henric. IV.) *in c. 2. ad ſedem. 35. q. 5.* In legibus (inquit) ob nihil aliud (intellige de præcipuo & potiſſimo uſu: Nam alioqui plures ſunt graduum utilitates. *d. l. 10. De gradibus*) ipſorum graduum mentio facta eſt, niſi ut hereditas vel ſucceſſio ab una ad alteram perſonam inter conſanguineos deferatur. In Canonibus verò ob hoc progenies computatur, ut apertè monſtretur, uſque ad quotam generationem à conſanguineorum ſit nuptiis abſtinendum. Ibi præſcribitur, ut hereditas propinquis modo legitimo conferatur: hic verò ut ritè & Canonicè inter fideles nuptiæ celebrentur.

Supputatio ſive numeratio ipſa Graduum immanè quantum diſcrepet in utroque Jure. Dico de gradibus ex tranſverſo, ſive (ut vulgo loquimur) in linea collaterali. Nam in linea directa ſive perpendiculari, nulla eſt diſcrepantia inter Jus civile & Canonicum: ſed eodem modo gradus numerantur utrobique & quo gradu quiſque ab altero diſtat jure civili, eodem etiam Jure Canonico diſtat. Hanc convenientiam plurimi ſcriptores teſtantur, & res ipſa loquitur. *vid. Schneid. ad tit. de Nupt. ſub cap. de arbor. conſ. num. 10. & ſub cap. De arbor. canon. num. 2. Cujac. in Rubr. de conſang. & affin.* Modus tamen operandi diſcrepat. Nam Canoniſtæ in ſua regula de lineæ rectæ gradibus jubent numerum inire perſonarum, & unam demere: quod eſt ferè abſurdum, certè planè ἄτεχνον. Jus autem civile artificioſè docet numerare generationes, & inde numerum definit graduum. Unaquæque enim generatio efficit gradum, *arg. §. hactenus. ubi Cujac. in Not. Inſt. de grad. cogn.* Et hæc unica Juris civilis regula rem totam conficit, in quocunque limite ſive ordine verſemur, ſive quæratur de iis, qui ſunt ſibi invicem conjuncti in linea recta, ſive de illis, qui à latere & ex tranſverſo, & quidem ſive in linea æquali ſive inæquali. Ubique enim, ut ſciamus quoto gradu quiſque ſit alteri conjunctus, ex Juris civilis præſcripto numerabimus generationes, ſive perſonas generatas: ſemper enim perſona generata adjicit gradum, *ut ait Imp. d. §. hactenus.* Ubi notandum quam cautè loquatur. Non enim ſimpliciter dicit, perſonam quamlibet conſtituere gradum (hoc enim falſum eſſet) ſed perſonam generatam adjicere gradum, ut ſignificet, Generationem eſſe cauſam & fundamentum graduum. Ita nos numerare gradus docet latè Theophilus in paraphraſi ſeu protheoria ſua *ad tit. De legit. agn. ſucceſ.* ut rem verbo explicem, inquit, Quot generationes, tot invenies & gradus. Et infra. Nam ita numerum inire debes, ut ſingulis generationibus ſuum gradum aſſignes. Exempla ibidem

D ſubjecta

Digitized by Google

ſubjecta hujus regulæ videat & examinet quiſque per ſe ipſum. Omiſſa igitur graduum computatione in linea recta, ut in qua conveniant vi ipſa Jus Canonicum & civile, videamus de linea tranſverſa. Hic mira monſtra procuderunt Canoniſtæ, quorum tamen patrocinium ſuſcipit Ieſuita Bellarminus. *lib. 1. de matr. ſacram. cap. 24.* refutatus nuperrimè *ab Alb. Gentil. lib. 5. cap. 6.* Prima autem eorum quaſi ab ipſa janua aberratio eſt, Quod in ordine tranſverſo ſtatuunt primum gradum: & dicunt fratrem fratri vel ſorori in primo gradu conjungi: Eos verò novo & inaudito & profano errore duci, qui dicant eos in ſecunda eſſe generatione. *d. c. 2. ad ſedem. & c. 4. parentela. 35. quæſt. 5.* Cui ſententiæ repugnat non modo auctoritas juris civilis, quo diſertè dicitur aliquot locis, cognationem quæ ex tranſverſo numeratur aut venit, à ſecundo gradu incipere, & ex tranſverſo nullum eſſe primum gradum, *ut Inſt. de gradib. cognat. in fin. pr. ibidemque Theophilus l. 1. §. 1. l. 9. ſtemmata. l. ult. §. nam quoties. ff. eod.* Item, Sororem ad fratrem obtinere ſecundum gradum. *l. 3. C. de legit. hered.* neque ſolum ipſa recta ratio, Quia frater ex fratre non generatur, neque ſoror ex fratre vel ſorore, ſed uterque ex communi parente: Ergò cum hic deficiat generatio, gradus quoque primus deficit: verum etiam ipſum Jus pontificium. Sic enim ſcriptum eſt *in c. ult. d. c. & q.* ſecundo gradu continentur tranſverſà (lineâ) frater ſoror. Ut demirari liceat oſcitantiam Gratiani collectoris Decretorum, qui in eundem locum tàm contrarias ſententias retulerit, nunc dicens fratres primum conſtituere gradum, nunc ſecundum. Ad quod capitulum obiter notandum, quamvis ei præſcripſerit Gratianus nomen Iſidori, tamen ipſius non eſſe, ſed Julii Pauli *lib. 4. ſent. tit. 11. De Gradib.* admixtis etiam Aniani interpretamentis: ut egregiè primus quod ſciam demonſtravit *A. Contius 1. ſubſec. c. 10.* hac prolata graviſſima ſententia: Alterum mihi crimen falſi eſſe videtur, falſum quod in altero deprehenderis, excuſare vel diſſimulare; ut alterum parricidium rectè dixit Papinianus, parricidium defendere. Eſt & hoc notnadum: Quantuſcunque ſit numerus fratrum vel ſororum, tamen omnes inter ſe eſſe ſecundo gradu, nec multiplicari propterea gradus. Nam cum omnes ex æquo ab uno parente procreati deſcendant pro uno eodémque computantur, neque in plano gradus eſſe poſſunt. *gl. in verb. à ſecundo. & verb. generata. 1. de Gradib.* Nec morari nos debet argumentum Bellarmini, quaſi, abſurdum ſit ſtatuere ſecundum gradum ſine primo. Reſpondendum enim Jus ciivle non ſtatuere gradus, ſed à natura conſtitutos ſequi. Gradum eſſe tranſitum à proximo in proximum. A fratre autem non ſtatim tranſiri ad fratrem, ſed prius & prox. ad patrem, indeque porrò ad fratrem. Illi potius abſurditatem incurrunt maximam, qui fratrem fratri in primo gradu conjunctum dicunt. Non enim animadvertunt, ſe ex uno fratre patrem, ex altero filium facere: Ex fratribus, inquam efficere parentes & liberos. Nam horum eſt, conjungi ſibi invicem primo gradu. Neganda quoque eſt hæc Bellarmini conſequentia: Si duo ſint fratres, uterque fratrum in primo gradu eſt cum ſtipite (ita vocat communem parentem ex quo ambo deſcendunt) Ergo etiam inter ſe neceſſe eſt illos eodem gradu conjungi. Non ſequitur: Filius primus eſt patri conjunctus primo gradu. Ergo idem eodem gradu erit etiam fratri ſuo

ſuo conjunctus. Diverſa enim longè eſt σχέσις ſive habitudo inter parentes & liberos, alia inter fratres: ut meritò hic dici poſſit illud vulgare: A ſeparatis ac diverſis factam illationem non valere: Quia ſeparatorum ſeparata debet eſſe ratio. *l.ult. ubi Bart. ff. de calum.* Eademq; aptanda eſt reſponſio ad alteram ipſius generaliorem argumentationem, quam habet ibidem: Perſonæ in ordine transverſo non conjunguntur, niſi ratione ſtipitis à quo procedunt: Ergo non poſſunt inter ſe magis aut minus diſtare quàm à ſtipite diſtent: ſive neceſſe eſt, ut eodem gradu inter ſe conjungantur vel diſtent, quo ſtipiti conjunguntur, vel ab eo diſtant. Imò poſſunt aliter à ſe invicem diſtare, quam diſtent ab eo, à quo deſcendunt: nullaque eſt neceſſitas, ut eodem gradu, ſive diſtantiâ utrobique utamur, propter diverſam, ut dixi, [illegible]um σχέσιν ſive habitudinem. Sic quod *Zach. Pontifex in d. c. 4. 35. quæſt. 5.* ait, Ego & frater meus una generatio ſumus: indeq; infert: Ergo primum graudm efficimus: negandum eſt antecedens. Non enim una eſt hic generatio, ſed duæ. Aſcendendum eſt enim primo à fratre ad communem parentem, quæ eſt una generatio: & rurſus ab eodem deſcendendum ad alterum fratrem, quæ eſt altera generatio. Ita videmus, quã falſis nitantur prinicpiis, ex quibus nil mirum, ſi falſæ inferantur concluſiones. Ex veris verum, de veris nil niſi falſum.

Porrò ut ſolent dato uno inconvenienti ſequi plura, & error eſſe fœcundus, ita hîc quoq; unum Canoniſtarum errorẽ plures ſunt cõſecuti. Poſteaquam enim fratrem fratri in primo gradu conjunxerunt, conſequens fuit ipſis dicere, patrueles & conſobrinos, id eſt fratrum & ſororum liberos, eſſe in ſecundo gradu, qui ſunt Jure civili in quarto: patruelium & conſobrinorum filios eſſe in tertio gradu, quos conſtat Jur. Civ. eſſe in ſexto: Et horum rurſus liberos, qui ſunt Jur. Civ. in octavo gradu, eſſe in quarto. In ſumma, Ex duobus gradibus civilibus, fecerunt unum Canonicum: ut & Bellarminus fatetur d. loco feciſſe Alex. II. ſive ut ait *Cujac. ad rubr. de conſang.* ubi Jure civili duo ſunt gradus, jure Pontificio eſt unus tantum. Quod nihil eſt aliud, quàm rerum naturam immutare, & efficere velle, ut bis duo non ſint quatuor ſed duo, bis tria non ſex, ſed tria, bis quatuor non octo, ſed quatuor.

Sed cognoſcamus & regulas ipſorum duas de tranſverſo ordine, quæ referuntur *in c. 3. quod dilectio. & c. fin. ext. de conſan. & affin. quas explicat Io. And. in Arb. conſang. Schneidevv. ad tit. De nupt. Et retinet etiam Ph. Melanch. in libell. De conjug. & Georg. Major. in regg. & tabell de arb. conſang. & affin.*

Prior eſt: In ordine collaterali in linea æquali quoto gradu quis diſtat à communi ſtipite, toto diſtant inter ſe.

2. Eſt, In ordine collaterali in linea inæquali quoto gradu remotior diſtat à communi ſtipite, toto inter ſe diſtant. *vid. etiam de his Reg. 4. Meth. I. P. c. 13. Ex c. 1.* Ubi non injuria quæras, cur non ſumant diſtantiæ rationem à proximiore potius quàm à remotiore. Quod certè Norvvegi faciebant: *teſte Cujac. ad c. 3. & ult. extr. de conſang. & affin.* Verum cujus rationis ratio nulla eſt, ejus rationis rationem quærere, ratio nulla eſt, ut ait *Cornific. ad Herenn.* Placet enim vehementer, quod ſcribit *Cujac. d. loco*: Non fuiſſe ullam idoneam cauſſam cur Rom. Pontifices aliter numerarẽt gradus quam Juris civilis auctores, niſi fortè nimium

Digitized by Google

ſtudium, quo ducebantur coërcendarum, ne dicam arcendarum nuptiarum. Sed hunc ſcopum alia ratione attingere potuiſſent, etiamſi rerum naturam non pervertiſſent nova, dimetiendorum graduum figura excogitata. Conantur quidem afferre aliquot rationes differentiæ, quod ſcilicet in hereditatibus & tutelis, quas ſpectat Jus civile, tranſitus fiat de perſona una in aliam: Sed in nuptiis, quas Jus Canonicum conſiderat, ex duobus conjugibus fiat una caro: ſecundum illud, erunt duo in carnem unam. Ita *Bald. ad l. 8. ff. de rit. nupt. & ex eo aliis Dd. ut & Chriſt. Porcius ad tit. Inſt. De Gradib.*

Verùm non inde ſequitur bona conſequentiæ ratione: Ergo etiam gradus, qui Jure civili ſunt duo, Jure Pontificio unum conſtituent; ut latius demonſtravit *Hotomann. in Comment. de Gradibus. De caſt. & inceſt. nupt. & alibi, ac poſt eum Th. Beza. in tr. De repud.* Quamquam igitur, ut dixi, idonea ratione caret illa computatio Canoniſtarum, tamen etiam ſuos inter elegantiores Juris interpretes nacta eſt patronos. Duarenus quidem certè eam excuſat *ad init. tit. ff. ſol. matrim. & c. 5. ad tit. ff. de inof. teſt.* ac putat, tametſi incommodius locuti ſint Pontifices, non malè tamen ſenſiſſe &c. quod equidem quale ſit, non intelligo. Quæri hîc poteſt, quando igitur cœperit aliter fieri ſupputatio graduum Pontificia, ſive quam vetuſta? Et aſſentior Cujacio, qui putat, non admodum vetuſtam eſſe: neque enim vetuſtiores reperiri, qui eam ſecuti ſint, Gregorio I. qui & Magnus dicitur, vixit autem is ſub Mauricio Imp. & Zacharia, qui ſub Pipino. Ex Gregorii Epiſtolis ſive Regeſto ſumpta ſunt hæc loca & in Decretum relata *c. 1. de affinit. c. 16. progeniem. c. 20. quædam lex terrena. 35. q. 2. & 3.* Ejuſque auctoritate nititur etiam *Alex. 11. in c. ad ſedem. §. hanc computationem. d. cauſſa. q. 5.* Ita error iſte magnum patronum habuit: quamquam de Gregorio M. valdè dubitem, fueritnè ſemper hæc ipſius ſententia, quam ei *Alex. 2.* aliiq; tribuerunt. Movet me. *d. c. 1. p. 35. quæſt. 2 & 3.* ubi hereditas per legales definitiones dicitur ſancit uſque ad 7. generationem ſive 7. gradum: qui profectò non eſt intelligendus 14. id eſt, duplicatus, ut putat *Alex. 11. Papa in d. c. ad ſedem.* Sed potius, ut verba ſonant, ſeptimus. Zachariæ ſententia habetur *in cap. 4. parentela. 35. quæſt. 5.* S. Ambroſius certè, qui nihilo inferior vel ſanctitate, vel doctrina fuit quovis Pontifice Rom. multis etiam ſuperior, diſertè gradus computat eodem modo, quo jus civile: ut videre eſt *Ep. 66.* ubi de Nupt. licitis vel illicitis agit. Quin & Græcæ Eccleſiæ Patriarchæ gradus cognationis nunquam aliter numerant, quàm Juris civilis auctores: ut videre eſt in Jure Orientali, quod edidit Enimundus Bonefidius & poſt eum Marq. Freherus. Quod ſi etiam eſſet multo vetuſtior Pontificia illa ſupputatio, quàm eſt: tamen antiquus error non fit unquam veritas: & ratio ac veritas ſemper conſuetudini quantumvis vetuſtæ, quantumvis vulgatæ eſt præponenda eamque excludit: & uſus, qui veritati eſt contrarius, abolendus eſt, ut præclarè ajunt Greg. Auguſtin. & Cyprian. quorum ſententiæ relatæ ſunt, *Diſt. 8. cap. 4. & 5. ſeqq.*

Quæri etiam ſolet, utrum in feudis computatio graduum civilis an Canonica ſit obſervanda: *de qua quæſt. dixi in Partit. Iur. feudal. lib. 1 c. 12. quæſt. 8.*

Obſer-

Digitized by Google

Obſervandum hîc obiter de Jure Saxonico, quod à civili pariter & Canonico diſcrepet in quadam parte graduum: videlicet in eo, quod fratrem ex uno tantum latere conjunctum collocat in remotiore gradu, quàm utrinque conjunctum: cujus tamen differentiæ ratio tantum habetur in ſucceſſionibus, non etiam in matrimoniis, *vid. Schneid. Rub. de arb. affin. n. 23.*

Caput VII.

De prohibitione matrimonii alia atque alia, pro utriuſque Iuris diverſitate.

SAtis de differentia computationis graduum: ſequitur, ut de differentia prohibitionis matrimonii videamus. Itaque jus civile matrimonium in linea tranſverſa permiſit inter conſobrinos, id eſt, Duorum fratrum vel ſororum liberos: qui ſunt Jure civili in 4. Jure Canonico in 2. gradu. §. *duorum. I. de nupt.* ubi verior eſt affirmativa lectio. *l. 19. celebrandis. C. de nupt.* Et hæc eſt illa lex terrena in repub. Rom. quam dicit *Papa Greg. in c. 20. 35. q. 2. & 3. c. ad ſedem. §. hanc computationem. 35. q. 5.* Sed ait, ſe experimento didiciſſe, quod ſoboles ex tali conjugio non poſſit ſuccreſcere. Theodoſ. certè eam conjunctionem prohibuerat paulò ante, idque ſtudio pudoris & continentiæ, *teſte S. Aurel. victor. in Ep. de Cæſaribus.* Tantum (inquit) pudori tribuens & continentiæ, ut conſobrinarum nuptias vetuerit, tanquam ſororum. Neque id de Theodoſio mirum, cum religioſiſſimus fuerit Princeps, totuſq; pependerit ab auctoritate Ambroſii, à quo etiam excommunicari ſuſtinuit ob innocentes multos Theſſalonicæ trucidatos, *ut eſt in hiſt. Eccleſiaſtica. vid. Theodoret. lib. 9. Trip. hiſtor. cap. 30.* poſt quem caſum tulit *l. 20. ſi vindicari. C. de pœnis* de differendo ad 30. dies ſupplicio rei, in quem ſeverius ultra modum regularem & conſuetum Imp. juſſerit animadverti. Ambroſius autem in ea fuit ſententia, lege Dei vetitas nuptias conſobrinorum, ut notavit etiam *Alb. Gentil. 5. De nupt. c. 11.* Sed Ambroſii huic ſententiæ meritò opponimus auctoritatem Athanaſii, qui in ſynopſi ſacræ ſcripturæ *ad lib. Numerorum*, ubi de liberis Salpaad disertè ſcribit, illarum occaſione mandatum Domini datum & legem poſitam, qua pro legitimis decernerentur cum conſobrinis inita conjugia. Opponi quoque poſſunt eidem plurima exempla hujuſmodi matrimoniorum ex hiſtoria ſacra, quæ videri poſſunt collecta *ad Inſt. de nupt.* Ad ſummam, Jure civili & Divino permiſſa ſunt matrimonia inter conſobrinos: Ergo in 4. gradu cognationis, ſive ut Canoniſtæ voluerunt in 2. lineæ tranſverſalis æqualis.

At jus Canonicum prohibitionem ſuam multò latius extendit, in eoq; bis terve variavit. Primum enim conſtitutum eſt (*in Concil. Wormatienſi*) ut nulli Chriſtiano ſeu fideli liceret uxorem accipere de ſua conſanguinitate vel uxoris cognatione (id eſt ex affinibus ſuis) quamdiu generatio cognoſci aut memoria retineri poſſe. *c. 16. 17. 18. nulli. 35. q. 2. & 3.* Et hanc ſacrorum præceptionem canonum vocat *Adrian. Papa in d. c. ad ſedem. §. illa quoque.*

Deinde quoniam illa cognationis ſive generationis memoria non facilè haberi aut retineri poſſe videbatur ultra 7. gradum, prohibitio canonica expreſſit

Digitized by Google

ſeptimum gradum. Et ideò videmus ferè pro iiſdem & æquipollentibus hæc duo ſumpta eſſe, Quouſq; generationis memoria retineri poteſt,& uſq; ad ſeptimam generationem vetitas eſſe nuptias. *vid c.1.c.7.nullum.c.16.progeniem.c.17. de conſanguinitate.35.q.2.& 3.d.c.ad ſedem.§.illa quoque.* ubi ait Papa: In ſeptem gradib.ſi canonicè & uſualiter numerentur, (id eſt, ſi conſtituas Jure civili 14. gradus eoq; contrahas ſecundum Jus Pontificium in 7. duobus pro uno computatis) omnia propinquitatum nomina contineri: & ultra eos nec conſanguinitatem inveniri, nec nomina graduum reperiri, nec ſucceſſionem poſſe amplius prorogari, nec memoriter ab aliquo generationem recordari, Plus dicit JCtus naturam rerum etiam ferè non pati vitam cognatorum ulterius conſiſtere. *l. 4. in pr. ff. de grad. Paul. 4. ſent. 11. in fin.*

Caput VIII.

EXAMINANTUR RATIONES PROHIBITIONIS PONTIficiæ uſq; ad ſeptimum vel quartum gradum.

REddiderunt autem de prohibitione uſq; ad ſeptimum gradum rationes quaſdam, ſatis quidem alienas & frivolas, v.g. 1. Jus civile, ſive lex defert cognatis hereditatem uſq; ad 7. gradum. *§. ult. I. de ſucc. cognat.* quam ſententiam abſurdis admodum verbis affert. *c.1.c.35.q.2.& 3.* Hereditas rerum per legales inſtrumentorum diffinitiones ſancita uſque ad 7. gradum protendit heredum ſucceſſionem. Quid enim hoc eſt dicere? aut quis ſanus unquam ita locutus eſt? hereditas rerum protendit heredum ſucceſſionem. Ex hac ratione inferre volunt: Ergo etiam prohibitio conjugii protendi debet ad 7. gradum uſque. Sed quæ eſt hujus conſequentiæ ratio? profectò nulla. Infertur enim à ſeparatis. Quid enim commune habet hereditas cum matrimonio? Certè matrimonii ratione inter conjuges nō ſucceditur, niſi deficientibus omnibus cognatis. *tot. tit. ff. & C. unde vir. & ux. & Cujac. in c. C. & Inſt. De bon. poſſ.* Deinde Jus civile non tantum ad ſeptimum uſq; gradum vocat ad ſucceſſionem cognatos: Sed etiam ad decimum uſq; agnatos. *d. §. fin. De ſucceſſ. cognat. l. ult. C. unde legit.* Si ergo ubiq; ab hereditatib. ad matrimonia rectè arguere poterimus, hinc efficietur, ut debuerint matrimonia etiam ad decimum gradum prohiberi ſaltem inter agnatos, quoniam hi etiamſi decimo gradu ſint, ad ſucceſſionem admittuntur.

Altera ratio æquè eſt impertinens, quam ex Iſidoro ſumpſerunt & retulerunt. *in c. un. 35. q. 4. probavitq; Alex. 2. ad ſedem verſ. ſed ſicut totius.* Sex ſunt ætates totius mundi & hominis, quibus exactis finietur & ſeculi hujus generatio, & ſtatus hominis. Unde inferunt etiam in conſanguinitate, ſeu cognatione, ſeu parentela ſex generationes computandas eſſe, quibus finitis poſſit fieri novæ conjunctionis initium, & propinquitas quæ eſſe deſierat, rurſus repeti vinculo matrimonii, & illa quodammodo fugiens revocari. Hic quoq; nulla eſt ſimilitudo inter VI. generationes ſive millenarios mundi (quibus antiquorum traditio hujus mundi durationem definivit) & inter ſex vel VII. cognationis humanæ prohibendos. Quid aliud hoc eſt, quam ex arena funiculos nectere? & quidvis ex quovis inferre ac probare?

Priuſ-

Digitized by Google

Priuſquam ad prohibitionem quarti gradus pergamus, notandum veteres illos qui nuptias prohibuerunt uſq; ad ſeptimũ gradum cognationis, eodem modo computaſſe, quo Juris civilis auctores; non quomodo poſteriores Pontifices Rom. in quibus Alex. 2. Quod rectè colligit *Cujac. ex. c. 1. 35. q. 2. & 3. ad c. pen. extr. de conſ. & affin.* Porrò prohibitio 4. graduum ſancita eſt in Concilio Lateranenſi, cui præfuit Innoc. 3. Sic enim ait *c. pen. ext. de conſang. & affin.* Prohibitio copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat. Ita inhibitio copulæ conjugalis in ultimis tribus gradib. revocata eſt, ut ait idem Innoc. 3. *in c. 3. cum inhibitio. De cland. deſp.* Antea enim ſeptem gradus erant probiti: Unde detractis tribus remanent quatuor. De cujus tamen dicti veritate dubitat. *Cujac. ad d. c. pen.* Imò non tres gradus, ſed unum tantum putat eſſe detractum. Ratio mutati Juris & anguſtatæ prohibitionis duplex affertur ab Innocentio 1. quia in ulterioribus gradibus non potuerit amplius generaliter obſervari prohibitio abſq; gravi diſpendio: proindeq; reprehendi non debere, ſi ſecundum varietatem temporum nonnunquã varientur ſtatuta humana: præſertim ſi id expoſcat vel urgens neceſſitas, vel evidens utilitas. Qui eſt inſignis locus communis de mutatione legum ob evidentem utilitatem aut neceſſitatem: de quo aliquid dixi *ad §. ult. I. de I. N. G. & C.*

Altera ratio, cur ad quaternarium adſtricta ſit prohibitio, redditur *in cod. c. pen.* Quia hic numerus benè congruat prohibitioni conjugii corporalis. Quatuor enim eſſe humores in corpore & hos humores conſtare ex 4. elementis. Mirum eſt, quod non addiderint, quia & quatuor ſunt venti principes, & quatuor cardines cœli, quatuor plagæ mundi, & quatuor Evangeliſtæ, & quatuor rotæ plauſtri, & quatuor virtutes cardinales, & quatuor partes, ſeu horæ anni, & quia quaternario numero Pythagorei ſingulare myſterium & divinitatem quandam ineſſe putarint, & quæ alia hujuſmodi ab arithmologis curioſè obſervata ſunt. Non immerito igitur hæc ratio à viris doctis deriſa, exibilata & exploſa eſt: quam tamen impudentia Ieſuitica defendit. *vid. Bellarm. libr. 1. De matr. ſacram. c. 29. in fin.* Ubi ait: non quidem eſſe rationem primariam, ſed tamen ut congruentiam quandam afferri: nec eſſe ineptam aut ridiculam, ſed planè Phyſicam. In 4. generatione, ait *ex Thom. Aquin.* videri totum ſanguinem paternum periiſſe: quia in prima generatione confundi ac perire vim igneam, id eſt, id, quod eſt ſubtiliſſimum. 2. vim aëream. 3. vim aqueam. 4. vim terream. Sed ineptias has phyſicis refellendas relinquamus.

Fuit etiam aliquando Jure civili prohibitio nuptiarum uſque ad quartùm gradum, ut conſtat *ex Vlp. lib. reg. tit. 5. § inter parentes.* Sed duplex eſt differentia inter illam ſententiam, & diſpoſitionem *d. c. non debet.* 1. USQUE, ibi non incluſivè, ſed excluſivè accipiendum. Jure autem Pontificio incluſivè in illis verbis. *d. c. pen.* uſq; ad quartũ gradum prohibitio conjugalis copulæ reſtricta. Deinde gradus ipſi aliter ibi, quam hîc numerati fuerunt, ut ex ſupradictis patet. Quid ergo ſi una perſona ſit in quarto, altera in quinto gradu diſtet à cõmuni ſtipite? Reſp. Hoc caſu permittitur matrimoniũ etiam Jure Canonicô. *c. ult. d. t. ob regulam ibid.*

Quamquam igitur Jure Canonico inter conſobrinos, quoniã hos in ſecundo gradu

gradu eſſe volunt, regulariter prohibitæ ſunt nuptiæ: tamen ex diſpenſatione ſeu indulgentia Pontificis interdum fieri poſſunt licitæ. Talem diſpenſationem Greg. I fecit Anglorum genti, cum adhuc eſſent neophyti, id eſt recens ad fidem Chriſti veniſſent. Metuendum enim putavit, ne à Chriſtiana religione reſilirent & ad paganiſmum relaberentur, ſi nimis rigidè atque auſterè haberentur, & à matrimoniis talibus, quibus antea adſueverant, ſubitò arcerentur. *vid. c. 20. quædam lex terrena. 35. q. 2. & 3.* Et nota inde inſignem ſententiam, quod aliter & longè mitius agendum ſit cum iis, qui in fide ſunt etiam recentes & imbecilles, aliter cum adultis & in fide jam corroboratis, ſive qui firma radice in fide fuerint ſolidati, ut loquitur ibi textus: qui eò rectè accommodat dictum *Pauli. 1. Corint. 3.* Lac dedi vobis potum, non eſcam, ſeu cibum ſolidiorem: *qua de re etiam Clemens Alexandrin.*

Eademq; ratione Norvvegis novellis Chriſtianis ſe accommodavit Papa, eorumq; infirmitati condeſcendit, ut docet *Cujac. ad c. 3. De conſ. & affin.* Ex quo textu obſervanda eſt alia ſimilis ſententia: Nonnunquam conſultius eſſe deferre, id eſt nonnihil indulgere multitudini & obſervatæ, id eſt, inveteratæ conſuetudini, quam aliud in diſſenſionem & ſcandalum populi ſtatuendum, quadam adhibita novitate. Solet enim innovatio vetuſtæ conſuetudinis, præſertim ſubita, magnam ſæpè offenſionem gignere. Sic conſobrinis hodieq; Papa ſua diſpenſatione ſæpè indulget matrimonia, præſertim magna & illuſtri ortis familia. Sic Maximilianus 2. conſobrinam ſuam duxit, ex qua numeroſam ſuſcepit prolem. Sic & nuper Albertus Maximiliani filius duxit Iſabellam Philippi Hiſpaniarum Regis filiam. Ut appareat non ubique verum eſſe, quod de infelicitate experimento cognita affert Pontifex *in d. c. 20. quædam lex.* quaſi ſoboles ex tali conjugio nata non poſſit ſuccreſcere.

CAPUT IX.

DE AFFINITATE.

NUnc à conſanguinitate ad affinitatem tranſeamus. Affines propriè dicuntur, qui confinia poſſident prædia. *Feſtus in l. pen. ff. fin. reg.* Græcè ἀγχιτέρμονες.

Hinc tranſlata appellatio ad propinquitatem ex nuptiis ortam. Affines enim dici cœperunt cognati viri & uxoris: (intellige non inter ſe, ut voluit Duarenus, ſed reſpectu conjugum, ut cognati viri ſint affines uxori: & cognati uxoris ſint affines viro. Neque enim cognati utriuſq; conjugis inter ſe propriè ſunt affines, tametſi vulgo ita ſe ſalutare conſueverunt, v. g comprivigni inter ſe non ſunt affines. Unde & matrimoniũ rectè contrahunt. § *mariti. I de nupt.* Sic rectè pater & filius ducunt matrẽ & filiam.) & affinitas hæc ipſa neceſſitudo, qua duæ inter ſe diverſæ cognationes per nuptias copulantur: & altera ad alterius cognationis finem accedit. *vid. l. 4. §. ſed quoniam. ff. de gradibus. cap. 5. quod ſuper. & ibi Cujac. ut & ad Rub. ejus tit. De conſang. & affin. Alber. Gentil. 5. de Nupt. cap. 12.* His ita expoſitis, differentias utriuſque Juris quoad affinitatem cognoſcamus. 1. igitur Jure civili Affinitatis nulli ſunt gradus. *l. 4. §. gradus autem. ff. de grad.* Et meritò. Nam ad

Digitized by Google

ad gradus conſtituendos requirimus generationem: Gradus dicitur ratione cognationis naturalis, ut fatetur ipſe *Accurſ. d. l. 4. verb. nulli ſunt.* Unde gradus & generatio (Longobardis Geniculum) promiſcuè ſæpè pro eodem uſurpantur. Affinis autem ex affine non generatur, ſed per nuptias conſtituitur, ſive ex nuptiis fit cauſſa conjungendæ affinitatis, ut loquitur *Modeſt. in d. l. 4.* Sicut neque conjuges, qui initium affinitati præbent, ex ſe invicem generantur. Nec obſtat *l. ult. in pr. ff. de gradibus.* ubi cognatorum gradus & affinium dicuntur. Sunt igitur, dices, gradus affinium aliqui, & proinde etiam affinitatis. Objicit *h. l. Gothofred. l. 4.* ſed non ſolvit Enantiophanes: Solvit *Accurſ. ad l. 4.* diſtinguendo inter gradus propriè ſumptos, de quibus *d. l. 4.* loquatur Modeſtinus: & impropriè acceptos, de quibus intelligendus ſit loqui Paulus *d. l. ult. eod. tit.* Impropriè igitur ſive analogicè gradus affinium, ſive affinitatis putat dici, & computari debere pro ratione graduum cognationis. Nam quoto gradu jure cognationis quis eſt uxori meæ conjunctus toto, inquit, gradu erit mihi jure affinitatis. Et contra, quo gradu quis conjunctus eſt mihi jure cognationis, eodem & meæ uxori erit conjunctus jure affinitatis. Ita, inquam, ſolvit Accurſ. cui ſuffragatur *cap. 3. porrò. 35. q. 5.* ubi ait Papa: Antichriſtos eſſe & divinis legibus repugnare, qui aliorſum ſentiunt. Allegat rationem impertinentem, Quia vir & uxor ſint una caro. N C. Alii mutandam cenſuerunt lectionem textus *in d. l. ult.* ut pro affinium vel legamus agnatorum, vel affines. Prius Cujac. placet *ad Rubr. De Conſang. & affin.* Poſterius mavult *Alb. Gentil. 5. de nupt. cap. 6.* Sic igitur de Gradibus affinitatis Jure civili ſentiendum, videlicet quod nulli ſint, cum nec generationes inter affines quatenus affines, ullæ ſint, pro quorum numero poſſint gradus inter ipſos aliqui conſtitui, ut & Cujacius fatetur d. loco.]

Jure tamen Canonico & gradus affinitatis & genera tria commenti ſunt. Diſtinguendum enim inter hæc duo, ut & *Cujac.* monet, & longè ante ipſum *Io. And. in declar. Affinitatis. §. genus affinit.* tametſi Joh. Faber. *ad §. Affinitatis. I. de nupt.* confundit, gradus tres affinitatis dicens pro tribus generibus quæ vult intelligi. Et gradus quidem quomodo ἀναλόγως ſecundum gradus conſanguinitatis dinumerent, jam dixi *ex gl. ad d. l. 4. ff. de gradib. & d. c. 3. porrò. 35. q. 5.* dicamq; pluribus infra.

CAPUT X.

DE TRIBUS GENERIBUS AFFINITATIS.

De generibus autem affinitatis tribus ita habendum.

I. Genus eſt inter conjugem & alterius conjugis cognatos. Sic marito ſunt affines cognati uxoris: & contrà uxori ſunt affines cognati mariti. Et hæc eſt affinitas propriè dicta: quam Græci vocant ἐκ δυογενείας, quod hic duæ tantum perſonæ ad eam conſtituendam interveniant. Exemplum eſt in vitrico & privigna.

II. Genus affinitatis eſt, quod conſiſtit inter conjugem & alterius conjugis affines. Hoc genere marito affines ſunt affines uxoris ex aliis, ſive anterioribus

bus nuptiis: & contrà, uxori affines ſunt affines mariti ex aliis ſeu prioribus nuptiis. Exemplum pone in marito privignæ, qui eſt generi loco, non verè gener. Aliud exemplum in viduo ſororis & vidua fratris defuncti: Item in vidua ducta inter ejus ſecundum maritum & prioris mariti cognatos vel cognatas, qui quæve uxori affines fuerunt. Hi propriè non ſunt affines, ſed affinium loco habentur. Græci vocant ἐκ τριγενείας, ob trium perſonarum interventum.

III. Genus, quo affines affinium rurſum dicuntur affines: ſive quod conſiſtit inter conjugem. Exemplum pone in ſecunda uxore ejus, qui habuit alicujus privignam in matrimonio, & quaſi gener fuit. Hoc genus Græci ἐκ τετραγενείας vocant, quod in eo conſtituendo quatuor perſonæ interveniant. Cum autem ſecundum genus affinitatis proprium non ſit, ut paulò ante dixi, multo magis improprium & abuſivum erit hoc tertium.

De generibus affinitatis hactenus.

CAPUT XI.
DE GRADIBUS AFFINITATIS.

DE gradibus quoque videamus. In ſingulis autem generibus ſuas etiam collocarunt, ac dinumerant gradus: De quorum computatione Canonica tenenda eſt hæc ipſorum regula: Gradus affinitatis non habere ſuam ſpecialem computationem, numerandos eſſe ſecundum gradus cognationis: ſive, Quoto gradu quiſq; jure Canonico eſt cognatus alteri conjugum, totó gradu alteri conjugi eſſe affinem. *cap. 3. porrò. 35. quæſt. 5. juncto cap. 3. de propinquis.* §. *æqualiter qui.* §. *repetitur in c. 13. 35. quæſt. 2. & 3. Ioan. Andr. in Arb. Affin.* v. gratia, Soror meæ uxoris eſt uxori meæ Sorori ſuæ cognata hoc jure in primo gradu: Ergo eadem mihi quoque affinis erit primo gradu, in primo genere affinitatis. Aliud exemplum: Filia ſororis uxoris meæ eſt conjuncta uxori meæ in ſecundo gradu cognationis: Ergo & mihi eadem erit conjuncta in ſecundo gradu affinitatis in primo genere. Rurſus aliud exemplum: Neptis ſororis uxoris meæ eſt uxori juncta in tertio gradu cognationis: Ergo & mihi erit juncta in 3. gradu affinitatis in primo item genere. Et ſic conſequenter de cæteris gradibus idem eſto judicium. Sic in ſecundo gradu affinitatis attingit fratrem vidua fratris defuncti. Nunc priuſquam de prohibitione matrimonii ratione affinitatis dicam, quantum quo ad illam diſcrepet utrumque Jus, operæ pretium duxi afferre judicium de his generibus & gradibus affinitatis graviſſimi & antiquiſſimi interpretis Azonis, qui in ſumma. C. *de Nupt.* ita ſcribit: Hujuſmodi affinitatis multa genera conſtituerunt Decretiſtæ: quod nihil aliud fuit quàm homines illaqueare. Idem de hac re etiam recentiores ſentiunt: ex quibus *Alb. Gentil. 5. De nupt. cap. 12.* commentitia iſthæc genera affinitatum vocat, quæ & jure Canonico poſteriore, id eſt, in Concilio Lateranenſi ſublata ſint. *d. c. non debet ext. de conſ. & affin.*

CAP.

Digitized by Google

CAPUT XII.
DE PROHIBITIONE MATRIMONII ratione affinitatis.

SEd videamus De prohibitione ob affinitatem. Itaque Jure Civili non inter quoſvis affines prohibentur nuptiæ: ſed tantum à quibuſdam ejus veneratione abſtinendum eſt, ut Imp. loquitur. *in §. affinitatis quoque I. de Nupt.* nimirùm inter eas perſonas, quæ ſibi invicem ſunt parentum & liberorum loco: ut ſocer nurus, ſocrus gener, vitricus privigna, noverca & privignus &c. Hos, inquam, matrimonio inter ſe copulari nefas eſt, *ut ait Modeſtin. l. 4. §. hos itaque. ff. de gradib.* Jure Canonico etiam ab aliorum affinium nuptiis abſtinendum eſt. Sed cum circa hanc rem variatum ſit illo jure, diſtinguamus tempora. Fuit igitur tempus cum latiſſimè pateret prohibitio, & quodvis genus affinitatis complecteretur, tàm tertium & ſecundum, quam primum. *cap. 3. de propinquis. c. 7. nullum. c. pen. §. item illud. 35. q. 2. & 3.* Ita enim voluerunt abſtineri ab uxoris, ſicut à viri conſanguineis: quia videlicet conjuges una caro facti ſint, & proinde debeant communem ſibi utramque parentelam cenſere. *cap. 1. de conſ. & affin. cap. 7. 13. 14. 15. 35. q. 2. & 3.* Tandem verò ut in cognatione, ita etiam in affinitate reſtricta eſt prohibitio uſque ad quartum gradum, & quidem in primo tantum genere affinitatis. *cap. pen. non debet. ext. de conſ & affin.*

CAPUT XIII.
DE MATRIMONIO CUM VIDUA fratris.

QUæritur an liceat viduam fratris ducere uxorem? Reſpondeo & Jure divino prohibitum eſſe tale matrimonium *Levit. 20. Ioſeph. 17. Antiq. & 18. Matth. 14. ubi cauſa necis Ioan. Baptiſtæ, Herodes reprehenſus &c.* niſi uno caſu, quo videlicet frater ſine liberis deceſſiſſet. *Deuter. 25. Ruth. 4. Matth. 22. Marc 12. Luc. 20.* ubi exemplum objicitur Chriſto à Sadducæis de muliere ſterili, quæ ordine ſeptem fratribus nupſerit. Et hanc Exceptionem Gratianus quoque retulit *init. Q. 1. 35. Cauſ.* Et Jure Civili. *l. 5. Cod. de inc. nupt.* cui ſimile reſcriptum extat *in C. Th. lib. 3. tit. 12. l. pen. Cod. d. t. de inc. nupt.* ubi Zeno rejiciens diſtinctionem Ægyptiorum quorundam, qui putabant, ſi virgo manſiſſet nec corpore conveniſſet vidua cum defuncto marito, tunc eam poſſe ſuperſtitis fratris matrimonio copulari, Ægyptios videtur accipere pro Judæis, ut & Cujac. putat *ad cap. 4. extr. de ſponſal. ad matr.* & denique prohibitum Jure Pontificio *c. 8. de inceſtis. §. hos enim. 35. quæſt. 2. §. item ſi aliquis c. 4. ad audientiam. De ſponſ & matr. cap. ult. extr. de divort.* Nec mirum quod prohibeantur copulari tales perſonæ. Sunt enim in primo genere. In d. autem *c. ult.* Pontifex cum Livonibus recens ad fidem Chriſti converſis ob eorum infirmitatem diſpenſat, ut matrimonia prius in paganiſmo contracta cum relictis viduis fratrum ſine liberis defunctorum retineant: Cæterùm deinceps poſtquam ad fidem venerunt à talibus abſtineant. Sic etiam contra hanc prohibitioné ob alias cauſas diſpenſare poſſe pontificé Rom. & permittere talia matrimonia multi cenſent: ut permiſit Henrico 8. Angl. Regi ducere viduã defuncti

Digitized by Google

fratris Arturi, Cathatinam, quæ fuit filia Ferdinandi Hiſpaniæ Regis & matertera Caroli V. quam poſtea Rex ſuperbus, & aliis quoque in rebus levis, repudiavit ducta alia, quaſi Pontifici non licuiſſet in tali caſu diſpenſare: Quæ res varia hominum judicia excitavit: Thomas Morus quidem ſummus vir ideò ſecuri percuſſus fuit, quaſi alter Papinianus, aut Joannes Bapt. quod Regis conſilia de divortio probare nollet. Eandemq; fortunam & Joan. Roffens. Epiſcopus expertus eſt. Sed & Anglia tota per hanc occaſionem ab obedientia Eccleſ. Rom. in qua per multa ſecula fuerat, defecit, & Pontifici denarium S. Petri negavit. *vid. Io. Sleidan. comment. lib. 9. 1534. Conan. lib. 8. c. 5. n. 7. in f. Duaren. proleg. ad tit. ſol. matr. c. 3. Baro ad tit. 1. de Nupt. Covarr. De ſponſ. & matr. p. 2. c. 6. §. 10. Cujac. ad d. c. 4. De ſponſ. Molin. in Not. ad Deci. conſil. 602. Bellarm. lib. 1. de ſacr. matr. c. 27. §. qua ſententia Alb. 5. de nupt. c. 9.*

CAPUT XIV.

DE MATRIMONIO VITRICI, CUM vidua privigni ſui.

QUæritur item, an liceat Vitrico ducere viduam ſui privigni? Et jure quidem civili certum eſt non licere. *l. 15. uxorem. ff. de rit. nupt.* Ratio, quia ut vitricus privigno eſt loco patris, ſic & ejus uxori eſt loco ſoceri, & ipſa ei loco nurus. Sed Jure Canonico hanc prohibitionem abrogatam putant: quia videlicet, hæc affinitas ſit ex ſecundo genere, in quo non amplius prohibeantur nuptiæ. *d. c. pen. Ita Cujac. in f. ad rubr. De conſ. & affin.* A quo tamen diſſentit *Alb. Gentil. de Nupt. 5. c. 12.* ubi putat, tali matrimonio etiam hodiè obſtare juſtitiam publicæ honeſtatis quam vocant: & proinde adhuc durare prohibitionem. *d. l. 15.* Alii putant requirendam eſſe indulgentiam magiſtratus. *gl. Panorm. & Covarr. ad d. c. pen. Beuſt. par. 2. Tr. Connubi. q. 53.*

CAPUT XV.

DE CAUSA AFFINITATIS.

POrrò ut alias differentias perſequamur, Jure Civili non oritur affinitas, niſi ex juſtis nuptiis. *l. 4. §. ſed quoniam. verſ. affines. ff. de gradib.* At Jure Canonico etiam ex ſponſalibus, iiſque non tantum juſtis, ſed & injuſtis ac jure invalidis, imò etiam per ſtuprum ſeu fornicationem, vulgivagam venerem conjungitur affinitas. *c. 3. & cap. 4. & ibi Cujac. de ſponſal. cap. 1. eod. t. in 6. c. diſcretionem. 6. & ibi gl. verb. affinitas. & cap. 10. tua fratern. De eo qui cognovit conſanguineum uxor. ſua vel ſponſæ. c. per tuas. 10. De probat.* Ex quo ſequitur etiam inter tales uſque ad quartum gradum prohibenda eſſe Jure civili matrimonia. *d. c. 6. & c. pen. ubi Panorm. & alii.* Multa etiam de affinitate ſuperveniente diſputant, quatenus ob eam dirimatur matrimonium contractum.

CAPUT XVI.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

DIximus de cognatione & affinitate: de cognatione, inquam, naturali; quam ferè

ferè ſolam agnoſcit Jus civile. Sed Canoniſtæ hac non contenti etiam duas alias ſpecies ex cogitarunt, Spiritalem & legalem. De utraque breviter dicendum eſt. Et quidem ad cognationem ſpiritalem quod attinet, unicus de ea locus extat in Jure civili. *l.26. ſi quis alumnam. §. Ea videlicet. Cod. de nupt.* ubi Juſtin. cum initio legis permiſiſſet conjugium patroni cum alumna, eademque liberta ſua, quam tamen non loco filiæ habuerit, non ut filiam educârit, tandem prohibet matrimonium inter eum, qui ſuſcepit aliquam puellam ex SS. Baptiſmate, & inter puellam ſic ſuſceptam. Ratio prohibitionis ibidem additur, Quia hac ratione inducatur paterna affectio, & hoc ſacro nexu animæ ſuſcepti & ſuſcipientis, Deo mediante, copulentur: q. d. Quia ſuſceptor fit ſuſceptæ inſtar patris cujuſdam: Et ſuſcepta contrà illi filiæ loco fit. Unde & ille vulgo compater dicitur, item pattinus. *c. 100. in catechiſmo De conſecrat. Diſt. 4.* Aſſentior autem Alb. Gentili *lib.5. de nupt. cap. ultim.* qùi putat, Juſtin. religioſiſſimum principem perſuaſum fuiſſe à ſuis Epiſcopis, ut crederet hanc ſuſceptionem ex baptiſmo ſpiritualem inducere neceſſitudinem, quæ nuptiis impedimento eſſe debeat. Sed tamen ſimplex & tolerabilis fuit iſta prohibitio: in qua poſteriores & in Latina & in Græca Eccleſia Sacerdotes non acquieverunt. Cum enim Juſtinianus tantum inter ſuſcipientem virum & ſuſceptam puellam, & quidem ex baptiſmo, non etiam ex aliis ſacramentis, hanc neceſſitudinem & hoc impedimentum matrimonii induxiſſet: Pontifices Romani longè latius in hac re progreſſi ſunt, & mirificè cùm hujus cognationis fictitiæ & cauſas gradus ampliarunt, tùm prohibitionem extenderunt, ac multo quoque latius Græci. Eodem namq; fine concluſerunt cognationem ſpiritualem, quo & cognationem naturalem ſeu carnalem ſanguinis leges & canones circumſcripſerũt. De Romanis videre eſt in Decreto Gratiani. *c. 30 per aliquot quæſtiones. & tit. XI. lib. 4. Decret. De cogn. Spirit. ubi Cujac. poſt veteres Canoniſtas.*

De Græcis videndus *lib. 3. Iur. Oriental. inter reſponſa Patriarcharum edit. ab Henric. Stephan. 1573.* Nitebantur autem dicto Synodi in Trullo *can. 53.* Spiritalem cognationem carnali eſſe potiorem. Sed abuſi ſunt eo dicto ad multiplicandam & ampliandam nimis illam cognationem ac prohibitionem: *ut & Cujac. fatetũr d. loco ad Rubr. tit. De cognat. Spirit.* Luitprandus quoque rex Longobardorum prohibuit matrimonium inter ſuſceptum & filiam ſuſceptoris, hac addita ratione, quia germani ſint Spiritales. *vid. tit. 24.* Quod dicebam paulò ante, Romanos Pontifices etiam plures cauſas quam baptiſmum conſtituiſſe hujus ſpiritalis cognationis, id probatur *per c. contracto. extr. de cogn. Spirit.* ubi etiam per Catechiſmum dicitur contrahi talis cognatio, id eſt, ſi quis Catechumeno aſſiſtat tanquam Sponſor, eumque offerat ſacerdoti. Solebant enim aliquot ante baptiſmum dies inſtituti quondam adultiores in religionis Chriſtianæ capitibus, quem catechiſmum vocamus. *vid. c. 2. per Catechiſmum. De cogn ſpirit. in 6. Auguſtin. De catechiſandis rudibus*, ac ſal ſacratus ipſis in os indebatur: unde primum pabulum ſacrati ſalis nominatur *in d. c. 5. & c. 1. 30 q. 1.* Et hi catechumeni dicebantur, nondum perfecti, ſed tantum inchoati Chriſtiani, quaſi nondum baptiſati, & Eccleſiæ inſiti. Quam ob cauſam etiam exire jubebantur publicæ præconis voce & Catechumeni, & publicam pœnitentiam in

Digitized by Google

reatu criminis agentes, quoties ſacræ cœnæ Domini myſterium celebrabatur, quaſi nefas eſſet, hos intereſſe tremendis illis ſacris, ac vel oculis ea uſurpare. Tantus erat olim vigor Eccleſiaſticæ diſciplinæ, de quo alibi latius. Imò etiam à vitæ æternæ ſocietate eos excludebant, qui catechumeni deceſſiſſent, niſi fortè martyrio affecti eſſent: quæ eſt ſententia nimis dura. *Aug. c.37. catechumenum. De conſecrat. diſt. 4.* Poſtea verò quam & parvuli recens nati ad ſacrum fontem admiſſi ſunt, uno eodemque actu conjungi cœperunt & catechiſmi & baptiſmi ſolennia: ſed in catechiſmo pro infante reſpondet is, qui eũ offert ſacerdoti baptiſanti. Eſt tamen differentia quædam inter cognationem ſpiritalem ex Baptiſmo & eam, quæ ex catechiſmo: nempe quod illa majorem, quam hæc vim habet in matrimonio impediendo, dirimendove. De quo *vid. c.2. De cogn. ſpirit in 6. & Cujac. d.c.5. De cognat. ſpirit.* Hodiè autem in locum illius Catechiſmi qui baptiſmum antecedebat, uſurpatur in quibuſdam Eccleſiis Confirmatio: ex qua etiam volunt oriri ſpiritualem cognationem. *vid. c.1. §.1. De cognat. ſpir. in 6. & Bellarm. De matr. ſacr. c.30.* ubi ait: Eccleſia non quamlibet ſpiritualem cognationem impedimentum conjugii eſſe voluit, ſed eam ſolam, quæ ex Baptiſmo & confirmatione oritur. Tria autem illa, Catechiſmus, Baptiſmus, & Confirmatio conjunctim nominantur ab Higino Papa *in can.100. De conſecr. diſt.4.* Et diſponitur, tametſi conſuetudo Eccleſiæ Romanæ ſit, ut ſinguli ſuſceptores ſingulis ſacramentis adhibeantur, tamen fieri poſſe, ut etiam unus in omnibus accedat ob caſum neceſſitatis, id eſt, ſi plurium copia haberi non poſſit. Sed miſſam faciamus hanc ſpiritalem cognationem, & quæ ejus prætextu invaluerat, nuptiarum prohibitionem: quippe quæ & ab ipſis Pontificiis valdè hodiè reſtricta ſit, & coarctata, ut videre eſt *in Concilio Trident. in decreto de reformat. matrim. cap.2.* Cujac. fictam & imaginariam vocat, cujus Juris arbitrium totum ſit in hominibus, non à Domino, non ab Apoſtolis: nec ulla exſtet vetuſtior memoria tempore Juſtiniani: & auguratur, eam aliquando procedente tempore prorſus abrogatum iri. Carolus Molin. quoque imaginariam & frivolam cauſam vocat, & quæ nunc ubique ſpernatur: *in notis ad Phil. Deci. conſil. 501. & ad 462.* videri tamen etiam poteſt. *N. Vig. lib.4. Meth. I. P. cap.13. ex c.18. & 8. ſeqq.*

CAPUT XVII.
De NVMERO TESTIVM BAPTISMI, QVOS compatres dicimus.

QUæro hîc obiter, quam multi poſſint adhiberi baptiſmo infantis vel confirmationi adulti? Et extat decretum Leonis I. Papæ non plures uno accedere debere ad ſuſcipiendum ex baptiſmo infantem, ut etiam ad ejus confirmationem. Qui mos etiam hodiè multis in locis durat: ut hic in Norica ditione. Ubi mirari liceat, ſiquidem ſuſceptores debent eſſe teſtes baptiſmi, cur hic non ſecutus ſit Pontifex illud quod aliàs ſemper in ore habent, In ore duorum *cap. 10. cum eſſes extr. de teſtam.* Et quod uni teſti non ſit fides adhibenda. *l. 8. Iurisjurandi C. de teſtibus. c. veniens. & c. licet. in fin. extr. eod. tit.* De facto tamen jam olim receſſum fuiſſe ab illo Leonis interdicto, & duos pluresve adhibitos fuiſſe, cognoſcimus *ex c. ult.*

Digitized by Google

*c.ult.de cogn. ſpirit.in 6.& ex c.ult.*30.*q.*4. ubi prohibentur duo conjuges ſuſcipere eundem infantem. Hodiè certè pluribus in locis duo adhibentur: alicubi etiam hoc numero non ſunt contenti.

CAPUT XVIII.

AN COMPATERNITAS SIT QVAEdam adoptio.

ILlud quoque poteſt quæri, An compaternitas ſit adoptio quædam cenſenda: ſive an filius ſpiritualis ſeu ſuſceptus ex baptiſmo ſit filius adoptivus. Et Nicolaus Papa quidem *in c.* 1. *30. q. 3.* ab adoptivis liberis ad Spirituales argumentatur hoc modo. Venerandæ leges Romanorum non permittunt matrimonia contrahi inter eos, qui natura & eos, qui adoptione ſunt filii (intelligit autem *l.17. ff. de rit. nupt. &* §. *inter eas: verſ. ſed ſi qua per adoptionem. I. de nupt.*) Ergo etiam inter fratres & filios Spirituales non poteſt fieri ullum legale, id eſt, legitimum conjugium. Sed tamen rectè negabimus cum Cujac. *ad c.un. extr. de cogn. legali,* filium Spiritualem eſſe verè adoptivum: idque ideo, Quia adoptio requirit conſenſum utriuſque, & adoptantis & adoptati. At baptiſatus ſuſceptuſq; infans non conſentit in ſuſceptorem ſuum, ut quem non norit per ætatem. Deinde neque hoc agitur in baptiſmo, ut contrahatur adoptio. Actus autem non debent operari ultra intentionem agentium. Illud tamen concedi poteſt, ſuſceptum eſſe quodammodo quaſi adoptivum.

CAPUT XIX.

DE LEGALI COGNATIONE.

ATque hæc hactenus de Spirituali cognatione. Sequitur De legali: de qua extat *tit.12. in 4. Decretal*: Vocant autem legalem cognationem eam, quæ ex adoptatione exiſtit. Poſſumus & civilem dicere, ſicut ipſa adoptio eſt modus civilis conſtituendæ patriæ poteſtatis. §. *ſed hodiè. in verſ. legitimo adoptionis modo conſtitutum. I. de adopt.* De hac autem cognatione obſervanda eſt regula Pauli *in l.23. qui in adoptionem. ff. de adopt.* Eam inter hos tantum exiſtere, inter quos etiam agnatio ex adoptione oritur: ſive iis tantum cognatum fieri eum qui adoptatur, quibus & agnaſcitur: Quæ regula ibidem exemplis declaratur: & traditur etiam ab Ulp. *in l.1.* §. *cognationem. ff. unde cogn.* Quam Gothofred. non rectè objicit. *d. l. 23.* Sunt enim planè ejuſdem ſententiæ. Quatenus autem, & inter quos vel durante, vel etiam per emancipationem diſſoluta adoptione talis cognatio nuptiis impedimento ſit, videndum alibi, *ut d.l.23. l.12.14.17. ff. de rit. nupt. Alb. Gentil.5. De nupt.* 15. ubi teſtatur, perrarò hodiè quæri ſolere de tali cognatione, idque propter infrequentiam adoptionem.

CAPUT XX.

DE CONIVGIO SERVORVM ET SPADONVM.

ALia differentia eſt quo ad perſonas contrahentes matrimonium: Jure civili

Digitized by Google

civili inter ſervos non eſt conjugium, ſed contubernium vocatur ipſorum conjunctio. *l. ſi ancillæ. De cond. & demonſtr. l. 3. Cod. de inceſt. nupt. Vlp. in frag. tit. 5.* Cum ſervis, inquit, nullum eſt connubium, id eſt uxoris jure ducendæ facultas. *Idem tit. XI. §. pen. in verb. in contubernio alieni ſervi morari &c. l. 14. §. idem. ff. de rit. nupt.* Hinc contubernales potius quam conjuges dicebantur. *l. 41. uxorem §. codicillis. ff. de leg. 3.* ubi teſtator ſuis libertis legat contubernales ipſorum. Nam lex non dignata eſt ſervorum commixtionem vocabulo nuptiarum vel conjugii, vel matrimonii cum ſervi non ſint capaces juris civilis, ſed ejus reſpectu tanquam mortui habeantur, & ſervitus mortalitati comparetur. *l. quod attinet. 32. l. in perſonam. l. ſervitutem. ff. de R. I.* Unde & apud Plautum dicitur: Quis unquam audivit ſerviles nuptias? &c. At Jure Canonico etiam ſervi ſcientes poſſunt contrahere matrimonium: & quidem etiam invitis dominis, quibus tamen in ſervos jus dominii etiam poſt contractas nuptias ſalvum manet. *c. 1. & tot. tit. De conjug. ſerv. c. ſi quis liber. & c. ſi fœmina. 29. q. 2.* Dixi ſcientes. Aliud eſt, ſi error circa ſtatum intervenerit, id eſt, ſi quis ignorans duxerit ancillam, quam putabat eſſe liberam, vel ſi qua nupſerit imprudens ſervo, quem habebat pro libero homine. Hic enim perſona, quæ erravit in ſtatu poteſt detecto errore reſilire, & cum altero contrahere, dummodo poſt veritatem compertam non de novo conſenſerit in matrimonium. *c. 4. ſi quis ingenuus. 29. q. 2. & Cujac. ad d. tit.*

Rationem Juris Canonici ſumpſerunt inde, Quia matrimonium ſit ſacramentum, & proinde hic non attendatur poteſtas herilis: cum in Chriſto nulla ſit differentia inter liberos & ſervos, *teſte Apoſt. ad Galat.*

Præterea Jure Civili matrimonium contrahere poteſt ſpado *l. ſi ſerva. §. ult. ff. de jur. dot. Connan. 2. cum 15. n. 9.* Habet enim ſpem procreandorum liberorum. At jure Pontificio matrimonium contrahere non poteſt, non magis, quàm infans. *c. 2. & ibi Cujac. not. De frig. & malefic.*

Caput XXI.

DE PERSONIS QVIBVSDAM, INTER QVAS IVRE civili prohibita, Iure Canonico permiſſa ſunt matrimonia.

SUnt etiam quædam perſonæ, inter quas matrimonia Jure civili prohibentur, Canonico autem permittuntur: ut ecce I. Interdictum eſt matrimonium Jure civili inter tutorem & pupillam: inter curatorem & adultam. II. Inter præſidem provinciæ & provincialem. III. Inter raptorem & raptam. IV. Inter ſenatorem & libertam.

De I. Ea prohibitio eſt ex SC. quod ſubſecutum eſt orationem Principum D. Antonini & Commodi. *l. 36. tutor. l. 59. SCto. l. 60. ſi quis tutor. l. 64. libertum. l. 66. non eſt matrimonium, & l. pen. ff. de rit. nupt. tot. tit. C. de interd. matr. inter. pup.* Ampliabatur hoc, ut ne quidem liceret tutori pupillam filio aut nepoti ſuo jungere. *dd. ll.* Addebatur tamen una & altera exceptio. 1. niſi pater pupillæ eam deſponſaſſet tutori filiove ejus, aut teſtamento deſtinaſſet. Tunc enim permittebantur.

Digitized by Google

tebantur. *d.l.36.& d.l.66.& fac.l 62.quanquam in princip.ff.d.t.* 2. niſi tutor rationes curatori reddidiſſet. *d. l. 62. §.ult. d. t.* Ratio prohibitionis honeſtiſſima & æquiſſima redditur *in l.64.§.1. eod tit.* Ne pupillæ in re familiari circumſcriberentur à tutoribus, qui eis tenentur rationes tutelæ adminiſtratæ reddere. Alii etiam hanc reddunt rationem, quia metu contractum præſumatur matrimonium. *Wurmſer. titul. de matrim. obſ.2.* Quæ ratio cum æquè valeat in filio & in quovis etiam extraneo herede, *tot.tit.Cod.de hered.tutor.* atque in ipſo patre tutore, non mirum, ſi & prohibitio ipſos eadem comprehendat. *d.l.64.§.1.* Nam ibi eadem ratio eſt, ibi idem jus ſtatui debet. *vulg.l.illud.ff ad l.Aquil.Cic in Topic.* Illud autem nunquam prohibitum fuit, quo minus poſſet tutor pupillo ſuo filiam ſuam in matrimonium collocare, *d.l.64. § fin.* Hic enim jam ceſſat ratio prohibitionis modò dicta. Sic igitur Jure civili res habet.

At Jure Canonico matrimonium tale permiſſum eſt: idque mores noſtri ſequuntur. *Wurmſ.d.loco n.1.Pancrm.c.fin.n.2. De ſec.nupt.* Non enim hic videtur juſtus metus aut talis, qui in conſtantem hominem cadit, qui ſolus vitiat matrimonium, non etiam ille metus, quem reverentialem vocant. *c.cum locum ext.de ſponſal.l.22.ſi patre cogente. De rit nupt.*

2. De prohibito matrimonio inter præſidem alicujus provinciæ, ſive præfectum cohortis, &c. & fœminam inde oriundam, vel ibi domicilium habentem, *eſt l.38.ſi quis officium. l.63.praf cohortis.& l.65. eos qui in patria.ff.de rit.nupt.* Quæ prohibitio eſt ex mandatis principum. *arg. d.l.65.& l.6. etſi contra. C.de nupt.* Ex qua lege not. exceptio, niſi mulier poſt depoſitum officium mariti, in eodem conſenſu perſeverarit: tunc enim validatur matrimonium, & liberi poſtea ſuſcepti ſunt legitimi: Ratio regulæ eadem hîc eſt, quæ in tutore & pupilla: unde & JC. hos duos caſus inter ſe confert. *in d.l.63.* Utrobique enim ratio potentatus prohibet nuptias: ut eleganter Papin. ibi ait. Sed Jure Canonico hoc quoque matrimonium permittitur. *vid. Angel. §.ſunt & aliæ.I.de nupt.* De utraque hac prohibitione Juris civilis. *vid. & Alb.Gentil.3 de nupt. c.12.& Ant.Guibert.Coſtan. comment. de matrim. in c.de his, qui nupt.contrah. poſſ.n.127. cum duob. ſeqq.*

CAPUT XXII.
DE CONIVGIO INTER RAPTOREM & raptam.

DE raptore, quod inter ipſum & raptam Jure civili non poſſit eſſe matrimonium, ne quidem ſi mulier conſentiat, *eſt l.un. C.de rapt. virgin. & viduar. l. pen.Cod.de epiſc.& cler.* Imò & capitis ſupplicio plectendus eſt raptor, & bona ejus raptæ addicuntur plerunque. *dict.l.un.& d.l. pen.in princ.* Quid ſi contra legum interdicta nupſerit mulier ſuo raptori, an bona tunc quoque ad eandem pertinebunt? Minimè. Sed nec ex teſtamento raptoris quicquam capere poteſt, & bona vel ad parentes, qui non conſenſerunt nuptiis transferuntur, vel his deficientibus, aut ſi conſenſerunt, fiſco vindicantur. *Nov.143.& 150.* Quid ſi pater raptæ conſentiat in nuptias? Ne tum quidem utiles: Imò pater talis deportari jubetur. *d. Novell.150.* Nititur autem Juris civilis ſanctio optima & honeſtiſſima ratione:

Quia graviſſimum, & ut Imp. loquitur, peſſimum eſt crimen raptus. Virginitas enim vel caſtitas corrupta reſtitui non poteſt. *d.ll. & c. ſi Paulus.32. q.5.* Quo pertinet, quod Symmachus Papa tanti facinoris immanitatem deteſtatur. *cap.2. 36.quæſt.2.* Deinde quia nec ab homicidii crimine vacui ſunt hujuſmodi raptores. Plerunque enim in talibus rapinis homicidia perpetrantur. *d.l.un. & ibi gl. in verb. vacui. fac. l.6. quoniam multa. C. ad l. Iul. de vi pub.* Accedit quod raptus hoſtilitatem quandam præ ſe ferat, Matrimonio, quod conſenſu & affectu conſtat, & liberum eſſe debet, maximè adverſam. Tametſi olim Sabinorum filiæ permiſſu Romuli ad matrimonia raperentur, & quidem feliciter ea res ceſſit, ut eſt apud Livium. Unde & poſtea dicis cauſſa ex ſinu matris rapiebantur virgines, teſte Feſto & Catullo. Jure autem Canonico inter raptorem & raptam eſt connubium, & raptor cum rapta matrimonium contrahere poteſt: Si prior diſſenſio tranſeat poſtmodum in conſenſum, & quod antea diſplicuit, tandem incipiat complacere. *c. cum cauſam. & c. fin ext. de raptor.* Ex quibus & ratio Juris Canonici jam intelligitur. *Cujac. ad d. Nov.143. de raptu mulieru.* putat: Pontifices hac in re veterem morem reduxiſſe. Solebat enim olim raptor cum rapta nuptias facere pœnæ cauſſa, uxore per lictorem ad raptorem deducta, *ut ex Quintil. conſtat. Caſtrenſis ad l. pen. C. de epiſc. cler.* teſtatur de conſuetudine, qua raptori pœna capitis hodiè remittatur in honorem matrimonii.

Antiquiores tamen Canones conſentiunt potius cum Jure civili, ut videre eſt *in Decreto cap.36. quæſt.2. per totam. Excepto cap.8. tria legitima conjugia*, quod ex Hieronymo ſumptum diſtinguit inter patrem volentem & conſentientem, & repugnantem: ut priore caſu per vim copulata alicui, retineatur ab eo, data dote, tanquam pretio pudicitiæ ereptæ: poſteriore abſtrahatur ab eo, aliiq; tradita à raptore dotetur. Nec erat quod *Gratian. poſt cap. fin. ead q.2.* illam Hieronymi auctoritatem præferret Canonibus conciliorum Chalcedonenſis, Cabilonenſis, Romani, Pariſienſis, Meldenſis, & Aquiſgranenſis, quibus ſancitum fuit, ut raptores raptas nullatenus habeant uxores, ſibivè ad conjugia legitima vindicare poſſint: ſed potius anathemate feriuntur ſi Laici, degradantur ſi clerici fuerint. Ait Gratianus Hieronymi auctoritatem idcirco potiorem eſſe debere quia nitatur teſtimonio divinæ legis, id eſt, *Exod.21.* Ineptè: Quaſi verò etiam illa concilia ignorarint eam legem: quæ non moralis, ſed politica fuit, accommodata illi reipub. Judaicæ, ideoq; temporalis & mutabilis, non æterna, ut præcepta decalogi ſive lex moralis, ut vulgo vocatur. Supervenit ante 40 annos ſynodus Tridentina, quæ voluit, ut quamdiu rapta permanſerit in poteſtate raptoris, matrimonium inter eos non conſiſtat: ſi verò rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto ac libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit, tum raptor eam in uxorem habeat: ſed tamen ita, ut & raptor, & omnes, qui ei opem, conſilium, & favorem præbuerint, ſint ipſo jure infames atque excommunicati, omniumq; dignitatum incapaces: clerici verò de proprio gradu decidant. Utroque autem caſu raptor mulierem raptam dotare cogatur decenter arbitrio judicis. *vid. ſeſſ. 24. Decret. de reform. matrim. cap. ſext.*

CAP.

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

DE MATRIMONIO INTER SENATOREM & libertam.

SEquitur 4. loco de matrimonio inter Senatorem & libertam, aliamq; humilem fœminam, Jure civili prohibito: Per jus autem Canonicum permiſſo. De Jure civili eſt *l.23. lege Papia. & l.44. lege Iulia ff. de R.N. l.15. uxorem. & ibi gl. C. de nupt. l.7. humilem. C. de inc. nupt. l.1. C de nat. lib. l. qui ſenator eſt. ff. de R.N.* quam legem eruditè explicat *Briſſon. in lib. de Iur. Connub.* Summa hæc eſt, nec Senatores nec liberos Senatorum potuiſſe libertinas, & quæ ipſæ, quarumvè parentes artem ludicram feciſſent, ducere, lege Julia & Papia prohibente. Ratio hujus juris erat: Quia videbatur ampliſſimi ordinis dignitas hujuſmodi conjugio contaminari & vileſcere. Nec quicquam intererat, ſua eſſet liberta, an aliena: Æquè enim ab utraque abſtinendum fuit Senatori, & filio ac Nepoti Senatoris. Deinde etiam tunc durabat prohibitio, & indigni habebantur liberti talibus nuptiis, quamvis ſe arrogandos dederint homini ingenuo. *l.ſciendum. ff. de Rit.Nupt.* Item quamvis jure aureorum ab Imp. fuerint decorati, *argument. l.ultim. ff de Iur. aur.annul.* Licet aliud ſit in iis, qui natalibus ſunt reſtituti: hi enim per omnia fiunt ingenui, & pro eo habentur, ac ſi nunquam ſuſtinuiſſent maculam ſervilem ſervitutis. *l.1.2 3. De nat. reſt. l. Imperialis. Cod de nupt.* Atque hæ ſunt ejus Juris ampliationes. Exceptiones ſive limitationes iſtæ: 1. Niſi indulgentia principalis acceſſiſſet, qua permittatur Senatori libertinam juſtam uxorem habere. *l. ſi ſenatori. ff. de R.N.* Altera eſt limitatio, Niſi quis Senatoriam dignitatem amiſiſſet. Huic enim libertina, quam quis in ordine Senatorio agens acceperat, juſta uxor eſſe incipiet *l. ſi quis in Senatorio. ff. de rit. nupt.* Quomodo & aliàs matrimonium ab initio nullum, poſtea multis ex cauſſis conciliari & convaleſcere poteſt. Exempla ſunt. *in l. Proculus. ff. de jur. dot. l minorem & l. eos qui. ff de R.N. l. etſi contra. Cod. de nupt.* Nec obſtat *l. quod ab initio. ff de Reg. Iur.* Non enim producenda eſt extra ſuum argumentum, de quo prolata eſt à JCto, id eſt, extra ea, quæ teſtamentis dantur, aut relinquuntur, *arg. l. pen. ff eod. tit.* In aliis verò ſpeciebus & cauſſis falſa erit, ſi ad eas extendere velis.

Tertia Exceptio eſt, niſi quis libertinæ nuptiis devinctus, poſtea ſit in collegium Senatorum cooptatus. Superveniens enim dignitas non dirimet matrimonium: tametſi olim inter JC. hac de re eſſet controverſia, quam ſuſtulit *Iuſtin. in l. ult. C. de nupt.*

Quarta eſt exceptio, niſi filia Senatoris, quæ libertino nupſit, artem ludicram exercuerit, vel corpore quæſtum fecerit, vel judicio publico damnata fuerit. *l. Senatoris. ff. de Rit. Nupt.* Huic enim non attinet honorem illibatum conſervare velle, cum ſeſe tanto dedecore contaminarit, ſuoq; nomini iſtam ignominiæ notam inuſſerit. Quomodo & alias leges non ſolent ſua cura & reſpectu dignari viles & infames perſonas.

Ita inquam obtinebat Jure civili veteri. At jure noviſſ. conſtitutum eſt à Juſtin. ut etiam maximis decorati dignitatibus poſſent contrahere cum libertis

Digitized by Google

& aliis humilioribus fœminis, dummodo curarent confici inſtrumenta dotalia. *Nov.78. & 117.* Unde ſumpta eſt Auth. *ſed novo Iure. C. de natur. lib.* Non mirum igitur, ſi hac in re Jus Canon. à civili diſcrepet, cum ipſum Jus civile varium ſit, atque per noviſſimum à veteri receſſum. De Juris Can. permiſſione *vid.c.3.ſi quis ancillam.29.q.2.* ubi Julius Papa ambiguitatem decidens talia connubia legitima eſſe cenſet, quæ fiunt inter patronum & libertam quamvis: nec excipit Senatorem. Ergo lex generaliter loquens generaliter etiam accipi debet, nec nos diſtinguemus, ubi lex non diſtinguit, per vulg. Quod autem addit rationem hanc, quia omnes nuptiæ fiant ex affectu, id eſt, conſenſu, & nihil legibus contrarium fiat in tali copulatione, de eo non immeritò dubitare licet. Nec enim ſequitur omnes nuptiæ ex affectu fiunt, ſive conſenſu contrahuntur: Ergo quivis quamvis ducere poteſt, & quævis cuivis nubere. Deinde quod ait, hic nihil fieri contrarium legibus, ſi id intelligas de Jure veteri falſum eſt. Sin de Jure Novellarum, tolerari poteſt.

CAPUT XXIV.

DE CONIVGIO CVM HERETICIS vel ſectariis.

SEquitur alia differentia, quo ad perſonas contrahentium nuptias. Jure civili licet cum hæreticis vel ſectariis miſcere conjugia, ut quidem vult *Accurſ. ad l. 16. ſi legibus. C. de epiſc. aud l ult. §. hìs illud quoque. C. de ſponſ.* Jure autem Canonico non licet. *c. 16. 28 quæſt. 1. cap. 14. De hæretic. in 6.* ubi confiſcantur dotes contrahentium cum hæreticis. Et meritò. Nam neque Judæi cum Samaritanis contrahebant, pietati ex parte dimidia adhærentibus. *arg. c. 4. Ioannis. Chryſ. homil. 16. in 1. ad Corinth.*

Quæritur, an liceat iis, qui à Rom. Eccleſiæ obedientia deſciverunt, ſive ſint Auguſtanæ confeſſionis ſive Helveticarum Eccleſiarum confeſſioni addicti contrahere cum Papiſtis? Et negat licere *Alb. Gentil. de Nupt. c. 19.* quia ſcilicet Papiſtæ nobis ſunt Antichriſtiani. Papiſtas autem non detrectare nobiſcum jungi, quia nos tantum pro hæreticis habeant. Sed utrumque periculoſum eſt dicere. Certè in Imperio Germ. utraque religio toleratur ex pace religionis, & ſæpè in iiſdem mœnibus, ubi nemo neget ſæpè fieri poſſe, ut inter diverſæ religionis homines contrahatur.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBRI

Digitized by Google

LIBRI SECUNDI.

CAPUT I.

DE SECUNDIS NUPTIIS, EARUMQUE odio ac vituperio.

POST primas nuptias dicendum eſt aliquid etiam de Secundis nuptiis, & videndum, quid hîc inter utrumque jus ſit diſcriminis.

Secundas autem nuptias vocamus omnes poſteriores, quæcunque ſequuntur primas, ſive alteræ ab illis & proximæ ſint, ſive ulteriores & remotiores, tertiæ, quartæ, quintæ, ſextæ, ſeptimæ, ut in hiſtoria Evangelica à Sadducæis objicitur Chriſto exemplum mulieris ſeptinubæ: vel etiam tertiæ ſupra viceſimas: ut memorabile, & multorum teſtimoniis approbatum exemplum multinubæ fœminæ, & viri, ut ſic loquar, multiduci refert *D. Hieron. in lib. de Monogam. cap. 3.* quod ſua ætate contigerit Romæ. Vidi, inquit, duo inter ſe paria viliſſimorum è plebe hominum comparata: Unum, quia viginti ſepeliſſet uxores, alteram, quæ vigeſimum ſecundum habuiſſet maritum, extremo ſibi, ut ipſi putabant matrimonio copulatos. Summa omnium expectatio, virorum pariter ac fœminarum, poſt tantas rudes quis quem prius efferret. Vicit maritus, & totius urbis populo confluente coronatus & palmam tenens, adoreamq; per ſingulos ſibi acclamantes uxoris multinubæ feretrum præcedebat. Hæc inquam matrimonia omnia ſecundæ nuptiæ à JCtis vocantur. De quibus hoc primum in genere ſciendum eſt, ſemper apud honeſtas nationes malè illas audiviſſe, & in odio fuiſſe: neque tantum apud eos, qui Chriſti fidem amplexi eſſent, verum etiam inter ipſos paganos. Indicabo prius nonnulla hujus odii teſtimonia: deinde cauſas ac velut fontes aperiam.

Ac primum quidem operæ pretium eſt cognoſcere, quid de ſecundis nuptiis ſenſerint priſci Doctores Eccleſiæ, quos Patres vocamus. Ordiar à Gregorio Nazianzeno, cujus hoc eſt ea de re judicium, in homil. ſuper dicto Evangelii: τὸ πρῶτον συνοικέσιον νόμος. τὸ δεύτερον συγχώρησις. τὸ τρίτον παρανομία. ὁ δ' ὑπὲρ τῦτο, χοιρώδης. Primum, inquit, matrimonium lex eſt, id eſt, legitimum; ſecundum permiſſio: tertium tranſgreſſio legum; qui hunc numerum excedit, porcinus eſt. Citat & *Cujac. in Nov. 2.* ſed paulò aliter, quam eſt apud Nazianzenum. Gravis profectò cenſura: ſed durius etiam pronuntiat Tertullianus *lib. de Exhortatione Caſtitatu:* Secundum matrimonium quaſi ſpecies eſt ſtupri. Cujus ſententiæ ſimilia loca ex ſcriptis Tertulliani & Hieronymi colligere & accumulare non eſſet difficile. Sed illis omiſſis, ad Jo. Chryſoſt. tranſeamus. Hic igitur *homil. 7. in 2. ad Tim.* quamvis interim ſecundas nuptias omninò prohibendas non cenſeat, ſcribit tamen, Mulieres non contentas priore matrimonio, (leg. enim ἀ στέργαζαι, pro αἱ στέργαζαι) ſed iterum nubentes maculare torum mariti prioris, & memoriam ejus violare. Nam ſi non nubere omninò, melius eſt quam nubere, melius

 quoque

quoque erit ſemel tantum quam ſæpiùs nupſiſſe. Idem Chryſoſt. *homil. 2. ad Tit.* Omnes, inquit, ſcitis, ſecundas nuptias, quamvis contrahi legibus non prohibeantur, tamen multis vituperiis eſſe obnoxias. Nec aliter judicat Baſilius Seleuciæ Epiſcop. qui Chryſoſtomo coætaneus fuit, cujus hæc ſunt *homil. antepen.* *οἱ μετὰ τὴν τελευτὴν τῶν γυναικῶν ἑτέρας προσμιγνύμενοι, παρὰ πολλῶν καταγινώσκονται, εἰ καὶ μὴ κόλασιν ἔχει τὸ πρᾶγμα.* h. e. Qui poſt mortem uxorum commiſcentur cum aliis, à multis damnantur, tametſi ea res pœnam nullam habeat propoſitam. Epiphanius autem paulò clementior in hac re eſt cæteris *Tom. 1. lib. 2. contra hæreſin Catharorum* ſic ſcribens: Licitum eſt populo, ut propter imbecillitatem feratur, & ut qui non poſſunt prima uxore contenti eſſe, ſecundæ poſt mortem primæ conjungantur. Et qui quidem unam habuit, in majore laude ac honore apud omnem concionem habetur: Qui verò non potuit una mortua contentus eſſe, ob aliquam cauſam, ſcortationem aut adulterium, aut ſeparatione ob aliquam malam cauſam facta, eum divina ſcriptura non accuſat, ſi aut vir ſecundæ conjugatur uxori, aut uxor ſecundo viro: neq; ab Eccleſia & via abdicat, ſed ſuffert per debilitatem: non ut duas uxores ſimul habeat, altera adhuc ſuperſtite; ſed ut ab una ſeparatus, ſecundæ, ſi ita contingat, lege copuletur, divina ſcriptura & ſancta Dei Eccleſia ejus miſeretur: maximè ſi aliàs talis ſit pius, & ſecundum legem Dei vivat. Etenim alioqui non dixiſſet Apoſtolus viduis: Nubant, liberos pariant, familiam gubernent. Hæc nunc ex SS. Patribus teſtimonia adduxiſſe ſufficiat. Neq; verò mirum eſt, horum pleroſq; ita judicaſſe (quorum magnam fuiſſe morum ſeveritatem vitæq; auſteritatem conſtat) cum ipſorum etiam Ethnicorum extra Eccleſiam Dei ſimilia fuerint de ſecundis nuptiis judicia. Sic enim de Romanis veteribus teſtatus Val Max lib. 2. Multorum matrimoniorum experientiam quaſi legitimæ cujuſdam intemperantiæ ſignum eſſe judicabant. Videri quoque poteſt D Hieronymus *lib. 1. adverſus Iovinianum*, poſterioribus aliquot capitibus, ubi exempla commemorat plurima utriuſque ſexus eorum qui à ſecundis nuptiis abhorruerint. Omitto jam Epigramma Græcum in ſecund. nupt. quod repetentem nuptias comparat cum eo, qui ſemel naufragio facto rurſum naviget. Pontefices Romani benedictionem ſacerdotalem (quæ primò nubentibus adhibetur in Eccleſia, de qua *Ignat. epiſc. ad Polycarp. meminit, & Tertull. lib de pudicit. c. 4. & lib. 2. ad uxor. c. 9. & Conſtant. Harmenop. lib. 4. Epitom. tit. 4. Hotom. Illuſt q. 25. & Cujac. ad rubr. & c. 1. extr. de ſponſ. & matrim.*) hanc ergo benedictionem vetuerunt uſurpari in ſecundis nuptiis, ſive quod has ea indignas cenſerent, ſive quod actus legitimus non videretur ipſis iterandus: quam poſteriorem rationem indicare videtur *Vrb. 3. in c. 3. vir autem. extr. de ſecund. nupt.* Adeoque puniri voluerunt presbyterum vel capellanum, qui contra feciſſet, ſuſpenſione ab officio & beneficio *c. 1. d. t. de ſec. nupt.* quæ conſuetudo denegandi benedictionem ſecundis nuptiis pervetuſta eſt in Eccleſia. Reperitur enim etiam apud *D. Ambroſ. comment. in 1. ad Corint.* A DEO, inquit, primæ nuptiæ ſunt: Secundæ verò permiſſæ ſunt: Denique primæ nuptiæ ſub benedictione Dei celebrantur ſublimiter: Secundæ autem & tertiæ præſenti carent gloria Idemq. *in 1. ad Tim. cap. 3.* homini unam uxorem decrevit Deus. Nemo enim cum ſecunda bene-

Digitized by Google

benedicatur. (Notandum *in ff. non eſt tit. de ſec. nupt.*) Imperatores quoque ſecundas nuptias, tanquam odioſas, non modò in uxore, ſed etiam in viro multis pœnis conſtringere voluerunt, ut videre licet *ex Conſtit. ſub tit. C. de ſecund. nupt.* Inter quas inprimis eſt nobilis, *l. hac edictali. C. illo tit.* Videantur & Novellæ quædam hac de re, & inprimis *Cujac ad 2. v. g.* coërcetur liberalitas parentum erga ſecundum ſecundámve conjugem, ne ullo titulo ei dent, donent, relinquant, ſive inter vivos, ſive mortis cauſa plus quàm uni ex liberis prioris matrimonii, cui minimum dederint, donaverint, reliquerint, ex bonis aliundè quàm ex priore conjuge quæſitis: Eorum verò quæ à priore conjuge acquiſierint, proprietatem ſervent liberis prioris matrimonii. Item pœnæ genus eſt, quod mater tranſiens ad ſecundas nuptias amittit jus tutelæ, cùm aliàs poſſet eſſe tutrix liberorum ſuorum. *l. 2. cum 2. Authent. ei ſubjectis, quæ ſumptæ ſunt ex Nov. 94. & 118. C quan. mul. tut. off. poſſ.* Pluresq; pœnas iterantium nuptias ex jure paſſim collectas videre licet apud *P. Greg. in Syntagm. Iur. univ. lib. 9. c. 26.*

CAPUT II.

DE CAUSIS, OB QUAS SCUNDAE NUPTIAE tàm ſint exoſæ.

SEd quæ cauſa eſt, dicat quiſpiam, cur ſecundæ nuptiæ tanto laborent odio, & his, aliiſq; pœnis dignæ viſæ ſint legumlatoribus? 1. Quia intemperantiæ & libidinis inſatiabilis quandam ſpeciem præ ſe ferunt, ut eſt *apud Val. Max. d. loco.* 2. Quia ſecundo nubens prioris conjugis memoriam obliterare & obterere videtur, nec ſincerè unquam eum amaſſe. 3. Quia novercam vel vitricum inducens liberis prioris matrimonii, eos injuria afficere & multis moleſtiis implicare videtur. Quas duas cauſas auctoritate ſummorum auctorum comprobare placet. Sic enim *D. Ambroſ. in 6. hexaëmeron:* Plerunque, ait, mutato concubitu parentes depravantur, prælatis filiis poſterioris copulæ: neglectis autem his, qui ex priore progeniti ſunt. Idemque ante Ambroſium ſcripſerat etiam *Baſil. M.* in de opere VI. dierum, quem librum ſibi Mediolanenſis ille antiſtes ad imitandum propoſuit. πατὴρ διὰ δευτέρων γάμων τῶν προτέρων παίδων ἐπιλανθάνεται. Sed nec Homerus, omnis ſapientiæ humanæ fons id tacuit *Odyſſ. 6.* cujus ſententiam ſic latinè exprimere poſſumus:

Non neſcis, qualis mulier ſit prædita mente:
Præſentis ſtudet uſque domum amplificare mariti:
Conjugis ac ſobolis plerumque oblita prioris:
Nec curam fermè illorum gerit amplius ullam.

Hinc & Epigrammatarius *Gr. in Antholog.* μητρυιαὶ προγόνοισιν ἀεὶ κακόν. Novercæ privignis ſemper malum. Et Menander Comicus ex ipſa experientia loquitur:

δεινότερον οὐδὲν ἄλλο μητρυιῆς κακόν.
Nuſquam noverca majus eſt ullum malum.

Hinc etiam eſt quod mulier ad ſecunda vota tranſiens tria dicitur negligere, nempe Deum, memoriam mariti defuncti, cujus animam contriſtat, & filiorum priorum caritatem, *ut ex Nov. Inſt. de nupt. repetit. Rol. à Vall. conſ. 68. num. 29. & ſeq. vol. 4. vide & Io. Sichard. conſ. matr. 7.* Hinc quoq; odium novercale jam olim quaſi in pro-

ſunt, tùm infamia. *l.1.& 2.C.de ſec.nupt. l.1.8.9.10 11. &c. ff. de his qui not. infam. d.l. 15. C.eod.tit.ubi de aliis pœnis videri poteſt Gothofred. in Not. & Cujac. ad d. Nov. Ampl.1.* Quod adeò verum eſt, ut etiam illa notetur infamia, cujus mariti memoria damnata eſt, ut more majorum lugeri non debeat. *d.l.11. liberorum. §.1. de his qui not. infam. juncta l.35. minimè. ff. de relig. & ſumpt. fun.* Etſi enim una prohibitionis ratio ceſſat, nempe reverentiæ maritalis, quæ tali non debetur, cujus memoria damnata eſt: tamen adhuc durat altera, nempe metus turbandi ſanguinis, ſive incertitudo generationis. Eſt autem regula, Si alicujus legis aut juris cauſæ, ſive rationes finales ſint plures, quarum unaquæque per ſe ſufficiat, tunc quamvis una ceſſante non ceſſare diſpoſitionem illius juris, ſed firmam remanere. *Nic. Everh. in loco à ceſſatione rationis in 2. limitatione arg. §. affinitatis. & §. ſocrum. Inſtit. de nupt. cum aliis legum locis, per eum ibi adductis.*

Deinde ampliatur hoc Jus, ut non tantum ipſa mulier fiat infamis, quæ intra annum luctûs immaturas contrahit nuptias, ſed etiam qui ipſam ſciens ejus conditionem ducit, quamvis ſit miles. *d.l.11. §.ult. ff. de his qui not. infam. d.l.15. decreto. C. eod.* Dixi, ſciens. Nam ignorantia non quidem juris, ſed facti excuſata & extra pœnam eſſe debet. *l.8. in verb. ne ignorantia puniatur. d.l.11. in fin. l.9. ff. de jur. & fact. ign.* Ad infamiæ notam hoc quoque pertinet, quod olim ex legibus Numæ Pompilij hujuſmodi fœmina vaccam prægnantem immolare cogebatur, teſte *Plutarch. in Numa.* Exceptio autem illa eſt, Niſi veniam à principe impetrarit, ut intra legitimum tempus ei nubere liceret. *l. ſolet. 10. ff. de his qui not. inf.* remiſſa ei infamiæ macula. *l.4. ſi qua mulier. Cod. ad SC. Tertull.* Quid ſi maritus uxori ſuæ teſtamento dederit licentiam iterum nubendi? Quid ſi liberi conſentiant? Reſp. hac de re paulò poſt explicabo. Sic, inquam res eſt Jure civili.

CAPUT IV.

DE ABROGATIONE IURIS CIVILIS PER CANONICUM circa pœnas ſecundarum nuptiarum.

NUnc de Jure Canonico videamus: quod continetur *in c. pen. & ult. extr. de ſecund. nupt. & apud Gratian. ſub c.7. Euphemium. 2. q.3.* nempe, Mulierem licet poſt viri obitum intra tempus luctûs ſive unius anni ſpatium nubentem, nullam tamen per id ſubire infamiam. Atque ita Jus Canonicum hac in parte abrogat Jus civile. Sed quam rectè & rationabiliter id fiat, operæ pretium eſt animadvertere.

Pro ratione afferunt Pontifices *Vrb. III. & Innocent. III.* auctoritatem Pauli Apoſtoli, cujus hæc eſt ſententia *Rom.7. v.2. repetita 1.Corint.7. v.39.* Mulier quamdiu vir ejus vivit, lege adſtricta eſt viro ſuo: cum verò mortuus fuerit vir, ſoluta ac libera eſt à lege viri, ut poſſit jam cui velit nubere, tantum in Domino. Hæc illi ita acceperunt, quaſi per licentiam & auctoritatem Apoſtoli mulieri per leges ſeculares irrogata aboleatur: & quaſi hoc voluerit Apoſtolus, Mulierem morte prioris mariti factam viduam, & vinculo matrimonii ſolutam, poſſe ſtatim etiam intra annum lugubrem nubere alteri citra pœnam infamiæ, quæ ei Jure civili ſubeunda erat ob cauſas ſupradictas, nempe ob conculcatam prioris matri-

Digitized by Google

CAPUT V.

STATUTUM NORIMB. REIPUB. DE TEMPORE SECUNDARUM NUPTIARUM GERMANICO-LATINUM.

PRiuſquam exequamur quod modò promiſimus, relatis Dd. opinionibus, operæ pretium fuerit Statutum quoddam inclytæ Reip. Norimberg. de ſecundarum nuptiarum tempore in utroque ſexu, & de præmaturè iteratorum pœna hîc ſubjicere, Latinè à nobis interpretatum. Sic igitur habet *in Reform. Norica l.10. t.28.*

In was Zeit ein Ehegenoß nach abſterben deß andern heurathen mög.

Nach dem ſich ein vnehrbar vnd ſchädlicher Mißbrauch/ im widerverheuraten/ fürnemlich der Wittiben halber vielfältiglich begibt/ daß je bißweilen ſie die Wittibin/ vngeacht ſie von jhren verſtorbenen Ehemännern/ geſchwängert/ oder zum wenigſten auff einem wohn derſelben Schwängerung ſeyen/ ſich widerumb verheuraten/ vnd ehe ſie von der Geburt kommen/ oder ehe man der Empfängnuß oder Schwängerung halben/ ein recht anzeigen haben mag/ zu vollziehung der Ehe greiffen/ darauß in Erbfällen vnd wem das Kind Geblüts halben zugehörig/ ſich allerley Weitläufftigkeiten zu getragen/ vnd fürter hin noch mehr vnd leichtfertiger zutragen möchten/ Weil dann ſolche vnzeitige Heurat/ vnd vollziehung derſelben (nicht allein bey den alten löblichen Keyſern vnd Geſetzgebern/ ſondern auch bey den Heyden verhaßt geweſen/ derowegen auch viel ernſtliche Straffen/ in geſchriebenen Rechten/ wider die Verbrecher geordnet/ vnd ſolcher ärgerlicher Mißbrauch einer jeden Chriſtlichen Oberkeit/ nicht vnbillich zu mißfallen reichen/ vnd nicht geſtattet oder geduldet werden ſoll.

So hat demnach ein Rath/ auß viel bedencklichen Vrſachen geordnet/ ſetzen vnd ordnen auch hiemit/ daß hinfüro keiner Wittibin die ſchwanger/ oder da ein Vermutung oder wohn einer Schwängerung ſeyn möcht/ allhie vnd auff dem Land/ in eins Raths vnd der gemeinen Stadt Oberkeit vnd Gebieten zu heurathen/ viel weniger Hochzeit zu halten vnd beyzuſchlaffen/ geſtattet werden ſoll/ biß ſie deß Kinds geneſen/ vnd auß der Kindbett kommen iſt.

Vnd ob gleich nicht kundbar/ ſonder zweyfelig/ daß die verlaſſene Wittib ſchwanger/ oder auff einem Wohn were/ ſo ſoll doch in ſelben fällen/ auch ſonſt vnaußgeführt redlicher Vrſach/ kein Wittibin in dreyen Monatẽ den nechſten nach abſterben jhres vorigen Manns/ ſich in den Eheſtand begeben/ verkünden laſſen/ beyſchlaffen/ noch Hochzeit halten. Wann es aber darüber geſchehe/ ſo ſoll das Weib alles das/ ſo jhr ſonſt von deß verſtorbenen Manns Haab vnd Gütern gebüret hette/ verwürckt haben/ vnd das Eygenthumb mit ſampt der Nutzung ſolcher Güter/ den Kindern/ ſo ſie mit dem verſtorbenen jhrem Ehemann erzeuget/ oder ſo die nicht vorhanden/ den nechſten Freunden deß verſtorbenen Ehegenoſſen folgen vnd bleiben/ vnd wil jhme ein Rath nichts deſto weniger/ nach geſtalt vnd gelegenheit einer jeden Vbertrettung/ ernſtliche Straff vorbehalten haben.

Digitized by Google

Es ſoll auch gleichfalls der Mann/ zu Ehr deß von Gott eingeſetzten Eheſtands/ vnd ſchuldiger Gedächtnuß/ deß verſtorbenen Ehegenoſſen / in berührter Zeit der dreyer Monat/ ſich deß Heuraten enthalten/ bey jetztgemelter Straff/ verwirckung der Güter/ die gleicher geſtalt den Kindern erſter Ehe / oder in mangel derſelben/ deß verſtorbenen Freundſchafft/ fällig ſeyn ſollen.

Hoc eſt: Cotidiana edocti experientia comperimus, Turpem quendam & noxium abuſum in iteratione nuptiarum, maximeq; ex parte viduarum, multifariam committi, dum videlicet nonnunquam viduæ, quantumvis ſibi conſciæ impregnationis à prædefunctis maritis ſuis factæ, & uterum gerentes, aut certe ſe gerere ſuſpicantes, ad ſecunda convolant vota, & antequam pariant, aut de conceptione & imprægnatione ipſarum poſſit certum haberi judicium, conſummant alterum matrimonium. Qua quidem ex re in quæſtionibus de jure hereditatum ac ſucceſſionum, & de prolis ſtatu, ad quem illa jure ſanguinis pertineat, omnis generis difficultates & perplexitates hactenus extiterunt, & periculum eſt, ne deinceps quoq; plura ac majora ſubinde ex iſta levitate exiſtant incommoda.

Cum autem præmaturæ iſtiuſmodi & nimis feſtinatæ nuptiæ, earumq; conſummationes, non ſolum apud veteres laudatiſſimos Cæſares ac legumlatores, ſed etiam apud ipſos paganos, à vera Chriſti fide alienos, & extra Eccleſiam Dei conſtitutos, admodum exoſæ fuerint, qua etiam de cauſa multæ graves ac ſeveræ pœnæ ſcripto jure in tranſgreſſores legum ſancitæ ſunt, & proinde fœda ejuſmodi conſuetudo non immeritò unicuique Chriſtiano magiſtratui graviſſimè diſplicere, nec ab eo permitti aut tolerari amplius debeat: Idcirco Ampliſſimus ordo multis graviſſimis argumentis motus cenſuit & hoc ipſo ſtatuto ſancit atque cavet, ut in poſterum nulli viduæ, quæ vel verè ac certò ſit gravida, vel de qua ſit conjectura, præſumptio & ſuſpicio aliqua conceptionis atque imprægnationis, nec in urbe, nec extra urbem, quaqua territorium Noricum extenditur, liceat ſecundas contrahere nuptias, multoq; minus nuptiales celebrare ſolemnitates, aut carnaliter ſe cum alio viro commiſcere, niſi prius infantem in lucem ediderit, & puerperii ſolemnia exegerit tempora.

Ac tametſi non fuerit res certa ſed dubia de utero, quem relicta vidua ferat ex priore marito, aut ſi ſuſpicetur ſaltem ſe prægnantem eſſe: Tamen ne quidem in his caſibus incertis, aut aliis ulli viduæ integrum erit, ſine juſta eaque cognita cauſa, intra trimeſtre proximum à morte prioris mariti, aliud effectare matrimonium, aut curare ejus bannum ſive proclamationem in Eccleſia faciendam, nuptialem pompam ſive domum ductionem celebrare, & cum novo marito in cœtum convenire. Si contra faxit mulier, tum verè perdet omnia bona & lucra, quæ aliàs ex mariti prioris ſubſtantia ad ipſam pertinuiſſent: Eorumq; tàm proprietas quàm uſusfructus ſive plenum ac ſolidum dominium vel ad liberos prioris matrimonii, vel his non extantibus ad defuncti proximos cognatos devolvetur perpetuò permanſurum. Adhæc Ampliſſ. Senatus nihilominus ſibi reſervavit pœnam arbitrariam, eamque ſeveram ac gravem pro modo admiſſi ſive pro circumſtantiis & qualitate delicti tranſgreſſoribus infligendam. Sed & maritus viduus ſimiliter (quamvis in eo ſuperiores rationes ceſſent) in honorem divinitus

inſtituti

inſtituti conjugii, & religioſæ memoriæ defunctæ uxori debitæ ergo per trimeſtre illud ſpatium, quod viduis mulieribus præfixum eſt, à ſecundis nuptiis penitus abſtinebit, idq; ſub eadem pœna amiſſionis bonorum, quæ ad ipſum ex defunctæ conjugis ſubſtantia alioquin perveniſſent: quæ ſimiliter aut liberis prioris matrimonii, aut his deficientibus cognationi defunctæ pleno jure committentur.

Hactenus ſtatutum Noricum honeſtiſſimum certè, quo occurritur quodammodo confuſionibus ſecundarum nuptiarum, quas invexerat Jus Pontificium ex malè detortis locis epiſtolarum Paulinarum. Juri enim canonico iſtas confuſiones, de quibus Ampliſſ. Senatus initio ſtatuti hujus conqueritur, acceptas referre debemus. Quod autem per omnia non fuerit revocata res hæc ad diſpoſitionem Juris Civilis, id eſt, ad annum luctûs, procul dubio graves cauſæ moverunt Senatum, in quas curioſius inquirere non eſt modeſtiæ noſtræ. Conjicere tamen liceat de his duabus cauſis. 1. Quod ſicut ex præmaturis ac nimis feſtinatis ſecundis nuptiis magnæ extiterunt confuſiones, ita etiam nimis diu totumq; in annum dilatæ nuptiæ non videbantur ſuis incommodis cariturae, hoc præſertim ſeculo ἐπιθυμικῷ potius, quam vel λογικῷ vel θυμικῷ. 2. Quod illa, quæ ex Pontificio jure inter homines invaluerat conſuetudo, nimis fuerit robuſta ac potens, quàm ut ſimul ac ſemel ſine magno motu & ſcandalo evelli aut aboleri potuerit, & revocari ſtatim ad honeſtatem illam primævam jure civili definitam. Hoc quoque in ſuperiore ſtatuto obſervandum venit, quod etiam maritis viduis aliqua mora, nimirum trimeſtris, injungitur, quibus & jure civili, & multo magis jure Pontificio, licet alioquin ad ſecundas, quandocunque voluerint, tranſire nuptias. Nam ut Paulus ait *in l. 9. de his qui not. infam.* uxores viri lugere non compellentur.

CAPUT VI.

AN PRAETER INFAMIAE POENAM IUS CANONICUM alias quoque Iuris Civilis pœnas circa ſecundas nuptias ſuſtulerit.

SEd an per Jus Canonicum ſicut pœna infamiæ, ita & omnes aliæ pœnæ ſecundarum nuptiarum jure civili mulieribus irrogatæ, ſublatæ ſunt? Et licet non defuerint, qui hoc vellent, indiſtinctè pœnas legales ſecundarum nuptiarum hodiè abrogatas eſſe Jure canonico, ut poſt *gl. in l. decreto. in fin. C. ex quibus cauſis infam. irrog. Archidiacon. in c. Euphemium 2. quæſt. 3. & in c. ult. extr. de ſecund. nupt. Paul. Caſtrenſ. conſ. 366. in 1. vol. aliiq; allegati ab Ant. Gabriel. Rom. lib. 3. comm. concluſ. 6. verſ. contrarium tenuit.* Tamen communior & verior eſt altera ſententia, non omnes eſſe ſublatas, ſed adhuc hodiè manere, præter pœnam illam infamiæ: ut ipſe *Innoc. ad d. c. fin.* diſtinxit inter pœnam præproperè nubentis mulieris: & pœnas ſecundò nubentis poſt tempus luctûs: quarum illam dicit auctoritate Apoſtolica eſſe ſublatam (quam benè verò & appoſitè allegarint Pontifices auctoritatem illam ſupra vidimus) has verò dicit manere non ſublatas. Eamque ſenten-

Digitized by Google

tiam utriuſque Juris interpretes, ſive ut loquuntur & Canoniſtæ & Legiſtæ, plerique omnes ſecuti ſunt: ut videre plurimos licet apud *Matth. de Affl. ct. deciſ. Neapol. 75. & ibi allegat. in Apoſtill. ad eundem. Item apud Gabriel. d. concluſ. 6. in pr. & apud Ioan. Fichard. conſ. 33. n. 12. vol. 2. And. Gail. 2. obſer. 98. n. 8. Emanuel Soarez. Theſ recept. ſent. lit. N. n. 77. & ſeqq.* quos non eſt noſtrum hîc compilare. Rationes potius quàm auctores hujus ſententiæ videamus Rationem igitur Innocent. aliique reddunt iſtam, Quia aliæ pœnæ præter infamiam mulieris non tàm ſint pœnæ ſecundo nubentis, quam favorabilis quædam proviſio liberorum primi matrimonii (ſic enim loquuntur) quibus haud dubiè damnum infertur per ſecundas nuptias. *vid. Fichard. d. loco. num. 12.*

Poteſt etiam hæc reddi ratio, quæ & magis fortaſſe ad rem pertinet: Quia ipſum Jus Pontificium *in d. c penult. & ult. de ſecund. nupt.* expreſsè tantum unam infamiæ pœnam tollit, & abrogat; non etiam alias. Jus autem correctorium & novum ſtrictè in terminis ſuis, de quibus loquitur contineri, nec ad alia produci debet. Cætera autem, quæ non corriguntur expreſsè quare ſtare prohibentur? *arg. l. ſancimus. C. de teſtam. & l. præcipimus. C. de appella.* Itaque opus quidem fuerat ulla de hac re quæſtione aut dubitatione, ſi modo dictos textus rectis oculis aſpexiſſent Interpretes Manent igitur aliæ omnes pœnæ ſecundarum nuptiarum etiam hodie, & quidem extant exempla, quibus illæ judicialiter ſunt approbatæ, ut teſtatur celeberrimus Practicus *Germ. d. conſ. 33. n. 16. in fin.*

Sunt tamen hîc obſervandæ quædam exceptiones, quibus mulier abſque metu pœnæ nuptias iterare poteſt: Ut 1. Si ad ſecundas tranſeat nuptias cum conſenſu prioris mariti, ſi inquam hoc ei permiſerit vel teſtamento ſuo, ut aliquando factum meminimus, vel aliàs extra teſtamentum. Ratio eſt, Quia hoc caſu maritus jus ſuum ei remittit, quod facere poteſt ex generali regula. *l. ſi quis in conſcribendo. C. de pact. l. ſi judex. de minor. 25. ann.* Nec poteſt tunc dici, quod mulier parum obſervans fuerit religionis & memoriæ marito debitæ, ejuſve manibus injuriam fecerit: cum volenti & conſentienti non fiat injuria, vel fraus, vel dolus, *ut eſt in regg. Iuris. l ſcienti. l. 1. §. uſq; adeò de injur. l. cum donationu. C. de tranſact.* Hinc tamen diſtinguunt Dd. inter eam quæ intra annum luctûs cum conſenſu mariti nubit, & eam quæ poſtea, ut prior non omninò effugiat omnes pœnas: poſterior impunita ſit. Et meritò Nam contra bonos mores & honeſtatem Iuris publici, qui in priore caſu verſatur, nihil valet privatorum pactio aut conſenſus. *l. 38. Ius publicum. ff de pact cum ſimilibus.* Et turpia teſtamento caveri non poſſunt. *l. turpia. l. ſi quis inquilinus. § ult. de leg. 1.* Accedit, quod nemo poteſt cavere, ne leges in ſuo teſtamento locum habeant. *l. 55. Nemo poteſt. de leg. 1.* 2. Exceptio eſt, niſi liberi prioris matrimonii conſenſerint ſecundis nuptiis. Quo pertinet etiam is caſus, ſi liberi de ſecundis nuptiis nullam interponant querelam. Et quidem ſi plures ſint liberi, omnes neceſſe eſt conſentire, nec ſufficit ſi vel maxima pars conſentiat. Quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. *argum. l. per fundum. de ſervit. ruſt. præd. l. ult. C de auct. præſt.* Ratio eadem eſt, quæ in præcedenti exceptione, tum quia unuſquiſque juri & favori pro ſe introducto rectè renuntiat; tum quia volenti & conſentienti non fit injuria. Nihil autem intereſt, ſive

ſive expreſſus ſive tacitus ſit conſenſus: Eadem enim hîc quoque eſt virtus taciti quæ expreſſi. 3. Exceptio eſt, niſi liberi ratas habuerint ſecundas nuptias. Nam & ratihabitio mandato comparatur & conſenſum continet ſubſequentem. 4. Exceptio eſt, niſi tutores vel propinqui liberorum prioris matrimonii adhuc impuberum conſentiant ſecundis nuptiis. 5. Exceptio, Niſi nulli extent ex priore matrimonio liberi. Tunc enim nemo eſt, cui poſſit inferri per ſecundas nuptias injuria. 6. Exeptio eſt, niſi Princeps conceſſerit ſuperſtiti licentiam contrahendi ſecundas nuptias. De his aliiſq; pluribus exceptionibus ſive caſibus, quibus ceſſent pœnæ ſecundarum nuptiarum videri poſſunt. *Nic. Boër. deciſ. 185. Pariſ. conſ. 29. lib. 3. Io. Coraſ. 3. Miſc. c. 1. num. 11. & ſeqq. Mynſ. cent. 5. obſ. 24. nu. 6. & ſeqq. uſque ad fin. Anton. Gabriel. Rom. comm. concl. lib. 3. tit. de ſec. nupt. And. Gail. 2. obſ. 98. Nic. Vigel. in Meth. Iur. controverſ. lib. 3. c. 8. reg. 65. per tot. P. Greg. Syntagm. Iur. Univerſ. lib. 9. c. 26. prope fin. num. 53. & ſeqq.* & quos præterea illi allegant.

CAPUT VII.

DE LIBERIS.

POſteaquam de primis pariter & ſecundis nuptiis diximus, proximum eſſe videtur, ut de Liberis, qui ſunt Nuptiarum quidam fructus, tum deinde de Divortio, quo matrimonia diſſolvuntur, tractemus, & breviter annotemus Utriuſque Juris, ſi quæ etiam hîc occurrent, differentias. Ad liberos quod attinet, eorum diviſionem alibi traditam hîc nihil neceſſe eſt repetere, videri poſſunt præter *Valent. Forſter. in Tr. de ſucceſſ. & Gabriel. Palæot. in tr. de Noth. & Spur.* ea quæ annotavi *in Partit. meis Feudal. lib. 1. c. 13. q. 2.*

Primum igitur, quod ad liberorum legitimationem attinet, eam quæ fit per ſubſequens matrimonium, in eo quidem hactenus convenit inter utrumq; Jus, quod tanta vis ſit matrimonii, ut antea geniti, id eſt, illegitimè nati, poſt contractum matrimonium legitimi habeantur. *Nov. 89. Quibus modis natu. effic. ſui. & dictum eſt §. fi. Inſt. de Nupt. c. 6. Tanta extr. qui fil. ſint legit.* Sed in eo putant vulgò eſſe differentiam inter Jus civile & Pontificium, quod cum jure civili oporteat intervenire dotalia inſtrumenta. *l. 10. cum quis à muliere, cum l. ſeq. Cod. de nat. lib. & d. §. ult. Inſt. de nupt.* Jure Canonico illa non ſint neceſſaria. *arg. d. cap. 6. tanta.* Ubi tamen nullum verbum reperias, quo Jus civile abrogetur, aut neceſſitas illa tabularum matrimonialium hoc caſu negetur: ut ita hæc differentia non immeritò in dubiũ vocari poſſit. Nam ut ſuprà dictum, Jus quod non reperitur expreſsè mutatum, præſumitur ſtare ac manere incorrectum. Illud autem Jure Can. honeſtiſſimè & optima ratione cautum eſt, prolem quam quis ex pellice ſuſceperit, priore uxore adhuc vivente, legitimam non fieri, etiamſi poſt morté uxoris eandem duxerit. *d. c. 6. tanta. verſ. ſi autem.* Ratio eſt, Quia cum ea, quæ fuit pellex, non eſt legitimum matrimonium: non poſſunt, inquam, inter ſe matrimonio jungi qui antea ſe adulterio contaminarint. *c. 1 & c. 2. deniq; 31. quæſt. 1. Auguſtin. lib. 1. de nupt. & concup. cap. 10.* ubi rectè notat Cujac. Gratianum perperàm detraxiſſe negationem, cum ita potius legendum ſit ex ipſo Auguſtino: mortuo viro,

cum

cum quo verum connubium fuit, fieri non poteſt conjugium,cum quo præceſſit adulterium. Sed hujuſmodi falſationes Patrum non ſunt novæ Gratiano & ejus ſectatoribus. *vid. Cujac. ad c.1. De eo qui dux. in mat. quam poll. per ad.*

Sequitur alia differentia quoad liberos. Jure Civili nati ex legitimo matrimonio ſequuntur patrem. *l. cum legitimæ. l. lex. de ſtatu hom. Vlp. tit. 5. lib. reg.* Connubio interveniente liberi ſemper patrem ſequuntur: non interveniente connubio matris conditionem accedunt. Jure autem Pontificio matrem ſequuntur,etiamſi matrimónium ſit contractum inter ſervum & liberam: quos inter jure civili non eſt connubium. *l.3. C. ſolut. matrim. l. partum. C. de R.V. l. Severus. de decur. l.16. C. de poſtlim. reverſ. Cujac. ad c. un. de natis ex lib. ventre.*

Rurſum alia differentia eſt quo ad liberos ex damnato aliquo coitu natos, puta ex adulterio, vel inceſtu, & horum alimenta. Regulariter parentes liberis alimenta debent & educationem. *t.t. ff. de adgnoſ & alend. liber. t.t. C. de alend. liber.* Idq; ex jure naturali,quod natura omnia animalia docuit,quodq; nõ humani generis proprium, ſed omnium animalium commune eſt. *l.1. §. Ius naturale. ff. de juſt. & jur. init. tit. Inſtit. de jur. nat. gent. & civ.* Alimonia autem qui denegat necare videtur. *l.4 necare. ff. d. t. de agnoſc. & al. lib. l.5. C. de L. Aquil.* Sed ab hac regula Jure civili excipiuntur liberi ex damnato coitu nati. his enim alimenta non debentur. *Novell. 89. c.15. Vnde ſumpta eſt Auth. ex complexu. C. de inc. & inut. nupt.* Et hoc eſt quod ait Papa *Innoc. III. in cap. pen. per venerabilem. qui ſil. ſint legit.* Seculares leges non ſolum repellere manzores & ſpurios, ſive ſobolem ex adulterio ſuſceptam à ſucceſſione paterna, ſed etiam alimenta ipſis negare. Ratio Juris civilis fuit ſtudium & amor caſtitatis, ut vel reſpectu & cogitatione ſobolis ſuæ uniuſquiſque ad eam colendam tantò magis impelleretur, cum parentes etiam magis terreantur in liberis, quàm in propria perſona pro ſuo affectu, ut eleganter *Paul. in l.8. Iſti. in fin. ff. quod met. cauſ.* Hinc Bald. ait in conſilio quodam, Jus civile in tantum amaſſe caſtitatem,ut deſtruxerit paternam pietatem: cujus dictum refert *And. Gail. 2. obſ. 88. nu. 5.* Sed hunc legum rigorem Jus Pontificium æquitatis prætextu mitigavit, & voluit,ut alimenta talibus liberis præſtarentur, ſive neceſſaria ſubminiſtrarentur pro modo facultatum donari legarivè poſſent. *cap. 5. cum haberet. in fin. de eo qui dux. in matrim. quam poll. per adult.* ubi & Cujac. hanc differentiam noviſſimè annotavit. Ratio Juris Canonici ex jam dictis intelligitur, nimirum æquitas & pietas naturalis. Etſi enim non ſunt juſti & legitimi liberi,tamen Jure naturæ inſpecto liberi ſunt. Natura autem omnibus eſt communis. *l. 32. quod attinet. ff. de R.I. ubi dixi.* Fortaſſis etiam movit Pontifices ad abrogandam Juris civilis aſperitatem iſta cogitatio , Quod liberi innocentes non debeant alieni delicti culpam ſuſtinere, ſive alienum onus portare, *argument. l. 22. ſancimus. C. de pœn.* cum ſimilibus locis, quibus cum etiam ſacræ literæ conveniunt. Putant autem æquitatem iſtam Juris Canonici præferendam rigori Juris civilis. *Panorm. in d. c. cum haberet. n. 5. ubi allegat in hanc rem etiam Bart. auctoritatem.*

CAP.

Digitized by Google

Caput VIII.

DE DIVORTIO, EIVSQVE CAVSIS ET primum ob adulterium.

SEquuntur jam aliquot differentiæ circa Divortii materiam. Divortium, quo inter alios modos dirimitur matrimonium. *l.1. ff. de divort. & repud.* dictum eſt à diverſitate mentium, vel quia in diverſas partes eunt, qui diſtrahunt matrimonium. *l.2. in pr. ff. de divort. & repud. l.191. inter divortium & repudium. in fin. ff. de verb. ſign.* hoc volunt ambo & Cajus & Paulus, Divortium à divertendo dictum eſſe, & ex eadem deſcendere origine, cum diverſo & diverſitate. *vid. & Iſid. lib.9. Etym. c.8.* Divortio contraria eſt conventio. Utrumque in jure metaphoricè propter inopiam vocabulorum dicitur à re corporea ad incorpoream. Ut igitur convenire dicuntur propriè, qui ex diverſis locis in unum colliguntur & veniunt: translatè autem qui ex diverſis animi motibus in unum conſentiunt, id eſt, in unam ſententiam decurrunt. *l.1. §. conventionis. de pact.* Ita è contrario etiam de divortio ſentiendum eſt, propriè quidem de viis & locis diviſis uſurpari, translatè autem de animorum motibus contrariis. Sic divortia aquarum dixit. *Cic. lib.2. ep. 9. & lib.5. ad Att. ep.108. & Liv. lib.48.* & fluminum divortia, *3. de Orat. & Virgil. 9. Æneid.* objiciuntur ſeſe equites ad divortia nota: id eſt, flexus viarum. *Et Tacit. in vita Agric.* Divortia itinerum. Et divortia ponti *apud Lucan. libr. 2.* In quibus omnibus propria eſt ſignificatio. Metaphorica autem in illis: Ex communi ſapientium jugo ſunt doctrinarum facta divortia. *Cic. 3. de orat.* Intelligit contraria Philoſophorum & in diverſa abeuntia dogmata & opiniones varias. Sic cum *Plaut. in Epid.* ait, Divertunt mores virgini longè ac lupæ, id eſt, multum differentes atque inter ſe contrarii ſunt mores, pugnantia ſtudia virginis ac meretricis: Metaphoricè utitur eo verbo ex quo divortium deſcendit, & diverſitas, & diverſorium & diverticulum. Hæc enim omnia eandem habere originem manifeſtum eſt. Differunt autem divortium & repudium ita, ut de ſponſa quidem ſolum uſurpetur repudium, non rectè autem ſponſa divertiſſe dicatur: Divortium verò propriè ſit inter virum & uxorem: inter quos tamen etiam mitti dicitur repudium. *l. 101. inter. & d. l. 191. inter. de V. S.* Breviter, Repudium in uſu juris latius patet quàm divortium: quando hoc non niſi de nuptis, illud etiam de ſponſis rectè dicitur. Sic enim intelligendum, quod ait *Modeſtin. d. l.101.* Repudium non abſurdè etiam in uxoris perſonam cadere: id eſt, quamvis propriè uſurpetur in ſponſa, non impropriè tamen etiam de uxore, quam quis à ſe dimittit ac repellit, dici. Nam & uxori dicitur mitti repudium, id eſt, renunciatio, *l.3. l.4. juncta l 48. quicquid calore. de R. I. l.8. Divus. ff. de divort. & repud. & paſſim alibi.* Dicitur etiam libellus divortii *à Papin. in l.7. ff. de divort.* & libellus repudii. *l.6. licet. Cod. de repud.* Quod in Evang. eſt βιβλίον ἀποστασίου, vel abſolutè ἀποστάσιον. Dicitur etiam nuntium remittere. *l.2. C. de repud.* Sed de vocabulo plus ſatis. Ad rem veniamus. Jure igitur civili divortii cauſæ primò quidem ſatis multæ fuerunt, quæ enumerantur *in l.8. conſenſu. C. de repud.* poſteà verò coarctatus eſt ille numerus *per Iuſt. in Nov.117. ut liceat matri & aviæ.* Unde ſumpta eſt Auth. *ſed novo jure,* & inſerta *d.*

Digitized by Google

l 9. C. de repud. & conſtitutum, ut nullum ob crimen, præter-quam adulterii, divortia permitterentur. *d. Nov. 117. & Nov. 22. §. de porta. i.* Sed Jus Pontificium etiam magis contraxit ac reſtrinxit divortia, ut patet *ex cap. 1. & 2. extr. de divort.* adeoque conſtituit, ut ne ob adulterium quidem, ne dum ob alia crimina, diſſolveretur penitus matrimonium etiam quo ad vinculum ſive jus ipſum, ſed tantum quo ad torum & menſam (ut loquuntur) id eſt, quo ad conſuetudinem conjugalem atque convictum & ſocietatem vitæ. Itaque Jure Pontificio longè latius patere cœpit divortii appellatio quàm Jure civili. Nam in Jure civili tantum id dicitur divortium, quod verè & omninò in univerſum ſolvit matrimonium: ſed Jure Pontificio etiam id eſt divortium, quod non dirimit matrimonium, ſed tantum inducit quandam ſeparationem inter maritos impedientem, quo minus ſibi invicem cohabitent, & prohibentem uſum lecti genialis. Itaque Jure civili poſt factum divortium licet alias contrahere nuptias, utpote priori matrimonio dirempto: Jure Pontificio id non licet, utpote priore matrimonio non in totum dirempto, ſed tantum quo ad torum & menſam, cætera verò, id eſt, quo ad vinculum & jus ipſum, durante. Non licet, inquam, aſpirare alterutri ad alia vota, quandiu alter priorũ conjugum vivit, ſed eo demum mortuo: Imò ne hoc quidem caſu ſemper & indiſtinctè licet. Ut ecce, uxor inſidiata eſt vitæ mariti, puta immittendo ei ſicarium ſeu percuſſorem, cujus tamen ille impetum evaſit aut repulit, occiſo latrone, ſive ut Longob. vocant, Aſſaſſino. Ob hanc cauſam poteſt maritus divortium cum uxore facere, eamq; domum exigere: ſed quam diu uxor vivit, aliam uxorem ducere non poteſt. Sola ejus mors hanc ei concedit poteſtatem. Cur ita? Quia ſecundum Jus Pontificium per illud ſcelus ſive crimen L. Pomp. non eſt ipſum matrimonii vinculum ſolutum, ipſaq; ejus abolita ſubſtantia, ſed tantum conſuetudo conjugalis ſive torus & menſa ſublata. Sed uxor talis ne quidem poſt mortem mariti poteſt alteri nubere: quin potius cogitur perpetuò vitam cœlibem ducere, *c. 1. extr. de divort. ubi & Cujac. vid. C. ſi qua mulier 31. q. 1.* In pœnam videlicet tanti ſceleris, quod auſa ſit parricidium committere in proprium virum. Nam parricidium etiam inter conjuges committitur. *l. 1. ff. de L. Pomp. de parricid.* Sic ſi uxor facta ſit adultera, maritus eam dimittere poteſt, & ſe ab ejus conſuetudine ſeparare quoad torum & menſam: aliam verò ipſa viva ac vidente ducere non poteſt Jure Pontificio: cogitur ejus mortem expectare. Cur ita? Quia matrimonii violatio matrimonium non violat, ut ait *Innoc. III. in c. 13. per venerabilem. qui fil. ſint legit.* id eſt, matrimonii violatio, ſive adulterium (cujus hæc eſt periphraſis) non violat, non diſſolvit conjugale vinculum, & jus ejus, quò minus perduret etiam poſt adulterium. (Quod tamen ſecus fuit non modo Jure civili, ſed etiam in veteri Eccleſia, ubi parti innocenti permiſſæ fuerunt ſecundæ nuptiæ: *ut ex Euſeb. 4. de vit. Conſtantini & D. Hieron. ad Fabiolam rectè obſervavit D. Weſenb. in π. ff. de divort.*) Adultera autem ipſa ne quidem poſt viri prioris mortem alteri nubere poteſt, ſed ſine ſpe novi conjugii permanere debet, iterum in pœnam ruptæ fidei conjugalis. *c. hi verò. 32. q. 7. c. 12. literis. extr. de præſumpt.* Sic ſi vir deditus ſit alicui facinori, ut furti, latrocinii, &c. & ad ejuſdem ſocietatem criminis etiam uxorem pertrahere conetur, poteſt

uxor

Digitized by Google

uxor ab eo diſcedere per divortium. Sed alteri nubere non poteſt, quamdiu prior maritus fuerit ſuperſtes. *c.2.extr.de divort.* Idq; ob eandem rationem, quia corporum tantum fit ſeparatio, non etiam ipſius vinculi conjugalis diſſolutio.

Intelligimus jam quantum inter Jus Civile & Ponficium interſit, quo ad Divortium: nempe cum jure civili per divortium omnimodo matrimonium dirimatur etiam quo ad Jus, vinculum ſive ſubſtantiam ejus, ut proinde liceat iterare nuptias cum alio. Jure Pontificio divortium tantum inducit diſcidium vel ſeparationem corporum, ſive conſuetudinem & convictum & cohabitationem conjugalem dirimit: Ipſam verò matrimonii ſubſtantiam ſalvam relinquit, ut proinde neuter conjugũ poſſit ad ſecundas tranſire nuptias, ſive cauſam divortio præbuerit, ſive non, ſive nocens, ſive innocens ſit. Quę profectò duriſſima eſt conditio & valde iniquum, ut propter nocentis culpam ſic plectatur etiam innocens, & cogatur vel redire in gratiam cum adulterante, vel perpetuò cœlibem vitam ducere: Ex qua coactione ad cœlibatum multa quoque alia mala conſequi poſſunt, præſertim ſi quis non ſit aptus natus caſtitatem colere, ſi nõ habeat donum continentiæ, ut loquuntur. Rationem tamen afferunt Canoniſtæ. *ex D. Hier. cap. 2. dixit dominus. in fin. 32. q 1.* Ideo prima uxore vivente non poſſe habere ſecundam, qui eam dimiſit ob fornicationem: Quia poſſit accidere, ut quis calumniam faceret innocenti, & ob ſecundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret. Sed ea ratio nimis eſt imbecilla. Poteſt enim hoc à Judice præcaveri alia via, ne innocenti calumnia fiat & falſum crimen impingatur, cum debeat Judex in rei veritatem exactiſſimè inquirere, nec malitiis indulgere. Weſenbec. quoque *in parat. ff. de divort. & rep. prope fin.* ita Juris Pontificii ſanctionem quodammodo excuſare conatur, ut dicat Canones rationem excogitaſſe, qua nec delicta relinquerentur impunita, neque conjugium facilè ſolveretur, & ſpes reconciliationis major velut ex quadam neceſſitate remaneret. Sed cum aliàs ſemper in ore habeant Pontifices regulam, Matrimonia debere eſſe libera. *c. cum locum. 14. & c. requiſivit. 17. & c. Gemma. 29. extr. De ſponſal.* Ex quo etiam reprobatur Jure Civili ſtipulatio pœnalis adjecta matrimonio, quia inhoneſtum viſum eſt, vinculo pœnæ matrimonia conſtringi. *l. 19. ſi ſtipulatio. l. 134. Titia. in princ. ubi Zaſ. Donell. de verb. obl.* Et coactiones ſolent frequenter habere difficiles exitus. *d. c. cum locum. & c. requiſivit.* mirari non immeritò liceat, quid ita hoc caſu ejus obliti conjugem innocentem ad ejuſmodi neceſſitatem adegerint, ut aut adulterii ream retinere cogatur & tantam lecti conjugalis injuriam, quâ nulla major eſſe poteſt, diſſimulare ac ferre, aut repudiata illa ſemper cælebs permanere. Jure igitur ac meritò hodiè Reformatæ Eccleſiæ receſſerunt à conſtitutionibus illis pſeudo-canonum, & reprobato illo commentitio divortio tori & menſæ, redierunt ad verum divortium, quo ex Jure Civili etiam in vet. Eccleſia uſitato (ut nuper dixi) omninò dirimitur matrimonium, permiſerunt parti innocenti alteras nuptias. Nam ſi innocens perſona maneret, nihilominus etiam poſt divortium obligata, non eſſet verè divortium, ut rectè *Weſenb. de divort. n. 11. in princ.* Sanè ſi licet alicui eam, quam ignarus pro virgine duxit, ſed ante matrimonium vitiatam ab alio & gravidam invenit, repudiare atque à ſe abigere, ut-

H 2 pote

Digitized by Google

pote à qua tam turpiter ſit deceptus (ut certè licet talem repudiare, quicquid dicat *Gratianus in fin. quæſt.1. c.29.* nec cogi quis poteſt,ut cum ea in gratiam redeat, & conjugaliter cohabitet, tametſi omnibus modis fuerit tentata reconciliatio) ſi inquam licet talem repudiare, quæ ante matrimonium proſtituit alteri pudorem ſuum, & decepto permittendum eſt aliud conjugium, ut prolixè *ex Luth. Mel. Beza. Harmenop. & aliis probat Ioach. à Beuſt. Tract. De matrim. cap.34.* ubi de quatuor ſpeciebus erroris explicat: multo magis licebit repudiare viro mulierem illam,quæ in ipſo matrimonio in corpus ſuum peccârit,eâq; repudiata alteram ducere? Longè enim gravius eſt crimen adulterii, quod commiſit poſterior, quam ſimplicis,ut vocant, fornicationis, cujus rea eſt prior.

Cui conceditur id quod majus eſt, & difficilius concedendum videbatur, multo magis ei concedi debet id, quod minus & facilius permittendum.

Alii etiam hanc pro Jure Pontificio rationem afferunt, Quia ſcriptum ſit, Quos DEUS conjunxit, homo ne ſeparet. Ex quo effici putant, etiamſi adulterium intervenerit, tamen non debere, omnimodam concedi ſeparationem ſive direptionem matrimonialis vinculi. Sed meminiſſe debebant. I. quod cum magiſtratus ex juſta cauſa,ut ob adulterium, publico & ordinario judicio ſeparat matrimonium, id non fieri ab homine, ſed ab ipſo DEO per manum magiſtratus, qui teſte Paulo, eſt ordinatio DEI. II. Eundem Chriſtum, qui illud dictum protulit, *Quos DEVS conjunxit*, &c. etiam alterius ſententiæ auctorem eſſe, Quicunq; dimiſerit uxorem ſuam excepta cauſa fornicationis,& aliam duxerit, mœchatur &c. Qua ſententia à contrario ſenſu expreſsè permittitur divortium ob adulterium, & novum cum alia matrimonium: Ergo ſi quis ex cauſſa fornicationis dimiſſa priore conjuge aliam duxerit, non mœchatur. Quo loco fortiſſimè revinci poteſt illud commentum Pontif. de tori & menſæ tantum ſeparatione: ut maximè pro illa adhuc pergat propugnare Bellarminus. Nihil etiam patrocinatur Pontificiis. *Paul. 1.Cor.7. v.11.* Si mulier à viro ſeparetur, maneat innupta, aut viro reconcilietur. Non enim loquitur de divortio ſive ſeparatione ex cauſa adulterii legitimè facta &c. ſed de ſeparatione aut dimiſſione ex futili & levi cauſa, ut apud Corinthios & alios Græcos ſæpè levibus ex cauſis repudiabantur conjuges,quam levitatem ibi Paulus improbat: Nullo autem modo contradicit Chriſto permittenti divortium ex cauſa adulterii atque etiam ſecundas nuptias. Quæri autem ſolet de vocabulo πορνείας ſive fornicationis, ſitne generale, ut quodvis crimen ſignificet, an ſpeciale de certo crimine,videlicet impuritatis libidinum, ſive fornicationis, ſive adulterii. Tametſi autem aliàs ſæpiſſimè in ſacris literis fornicatio dicatur quodvis crimen, etiam idololatriæ,ut cum Deus conqueritur de ſuo populo,quòd fornicatus ſit poſt Deos alienos: atque ita aliqui exiſtimarint, etiam hoc in loco accipiendum eſſe id vocabulum, ut videre eſt *apud Weſenb. in π. De divort. n.11. ubi ait*: Hebræos omne crimen, quo nos abalienamus ab eo cui obedientia debetur, comprehendere verbo πορνείας: Idemque probat. *Borchold in Tract. de gradib. p.134.* quorum uterq; in eo ſecutus eſt *Fr. Connanum lib.8. comment. Iur. c.12. & Auguſtin. citatum in c.5. idololatria 28. q.1.* Tamen vix eſt ut ea ſententia ſubſiſtere poſſit: quin potius exiſtimare debemus, πορνείας verbum,

Digitized by Google

verbum, quod fornicationem verterunt, non ita latè pro quovis gravi maleficio, ſed ſtrictè pro adulterio accipiendum eſſe. Nec juvat illos *l. conſenſu. C. de repud. & Nov. 22. de nupt.* aliave Juris civilis loca, quibus Chriſtiani Impp. etiam ob alias cauſas divortia fieri permiſerunt. Non enim hinc neceſſario id ſequitur, etiam alias illas cauſas delictorum, ob quas divortia voluerunt eſſe legitima, ſub nomine πορνείας, fornicationis & adulterii comprehendenda putaſſe. Quod ſi maximè illos in hac opinione fuiſſe conſtaret (de quo nobis nihil conſtat) non tamen ob id ſtatim ea opinio veritati eſſet conſentanea. Sed nec illud argumentum, quod tamen in hanc rem ſatis evidens eſſe putat. *Borcholt. (d. tr. p. 135.)* quicquam juvat. Mulieri adulterium committenti ultimum ſupplicium irrogabatur: Chriſtus autem loquitur de muliere demiſſa dato libello repudii. Ergo Chriſtus non agit de muliere adultera; proindeq; illa loca in Evangelio Matthæi etiam ad alia crimina pertinere. Reſpondendum enim eſt, Quanquam Deus juſſerit ſua lege adulteras capitali pœna affici & lapidibus obrui. *Lev. 20. v. 10. Io. 8. v. 5.* tamen ut aliæ leges divinæ apud Judæos in deſuetudinem abierant, in irritum redactæ à Phariſæis & Scribis, ac traditionum multitudine velut obrutæ atque oppreſſæ, ita etiam hanc legem de ultimo ſupplicio adulterarum non amplius fuiſſe poſterioribus temporibus obſervatam, ac multas tantum repudiatas à maritis pœnam capitis evaſiſſe. Argumento ſit vel unica illa hiſtoria de muliere in adulterio deprehenſa, & à Chriſto ipſo abſoluta condonato ei crimine: quæ deſcribitur *à Ioanne Evang. c. 8. in pr.* Quomodo & hodiè multis in locis non obſervatur pœna gladii, quamvis propoſita adulteris per conſtit. Principum. *l. 30. quamvis. §. ult. Cod. de adult. l. 4. C. Th. Quorum appell. non recip. §. item lex Iul. de adult. l. de pub. Iud.* qua de re graviſſima extat querela. *Iul. Clari lib. 5. ſent. §. adulterium. n. 7. prope fin.* Hodiè, inquit, videmus, in omnibus ferè provinciis immutatam eſſe pœnam mortis pro adulterio, & impoſitam eſſe pœnam pecuniariam. Et certè maximè dolendum eſt his temporibus, in quibus paſſim ferè apud omnia tribunalia adulteri impunè evadunt, imò de ipſo crimine gloriantur: illi verò quorum uxores adulteræ ſunt, accuſationem proponere non audent, ne in perpetuam infamiam, ita volente prava conſuetudine, incurrant. Quapropter ego ſemper fui in ea ſententia, quod Principes hujus temporis, qui hoc graviſſimum crimen ſeveriſſimis legibus non coërcent, illaſque exequi non faciunt, graviſſimè peccent. Et judicio meo iſte eſt unus ex caſibus, in quibus Chriſtiana. Reſp. indigeret reformatione. Hactenus Clarus: cujus limatiſſimum judicium ut aliàs, ita hìc quoq; magni eſt faciendum. Sed ſi verum amamus huic impunitati adulteriorum non parvam aperuerunt feneſtram *& Iuſtin. in Nov. 124. c. 10. Vnde ſumpta eſt Auth. ſed hodiè. C. ad L. Iul. de adult.* &, multò magis Pontifices, qui nō erubuerunt etiam adulterium inter leviora & minora crimina ponere. *in c. 4. et ſi clerici. extr. de Iud. in verb.* De adulteriis verò & aliis criminibus, quæ ſunt minora. Quem Papæ lapſum ſine calumnia excuſari non poſſe, ingenuè fatetur ipſe *Cuiac. in Recit. ad Decretal.* Eiq; extenuationi rectiſſimè opponit auctoritatem *Vlp. in lib. Reg. tit. De dotib. & Impp. in l. 7. C. Th. de Indulg. crim. & Clementis Papæ in c. 16. quid in om. ib. 32. q. 7.* Opponimus

mus & nos illi ſententiæ Papali ſaniorem & graviorem ſententiam *Chryſoſt. homil.62. in Ioan. & Iſidori Peluſiota lib.3.ep.76.*

Caput IX.

AN PARTI NOCENTI, QVAE ADVLTERIVM COMmiſit, permittendæ ſint ſecundæ nuptiæ.

DE illa porrò quæſtione, an etiam parti nocenti, puta adultero vel adulteræ, liceat ſecundas nuptias contrahere, *videre licet apud Weſenb. tit. de divort.* ubi pro affirmativa diſputat, ſed argumento inter alia valdè infirmo. Quia contractus & diſtractus non debent claudicare: quaſi abſurdum ſit, unam partem obligatam manere, alterâ ſolutâ ac liberâ. Sed hoc abſurdum non eſſe patet. I. ex initio *titul. Inſtit. De auct. tut.* ubi ſi quis cum pupillo contrahat ſine tutoris auctoritate, ipſe ſolus ei obligatur, pupillum autem invicem ſibi non obligat. II. ex *l.61.actione.§.diximus.& §.item qui ſocietatem. ff.pro ſocio:* ubi ſi quis dolo malo vel etiam ante tempus renunciat ſocietati, à ſe quidem liberat ſocios ſuos, ſe autem ab illis non liberat. Præterea quod pars nocens arcetur à ſecundis nuptiis, id non tàm ideo fieri putandum eſt, quia adhuc maneat inter priores conjuges vinculum conjugale, quam inde, quod pœnæ cauſa hoc ei denegetur. Nam ſi eandem libertatem ſecundarum nuptiarum indulgeamus parti nocenti quam damus innocenti, tum verò illa ex delicto & dolo ſuo conditionem ſuam faceret meliorem & lucraretur, id quod fieri non debet.

Inclinarim igitur in ſententiam negativam, quam etiam tuetur. *Alb. Gentil. lib.6. De nupt.c.7.& Ioach. à Beuſt. De matr. c.25. ubi ait:* Illud negari non poteſt, ſi juridicè pronunciandum ſit, parti nocenti ſecundas nuptias concedi non poſſe: addit tamen hanc notabilem limitationem, niſi pars nocens non poſſet ſe continere & caſtè vivere: & aliò in regionem procul diſſitam migrare vellet, ubi vel ignoraretur præteritum ipſius crimen, vel à magiſtratu reciperetur ac tolераretur. His enim tribus conditionibus concurrentibus non improbat quorundam & Theologorum Conſiſtoriorum ſententiam ſecundas nuptias etiam parti nocenti concedentium: ad quam confirmandam allegat & gl. auctoritatem (quæ in Jure Pontificio magna eſt & ſæpe etiam textui ipſi præfertur) *in c. 11. literis verb.ſpe conjugi.ext.de præſumpt.& Lutheri quem & alii recentiores ſunt ſecuti.*

Caput X.

RVRSVM DE ADVLTERIO: ET QVOTVPLEX ID SIT, uter conjugum gravius peccet id committendo.

SEd his dimiſſis ad aliam transeamus differentiam utriuſque Juris, quæ item eſt circa Adulterium. Sicut autem divortii appellatio longè reſtrictior eſt Jure civili quam Canonico, *ut ſup.d.* Ita & adulterii, quod ex ſequentibus patebit, Nam jure civili propriè illud eſt adulterium, cum quis ſive liber, ſive conjugatus ad alienum torum accedit, ut cum quis alienam uxorem carnaliter cognoſcit, vel qui cum alieno viro commiſcetur. Unde etiam dictum eſt adulterium quaſi ad alte-

Digitized by Google

ad alterius torum acceſſio: Si Gratiani credimus originationi, poſitæ *ſub c.2. lex illa.36. quæſt.1.* A quo non procul abit *Papin. in l.6. ff. ad l. Iul. de adult.* dicens hoc nomen compoſitum eſſe propter partum ex altero conceptum. In eo conveniunt ambo, quod adulterii nomen deducunt ab altero. Jure igitur civili non tam graviter peccat vir, quàm mulier. Maritus enim etiamſi rem habuerit cum altera perſona libera, tamen adulter non eſt (Non enim ad alterius torum accedit, nec alienam matremf. corrumpit: in ſumma, non convenit huic facto definitio adulterii, nec dici poteſt, quod hic ſit alieni tori violatio *d.c.2.36.q.1.* Ergo nec definitum ei competit, ſed ſimplex erit ſtuprum ſive fornicatio) Fœmina verò eſt adultera, quæ ab alio viro ſe carnaliter cognoſci patitur: nec refert, utrum is ſit liber, an in conjugio vivat. Hinc eſt, quod fœmina non poteſt ſui lecti injuriam perſequi adverſus maritum: nec poteſt de matrimonio ſuo violato conqueri. *l.1. C. ad l. Iul. de adult.* hoc eſt, non, ut marito licet accuſare uxorem de adulterio, ita & viceverſa eadem accuſatio permittitur uxori adverſus maritum: tametſi ea lex Jure noviſſimo abrogata ſit *Conſt. Carolina. c.120.* Ex quo datur intelligi, Leges veteres non æqualiter caſtitattem exigere à viro & muliere, ſed ab hac longè majorem & arctiorem. Ratio differentiæ eſt, Quia quando nupta alicujus cum alio viro rem habet, incerta naſcitur ſoboles, ac ſæpè maritus cogitur pro ſuis agnoſcere liberis, qui revera ſunt alieni, & in ipſius thalamum ſuppoſiti non aliter, quàm cuculum ajunt ſua ova imponere nido curucæ, ab hac excludenda, vel quàm perdices ſibi aliena ova ſupponere perhibentur. Hæc partus ac ſobolis incertitudo, & familiarum confuſio immanè quantum noceat Reip. Unde etiam ſuppoſiti partus graviſſima eſt Jure civili conſtituta pœna *l. 30. §. 1. ff. ad L. Corn. de falſ. l.1. & l 10. C eod. Paul lib 2 ſentent. tit.24. ubi ait*: Obſtetricem, quæ alienum partum attulerit, ut ſupponeretur, ſummo ſupplicio affici. Non idem eſt metuendum quando maritus cum fœmina libera ac ſoluta conſuevit. Nam extra juſtas nuptias nati matrem ſequuntur, in matrimonio patrem: & pater is eſſe præſumitur, quem juſtæ nuptiæ demonſtrant. *l.19. cum legitimæ. l.24. lex natura ff. de ſtat. hom. l.5. ff de in jus voc.* Sic inquam eſt jus Civile. At Jure Canonico adulterium etiam is vir committere dicitur, qui rem habet cum ſoluta Æqualis enim in utroque ſexu caſtitas exigitur: & quod non licet fœminis, æquè non licet viris. Hanc differentiã annotavit etiam. *Bernh. Wurmſ. Pract. form. tit.36. obſ.7. n.3. & Iul. Clar. §. adulterium. n.2.* De eaq; videri poſſunt in Jure Pontificio hæc loca. *can.4. nemo.32. q.4. c.20. apud nos & can. ult. ead. cauſſa. quæſt 5.* ubi referuntur in hanc ſententiam verba Ambroſii, Hieronymi & Innocentii I. Chriſtiana religio, inquit Innocentius, adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat. Et Hieronym. Apud nos, inquit, quod non licet fœminis, æquè non licet viris: & eadem ſervitus pari conditione cenſetur. (Et quo loco vulgo annotant, Dd. Matrimonium eſſe ſpeciem ſervitutis, ſecuti *gloſ in c.34. mulieri. extr. de Iurejur.* Quia videlicet vir non habet poteſtatem corporis ſui: nec mulier ſui, *teſte Paul.1. Cor.7. vid Gail.2. obſ.94. n.7. ubi utitur arg. l.2. ff. de lib. hom. exhib.*) Denique Ambroſius *lib.1. de Abrah. c.4.* Nemo, inquit, blandiatur ſibi de legibus hominum. Omne ſtu-

prum

prum adulterium eſt: nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro quæ ab uxore exigitur (al. debetur) caſtimonia. Quicquid in ea, quæ non ſit legitima uxor, commiſſum fuerit, adulterii crimine damnatur. *Et eodem lib. c. 7.* Nec hoc ſolum eſt adulterium, cum aliena peccare conjuge, ſed omne quod non habet poteſtatem conjugii. *Sic Auguſtin. hom. 4 de verb. Apoſtoli:* Quis aliquando habens uxorem, quia & ancillam vitiavit ſuam, crimen invenit? Sed foro, non in cœlo, in lege mundi, non in lege creatoris mundi. *Nazianz. quoque in homil.* Et cum conſummaſſet Ieſus hos ſermones: ὁρῶ τοὺς πολλοὺς περὶ τὴν σωφροσύνην κακῶς διακειμένους, καὶ τὸν νόμον αὐτῶν ἄνισον καὶ ἀνώμαλον. τί δήποτε γὰρ τὸ μὲν θῆλυ ἐκόλασε, τὸ δ' ἄῤῥεν ἐπέτρεψε; καὶ γυνὴ μὲν κακῶς βουλευσαμένη περὶ κοίτης ἀνδρὸς, μοιχᾶται, καὶ πικρὰ ἐντεῦθεν τὰ τῶν νόμων ἐπιτίμια. ἀνὴρ δὲ κατὰ πορνεύων γυναικὸς, ἀνεύθυνος; οὐ δέχομαι ταύτην τὴν νομοθεσίαν: οὐκ ἐπαινῶ τὴν συνήθειαν ἄνδρες ἦσαν οἱ νομοθετοῦντες κατὰ γυναικῶν ἡ νομοθεσία: θεὸς δὲ οὐχ οὕτως. *&c.* Sic ante hos omnes cenſuit etiam *Lactant. Firmian. lib. 6. Divin. inſt. c. 23.* Non enim, inquit, ſicut publici juris ratio eſt, ſola mulier adultera eſt, quæ habet alium; maritus autem etiamſi plures habeat, à crimine adulterii ſolutus eſt: ſed divina lex ita duos in matrimonium, quod eſt in corpus unum pari jure conjungit, ut adulter habeatur, quiſquis compagem corporis in diverſa diſtraxerit. Et mox: ſervanda igitur fides ab utroque alteri eſt: Imò exemplo continentiæ docenda uxor, ut ſe caſtè gerat. Iniquum eſt enim ut id exigas, quod ipſe præſtare non poſſis, &c. Et B. Athanaſius in Quæſtionibus ad Antiochum *q. 94.* adulterium facit duorum generum: Unum, ſi mulier marito nupta ſcortetur: Alterum, ſi vir, qui uxorem habet, ſcortetur. Nam & hoc adulterium eſſe in fraudem uxoris commiſſum. Et quæſt. 96. ait. ab eo duplex adulterium committi, qui cum ipſe vitæ ſociam habeat, in alienam uxorem peccet. (ἕτερόν ἐστι κρίμα τοῦ σύμβιον ἔχοντος, καὶ εἰς ὕπανδρον πταίοντος, ὅπερ διπλῆ μοιχεία τῷ ἐργαζομένῳ τὴν ἁμαρτίαν λογίζεται.) Cum quo loco valde conveniunt iſta Julii Clari *in §. adulterium. n. 2.* ubi ait: Tribus modis adulterium committi. I. inter virum conjugatum & fœminam nuptam: & hoc duplex dici adulterium, quia uterque ipſorum violet proprium thorum & alienum. II. Inter virum conjugatum, & mulierem ſolutam. III. Inter virum ſolutum, & mulierem nuptam videri quoq; poteſt. *Io. Lud. Vives. lib 2 de offic. Chriſti: fœmi c. de Zelotypia & Cujac. in Rec. Cod ad l. Iul. de adult. & ad Novell. 22. & Rol. à Vall. conſ. 74. n. 3. 12. 13. & 21. lib. 1.*

Et hæc hactenus de iſta differentia: ad quam tamen & hoc notandum, Quamvis SS. Patres coram Deo æquè graviter peccare dixerint virum, qui cum ſoluta coierit, ac uxorem, quæ cum alio viro conſueverit, non tamen eos abrogare jus civile vel voluiſſe, vel etiam potuiſſe (Nec enim legiſlatores fuerunt, & poteſtas legum ferendarum ſolius eſt Impp. *l. ult. C. de LL. & Conſt. princ.*) Sed jus civile ſuo loco reliquiſſe: ac tantum hortatos fuiſſe homines utriuſque ſexus ad colendam ex æquo caſtitatem. Quod & nos libenter fatemur: Interim verò Juri civili non adimimus poteſtatem, aliquod inter virum & fœminam ſtatuendi diſcrimen, quod ad pœnam.

CAP.

CAPUT XI.

CONVENIENTIA IURIS CIVILIS ET Canonici circa adulterium.

Subjiciamus hîc etiam unam & alteram inter utrumque Jus convenientiam, ut I. utroque jure: niſi maritus quoque caſtitatem ſervet, non poteſt uxorem adulterii accuſare, aut dotem lucrari [Sed fit quædam compenſatio criminis ab utraque parte, & cogitur maritus adulteram in conſortio ſuo retinere] In jure civili extat ad hanc rem inſignis locus *in l. ſi uxor. §. judex. ff. de adult.* continens memorabilia verba excerpta ex edicto D. Antonini, quod *ex C. Gregor.* affert Auguſtinus, & obſervarunt *Ant. Cont. in ſubſec. Lect. & Cujac. ad Novell. 22. & in Recit. ad Cod. p. 1090. & ad Decretal. tit. De divort.* In jure Pontificio multa ſunt ea de re loca, *ut c. 1. & ſeqq. 32. q. 6. c. 4. ſignificaſti. in fin. & c. ſeq. ex literis ext. de divort. cap. penult. & ult. De adult.* quorum hæc ſunt ſummaria. Conjunx conjugem de adulterio impetere non poteſt, ſi & ipſe adulterium commiſiſſe convincatur. Item: Non debet ſeparari matrimonium quo ad torum propter adulterium, quando ambo congjuges fuerunt adulterati. Et hanc communem eſſe opinionem dicit *Iul. Clar. in §. adulterium ſub. n. 17. verſ. tenetur etiam ex Panorm. in c. ex literis n. 11. De divort.* Ratio eſt I. in utroque Jure iniquitas. Iniquum eſt enim, ut quiſque de alio judicare velit, & judicari de ſe nolit. *c. 2. 32. q. 6.* Et periniquum videtur eſſe, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipſe non exhibeat. *d. §. judex. in l. 13. ſi uxor. ff. de adult.* cum quo congruit *Lactan. d. c. 23. & Aug. in c. ult. 32. q. 6.* Quod pendet ex illo æquiſſimo principio naturali. Quod quiſque juris &c. Et omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Item quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Reddit Pontifex & aliam rationem, *d. c. ult. ext. de adult.* Quia paria crimina compenſatione mutua deleantur: quam regulam ſumpſit ex Jure civili. *l. 39. viro atq; uxore. ff ſol. matr. aliiſq; locis.* Sed videamus, ne ea in adulterii crimine jure civili locum non habeat. *arg. l. 2. qui hoc dicit & d. §. judex in fin. ff. de adult.* ubi negat Ulp. rem hoc caſu ob compenſationem mutui criminis inter virum & uxorem communicari: nimirum hoc vult dicere: Non compenſatur adulterium cum adulterio vel lenocinio, quin utrumque crimen pariter puniri poſſit.

Porrò quod ſupra dixi, mulierem adulteram non perdere dotem, ſi & maritus fornicatus ſit, probat *ex Paul. Caſtr. conſ. 128. Pariſ. conſ. 54. n. 45. vol 4.*

Altera eſt convenientia utriuſq; juris, in eo, quod ſi maritus propriam uxorem proſtituiſſet, ſive ſi uxor lenocinio mariti adulterata fuiſſet, de adulterio eam accuſare aut dotis nomine quicquam retinere non poteſt. *l. 47. cum mulier. ff. ſol matr. c. 6. diſcretionem. ext. de eo qui cogn conſang. ux. ſuæ.* Rationem hanc reddit Scævola: Cur enim improbet maritus mores, quos ipſe aut ante corrupit, aut poſtea probavit? q. d. Quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt.

Tertia eſt convenientia quo ad denegandam marito licentiam occidendæ uxoris adulteræ. Pari quidem Jure civili jus ac poteſtas datur occidendi adulterum quemlibet cum filia in poteſtate domi ſuæ aut generi ſui deprehenſum in

Digitized by Google

actu, ſive ipſa turpitudine,dummodo eodem impetu etiam occidat filiam. Marito quoque permittitur adulterum uxoris ſuæ domi deprehenſum, ſi vilis ſit perſona impunè interficere: *l.20. patri cum 5. ſeqq. l.32. ff. de adult. l.4. Gracchus Cod. eod. Iul.Clar. §. homicidium. n. 48. & ſeq.* Sed marito Jus civile parem poteſtatem non dedit, ut poſſet uxorem in adulterio deprehenſam occidere, ſicut pater filiam. Ratio differentiæ elegantiſſ. redditur *à Papin. in l.22. §. ult. ff. de adult.* Quia plerunque pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit: cæterum mariti calor & impetus facilè decernentis fuit refrenandus, hoc eſt, cum nullus ſit affectus, qui vincat paternum, & cum parentes magis etiam in perſona liberorum quam in ſe ipſis terreantur, ut alibi JCti dicunt, Legislatores putarunt plus indulgendum eſſe patri, quem ipſa pietas, ipſa ſtorge naturalis facilè repreſſura videbatur, ne ſua poteſtate acerbè utendo violentas manus proprio ſanguini etiam in flagitiis deprehenſo afferret: Maritus autem injuria lecti genialis irritatus magis furit & præcepta fertur ad vindictam de uxore adultera ſumendam. Hic igitur calor, hic impetus prohibitione tali refrenandus fuit, ne tàm facilè decerneret, ac nimis præcipitanter aliquid in uxorem ſtatueret. Si tamen vir uxorem in adulterio deprehenſam occiderit: non quidem ordinaria pœna homicidii tenetur: ſed interim alia pœna extra ordinem ipſi irrogatur. *l.38. §. Imp. ff. de adult. l. 1. §. ultim. De Sicar. Paul. 2. ſent. titul. 26. Iul. Clar. d. loco num. 49.* Hæc de Jure civili. In jure Pontificio hac de re agitur *in c. 6. inter hæc. 33. quæſt. 2. ubi* Nic. reſcribens Archiepiſcopo cuidam Albino, ait, non licere marito uxorem, quæ adulterium perpetraverit, interficere ſecundum legem mundanam. Quæret aliquis, quænam ſit illa lex mundana, quæ permittat marito necem adulteræ, cujus mentionem facit ibi Papa: cum tamen jam dixerimus, Jure civili eam prohiberi. Et reſpondeo vel intelligi poſſe Legem antiquam XII. Tabb. quæ hanc poteſtatem viro concedebat, de qua Gellius: vel etiam ſtatuta quorundam locorum, quæ reſpexerit Nicolaus.

Quod autem ibidem quaſi pro ratione affert, quia ſancta Dei Eccleſia nunquam conſtringatur mundanis legibus: id periculosè certè dicitur, & planè abhorret à ſtylo Apoſtolico. Apoſtoli enim nunquam vel ſe vel Eccleſiam Chriſti ab obedientia magiſtratûs Politici & legum civilium ſubtraxerunt, ut ex Epiſtolis eorum & Actis Apoſtolicis conſtat: id quod Pontifices Romani cum toto ſuo clero feciſſe nimis manifeſtum eſt hiſtoria, & pluribus exponam infra ſuo loco, cum agendum erit *d. c.12. ſi diligenti. ext. de for. compet.* Quod etiam ibidem diſſerit Nicol. de duplici gladio, ſpirituali & materiali, id totum eſt alienum. Nec enim ſequitur: Eccleſia habet gladium ſpiritualem à Chriſto ſibi conceſſum. Ergo Eccleſia poteſtatem habet abrogandi leges civiles ſive mundanas, & per conſequens leges in adulteros & adulteras conſtitutas: Quomodo Pontifex ibi malè colligit.

Ait *gl. in eod. cap. inter hæc*, in foro contentioſo quidem excuſatum eſſe eum, qui occidat adulterum, vel filiam in adulterio deprehenſam: Sed in foro conſcientiæ talem committere mortale peccatum. Eamque communem eſſe opinionem teſtatur *Did. Covarr. in 4. Decret. l.2. Epitom. par. 2. c.7. §.7. Villalob. in com. opin.*

Digitized by Google

ſpin. lit. M. num. 23. Quam tamen improbat *Iul. Clar. d. §. homicid. num.* 50. *&* 54. Quia ſcilicet abſurdum ſit dicere, quod apud Chriſtianos permittantur leges nutritivæ peccati mortalis.

CAPUT XII.

DE SEPARATIONE CONIVGVM OB SAEVITIAM alterius & malam tractationem.

SAtis pro inſtituti ratione de adulterio. Adiungã hoc loco pauca de ſævitia mariti ſive mala tractatione uxoris, an & quatenus ſeparatio matrimonii ob eam cauſſam permittatur. De hac re ante omnia ſciendum eſt, olim quidem hanc juſtam fuiſſe cauſſam divortii ſive penitus diſſolvendi matrimonii, ſi maritus in uxorem nimia crudelitate & intolerabili aſperitate ſæviiſſet. *l.* 8. *conſenſu. C. de repud.* Tametſi enim viro in uxoré, quæ eſt in ejus familia, ut & patri in filium, propinquo in propinquum, præceptori in diſcipulum, modica caſtigatio permiſſa ſit: tamen ſævitia & nimia aſperitas abeſſe debet: & ſi uſurpetur, cauſſam eo jure præbuit diſſolvendi matrimonii. Sed hoc jus poſtea mutatum eſt à Juſtin. *in Nov.* 117. *c.* 14. ubi prohibuit matrimonium ob hanc cauſſam dirimi, quod vir uxorem flagellis aut fuſtibus cecidiſſet. Quod quanquam ita conſtitutum eſt, tamen ſævitia mariti & mala tractatio conjugis hodieq; juſta eſt cauſſa, ob quam mulier à viro aufugere & ſecedere poſſit, & ſeparationem tori petere, imò etiam alimenta ſibi præberi extra domum mariti, aut etiam dotem reſtitui *c. ex tranſmiſſa.* 8. *& c. liter.* 13. *ibiq; Panorm. & alii Canoniſtæ, ext. de reſt. ſpoliat.* Eſt igitur hæc notabilis exceptio illius regulæ, qua traditum eſt, ſpoliatum ante omnia eſſe reſtituendum: Exceptio ſeu limitatio eſt, niſi magna ſit viri ſævitia: quæ & diſertè continetur in ſummario utriuſque capituli. Cæterum non ſtatim neque temerè huc deſcendendum eſt ut fiat ſeparatio, ſed omnia prius tentanda ſunt, ut maritus à ſævitia deſiſtat, v. g. Judex ad inſtantiam uxoris ſub comminatione certæ pœnæ debet marito præcipere, ne deinceps in ipſam ſæviat. Item exiget ab eo hoc nomine cautionem idoneam ac ſufficientem datis pignoribus vel fidejuſſoribus. Quibus remediis ſi nihil proficiat, tantaque ſit nihilominus mariti ſævitia, ut uxori nullo cautionis remedio ſecuritas procurari provideriq; poſſit, tunc demum ad ſeparationem tori veniendum eſt, vinculo tamen conjugii remanente. Nemo enim ſeſe tenetur committere fragilitati cautionis ſive ſatiſdationis, quæ malevolum animum ſive propoſitum non mutat, ſed diutius graſſandi facultatem præſtat, cum melius ſit in tempore occurrere, quam poſt cauſſam vulneratam quærere remedium: magiſque expediat quem ſalvum eſſe, quam cautionem habere. Aliàs verò ſi cautio ſuffectura videatur, ut maritus à ſævitia priore deſiſtat, mulier poſt eam interpoſitam ad maritum redire debet. Quæ omnia pleniſſimè deducta & probata videri poſſunt apud *Mart. Vran. Profeſſ. Tubing. in conſil.* 67. *Tom.* 2. *& Ioan. Borchold. Doctorem meum p. m. in conſil.* 26. *& brevius in Tr. de Grad. p.* 135. *& ſeqq. & Hieronym. Schurff. conſil.* 42. *cent.* 1. *Menoch. cent.* 2. *caſ.* 138. ubi etiam de aliis, quæ in jure ob ſævitiam conceduntur: *v. g.* quod dominus ſervos vendere cogitur, ſi in eos nimium ſævierit *l.* 2. *ff. de his qui ſunt ſui vel al. Iur. § ſed & major.* 1. *eod.*

Digitized by Google

Item quod pater cogitur emancipare filium, quem acerbius quam pro paterna pietate tractarit *l. ult. Si à par. quis man. fuer. gl. in §. ult. I. quibus. mod. jus pat. pot. ſolv.* Item quod ob ſævitiam ſocii licet etiam ante tempus à ſocietate recedere. *l. ſi convenerit. Pro ſocio.* Item quod Vaſallus nimium ſæviendo in ſubditos jus feudi amittat. *Cyn. & Bald. in d. l. 2. Alex. in l. bene à Zenone. C. de quadr. præſcr.* qua de re aliàs dictum. Æſtimatio autem cujuſque ſævitiæ arbitrio judicis permittenda eſt. *Vran. d. conſ. 67. n. 20. & n. 24. Menoch. d. loco.*

CAPUT XIII.
DE DIVORTIO OB IMPOTENTIAM COEVNDI, ſeu frigiditatem: item ſterilitatem.

SEquitur alia differentia, quoad divortium ex frigiditate & impotentia coëundi. Facit quidem nuptias non concubitus, ſed conſenſus & maritalis affectio. *l. 30. De R. I. Novell. 74. & alibi paſſim.* Sed tamen quia liberorum procreandorum cauſſa matrimonium contrahitur, quod etiam tabulis matrimonialibus inſeri ſolere multis auctoritatibus & ſacris & profanis probat. *Briſſ. de form. P. R. lib. 6. p. 542. ed. Francof.* etiam concubitu, ut cauſa ſine qua non opus eſt. Quare ſi quis ita ſit frigidus & impotens, ut ei negotio, cujus cauſa matrimonium inſtitutum eſt, ſupereſſe, viriq; officium fungi & debitum conjugale reddere nequeat, juſta hæc erit cauſſa divortii. Sed tamen ne hîc quidem ſtatim ad ſolutionem matrimonii properandum eſt, quam primum mulier de imbecillitate mariti conqueritur: Sed Jure civili neceſſe eſt totum biennium à tempore contracti matrimonii expectare, intereaq; virum experiri quid poſſit: ac tum demum poſt elapſum biennii ſpatium permittitur divortium. *l. antep. C. de repud.* Pro quo biennio idem *Iuſtin. in N. 22. c. 6. de nupt.* ſubrogavit triennium. *§. ſive. c. per occaſionem.* Jure verò Canonico aut ſtatim conſtat de frigiditate & impotentia mariti judicio medicorum (cui hac in re & in aliis ſimilibus ſtandum eſt) Et hoc caſu ſtatim diſſolvi poteſt matrimonium: Aut caſus eſt dubius: & tunc perinde ut Jure civili novill. triennium eſt expectandum. Qua de re videndum eſt *c. 5. laudabilem. ext. de frigid. & malefic. ibidemque Cujac. poſt veteres Canoniſtas.*

Ad ſterilitatem quod attinet, cum quæritur, An propter eam quoque concedendum ſit divortium, diſtinguere oportet inter jus vetus & novum, nec non inter Jus Canonicum & civile. Jure veteri (quod etiam in Pand. relatum eſt) ſterilitas juſtam præbebat divortii cauſſam. *l. 60. vitricus. in fin. De don. inter vir. & ux. ubi & Gothof. videatur in Not.* qui annotat exempla Romanorum *ex Val. Max. & Agellio,* qui ob ſterilitatem uxores ſuas repudiarunt, aliaſque duxerunt: quorum princeps fuit Sp. Carvilius, *teſte Val. Max. lib. 2. c. 1.* ante hunc enim totis DXX. annis nemo id Romæ tentare auſus fuerat. Et hic ipſe non ſine reprehenſione populari id fecit. Novo autem, & maximè Canonico Jure hoc mutatum eſt, ut non amplius liceat ab uxore ob ſterilitatem divertere: qua de re nobilis affertur ſententia *D. Auguſt in c. 27. tantum valet. 32. q. 7.* Uxor enim non ſolum liberorum quærendorum cauſſa ducitur, ſed etiam propter alios fines, ut ex eodem Auguſtino probatur in *c. nuptiarum 32. q. 1.* Quid? quod etiam experientia probat, quæ aliquan-

Digitized by Google

aliquandiu viſæ fuerant ſteriles, poſterius tandem concepiſſe & peperiſſe: Ut proinde non temerè ad divortium ob ſterilitatem ſit feſtinandum. Plura de divortio ob impotentiam coëundi videre licet *apud Ioach. à Beuſt. Tr. de matrim. c. 14. p. 119. & ſeqq.* ubi etiam diſtinguit inter impedimentum virilitatis matrimonio anterius & ſuperveniens: & inter id, quod abſque culpa, & quod ex culpa exiſtit: nec non inter contrahentem ſcienter cum impotente, & contrahentem ignoranter. Varii enim ſunt caſus in hac materia impotentiæ: de quibus pro incidente neceſſitate ad ipſum recurrere quis poterit, & quantum ſuis uſibus ſatis erit inde depromere.

CAPUT XIV.

DE ABSENTIA ET DESERTIONE CONIUGIS, VEL neceſſaria, juſta ac probabili: vel improba.

POſt hæc etiam de abſentia & deſertione conjugis aliquid dicendum eſt. Initio autem diſtinguendum eſt inter ſpecies abſentiæ. Alia enim eſt abſentia neceſſaria vel probabilis: alia malitioſa & improba: Ut nunc alias ſpecies minus ad inſtitutum pertinentes omittamus; de quibus *gl. in l. ult. verb. appellare. De reſt. in integ.* Neceſſaria abſentiæ cauſſa, vel certè juſta & probabilis eſt, ut ſi vir ſit in captivitate apud hoſtes, ſi in militiam ſit profectus, ſi reip. cauſſa abſit. Hoc caſu aut certum eſt maritũ vivere: aut in incerto eſt, utrum vivat, an mortuus ſit. Priori caſu mulier à ſecundis nuptiis penitus abſtinere debet: alioquin iterum nubendo cauſſam præſtabit divortiis, utpote adultera. Poſteriore quinquennium debet expectare, quo elapſo citra metum pœnæ denuo nubet alteri. Idemq; & in viro ſervandum, ſi captiva ſit mulier. *l. 6. uxores. ff. de divort.* in qua lege notanda eſt Triboniani interpolatio, qui Juliano aſſuit quæ Juliani non erant, ſed Juſtiniani potius novam conſtitutionem anticipatam ſapiebant. In verb. Et generaliter definiendum eſt, *uſque ad fin.* Quod & ipſe ſtylus ſatis arguit, & admonuit etiam *Cujac. ad Novell. 22.* De quinquennio quod dixi, id aptandum eſt captivo. Miles enim, qui Reip. cauſſa abeſt per quadriennium expectari jubetur, *in l. 7. uxor. C. de rep.* poſt quod nubere poteſt alteri, dum tamen prius publicam deponat conteſtationem, emiſſo ad ducem libello, quo ſuum propoſitum ipſi ſignificet. Verum illud quadriennii tempus poſtea per Juſtin. eſt mutatum in decennium. *Nov. 22 Sed per Nov. 117.* (Cum qua congruit *Nov. Leonis Philoſ. 33.*) Conſtitutum eſt tandem, ut quamvis longo tempore maritus in expeditione manſerit, nec vel literas vel nuntium miſerit uxori, tamen mulier ſuſtineat, & à ſecundis nuptiis abſtineat quamdiu is vixerit. Secundæ verò ejus nuptiæ non habeantur pro nuptiis, ſed pro adulterio, proindeq; liceat priori viro fortè domum reverſo ſeparare uxorem à poſteriore, & illo abacto hanc ad ſe recipere. Quod ſi nuntium de ejus morte acceperit, non ſtatim ei fidem adhibeat, ſed prius de veritate ejus inquirat apud ducem: coram quo apud acta juratò deponendum eſt de ejus morte. Quo facto adhuc annum expectare jubetur. *vid. auth. hodie. C. de rep.* Cum hoc igitur jure civili noviſſimo convenit Jus Pontificium: *c. 19. in præſentia. extr. de ſponſ. & matrim.* ubi marito capto & ab hoſtibus detento vel etiam peregrinante, quamvis

jam per ſeptennium vel longius tempus abſuerit, non poteſt ejus uxor, quæ domi remanſit, alteri nubere, priuſquam de morte ejus certum acceperit nuntium. Sic *in c.2. Dominus. extr. de ſecund. nupt.* reſcripſit Lucius 3. univerſis Chriſtianis in captivitate Saracenorum conſtitutis: Ne quis ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quod conjux ejus ab hac vita migraverit & certus ſit de obitu ejus. Sed quod ibidem addit Pontifex, ſatis eſt ridiculum & nimis curioſum, atque indignum ſacerdotali cura, ſi quis fortè præmaturè cum alio aliave matrimonium contraxerit, nondum accepto certo & liquido nuntio de morte prioris conjugis, eum eamve non debere quidem provocare conjugem ad rem veneream ſive debitum conjugale exolvendum: Sed tamen interpellatum vel provocatum poſſe ac debere matrimoniale debitum perſolvere novo conjugi. Tametſi eadem diſtinctione Pontifices etiam alibi utantur, ut quis reddere, ſed non exigere poſſit, debitum. ut *in c.4. tranſmiſſa extr. de eo qui conſang. ux. & c.44. inquiſitionem. extr. de ſent. excom. Cujac. ad tit. Decretal. de ſec. nupt.* Cum hac autem certitudine mortis, quæ utroque Jure requiritur, quo pacto conveniat quod de veriſimili præſumptione obitus ait Innoc. 3. *in c. ult. §. ſi autem de carnali conjugio. extr. ut lit. non cont. ad teſt. recept. non procedatur,* equidem ſatis intelligere non potui: quamvis & Cujac. eam præſumptionem probet *ad d. c.19. in præſentia. de ſponſ.* eiq; capitulo addendam putet. Nam in præſumptione nō ineſt certitudo, ſed tantum conjectura probabilis ſeu veriſimilis, hic autem nō veri ſimilitudo, ſed veritas requiritur, *arg. auth. hodie. C. de repud.* ſi pro veritate mortuus eſt. Pro veritate, id eſt, non pro veritatis aſſertione, defenſione, propugnatione, ſed revera. Atque hæc hactenus de abſentia alterius conjugum neceſſaria, vel juſta ac probabili.

Sequitur de abſentia improba, ſive malitioſa deſertione, cum quis à conjuge diſcedit, & longius abeſt, nulla juſta, honeſta, aut neceſſaria cauſa coactus, ſed tantum levitate & malitiâ quâdam, vel impatientiâ freni conjugalis, aliiſve non neceſſariis, neque probabilibus cauſis impulſus oberrat, abſque animo redeundi ad conjugem. Etſi autem de hoc caſu nullum neque in civili, neque in Canonico Jure locum reperio, qui ob talem deſertionem deſertæ perſonæ ſecundas permittat nuptias & divortium à priore; tamen in Conſiſtoriis & judiciis matrimonialibus multorum locorum Reformatæ religionis ſcio ita obſervari moribus uſuque receptum, ut pars deſerta & innocens poſſit divortium petere, & ad ſecunda vota tranſire. Rationem hanc reddunt. 1. Quia talis deſertio malitioſa ratò ſit ſejuncta à crimine adulterii. 2. Quia ſi deſerto conjugi innocenti non concederetur divortii petitio, & facultas ſecundas contrahendi nuptias, tùm fieret, ut pars innocens ſuo jure privaretur abſque ſua culpa: id quod fieri non debet. *c.6. diſcretionem. De eo qui cogn. conſang. ux. ſuæ.* Fieret item, ut laquei innecterentur conſcientiæ: Fieret denique, ut alieno odio quis prægravaretur, & delicta etiam alios tenerent, quam ſuos auctores: quæ omnia ſunt manifeſto juri contraria, *vid. Ioach. à Beuſt. Tr. de matrim. cap. 26. An & quando propter deſertionem poſſit fieri divortium & Conr. Mauſer. Norberg. in comment. ad tit. de nupt. in fin.* Qui de malitioſa deſertione accipiendum putat. *cap. 8. perlatum. extr. qui fil. ſint legit.* allegans in eandem ſententiam etiam *Innoc. & Panorm.* qui voluerunt,
contra

Digitized by Google

contra maritum malitioſè abſentem tanquam contumacem procedi uſque ad divortium. Caſus talis ibi proponitur: Maritus Vincentiâ Conſtantinopolin profectus abfuerat per decennium: uxor cum ejus reditum tamdiu expectaſſet, adiit archiepiſcopum ejus loci,& conqueſta eſt de viro. Archiepiſcopus virum per parentes, i.e. cognatos ejus curavit admonendum, ut ad propria reverteretur. Cum autem is ne ſic quidem rediret, ſpretaq; hac admonitione diu adhuc emaneret, tandem uxore inſtante Epiſcopus ſententiam divortii inter eos tulit, & mulieri aliud matrimonium indulſit. Quæſitum fuit, an filii ex hoc ſecundo matrimonio nati eſſent legitimi? Reſcripſit Papa Alex. 3. legitimos eſſe,atque ad hereditatem parentum admittendos. Ex quo reſcripto intelligimus. veniam & permiſſionem Eccleſiæ juſtas hoc caſu nuptias, juſtoſque ac legitimos liberos facere. Qui locus benè eſt notandus pro divortio propter malitioſam deſertionem permittendo. Continet enim ejus conſuetudinis fundamentum, qua Eccleſias reformatas uti ſupra dixi. Ad quam deſertionem quodammodo etiam referri poſſe videtur. *c.5. de illu. De ſponſal.* De quo nonnihil paulo poſt attingam. Quis autem ordo,ſive qualis proceſſus hoc caſu obſervari debeat,quomodo & quoties citandus, quomodo idem condemnandus ſit abſens & deſertor malitioſus. *vid. apud Beuſt.d.tr.de matr.c.27.28.29.30.& 31.* Qui etiam *cap.32.* hanc quæſtionem tractat, An & quatenus,& quando uxor maritum vagabundum ſequi teneatur. Videatur quoque de deſertione conjugis. *Alb. Gentil. de nupt.lib.6.c.14.* De pœna verò mulieris,quæ cum abſentem virum vita functum falſis rumoribus accepiſſet, alteri ſe junxit,ſi maritus revertatur,notabilis eſt diſtinctio *Papin. l.11. miles. §. mulier. ff. de adult.* ubi eleganter ait tàm juris quàm facti quæſtionem hîc moveri.

CAPUT XV.

DE CONCUBINATU.

POſteaquam de matrimonio & contrahendo & diſſolvendo dictum eſt ſatis pro inſtituto noſtro, proximum eſſe videtur ut etiam de concubinatu aliquid afferamus. Nam & in Jure civili hic ordo obſervatur, ut poſt uxores proximus detur locus concubinis. Etenim concubina imitatur uxorem, ut ait Julianus Patricius anteceſſor, qui Epitomen ſcripſit Novellarum Juſtiniani, *Novell.18.* Ergo & concubinatus eſt imitatio quædam matrimonii ſive ſemimatrimonium,& ut Zonaras hiſtoricus vocat ἡμίγαμος. Eſt conjugium inæquale, *ut ait l.3. C. de nat. lib.* Quæ inter utrumque ſimilitudo quibus in rebus conſiſtat, quid item interſit inter illa duo, priuſquam explicem, & inquiram in differentias Juris civilis,& Canonici quo ad concubintaum, de vocabulo breviter videndum eſt exemplo Ulp.& aliorum vet. Juriſconſultorum. Latinum igitur nomen concubinatus (quo & Plautus utitur) à concumbendo ſive concubitu derivatum eſſe manifeſtum eſt. Dicitur etiam concubatus, ſecundum *Lect. Pand. Flor. in l. pen. ff. de concubin.* Quod autem Græcorum nationem ſcribit P.Coſtalius *in adverſar. Pand. in fin.* quamvis admirabiliter eſſet inepta & maximè illo vitio abundaret,tamen ei non dediſſe nomen,ei repugnat utrumq; vetus Gloſſa-

Digitized by Google

Gloſſarium ab Henric. Stephan. editum: in quo reperias iſta: Concubina. Σύνευνος, Συγκοίτις, παλλακή.

Plura de verbis vid. *apud Forſt. 6. de ſucc. c. 6.* Concubinatus igitur Jure civili permittitur, & eſt impunitus, de quo omnes conſentiunt. Atque hoc eſt quod Martianus *ait in l. 3. §. 1. in fin. ff. de concub.* Quia concubinatus per leges nomen aſſumpſit, extra legis pœnam eſt. Nam ut ait *Imp. Alex. in l. 4. Gracchus. C. ad l. Iul. de adult.* quod legitimè factum eſt, nullam pœnam meretur. Et ut eſt *apud Xenoph. & Ariſtot.* δίκαιον τὸ νόμιμον. Ratio permittendi concubinatus fuit legumlatoribus, non tàm quod probarent eam conjunctionem, quàm quod putarent diſſimulatione quadam ad illam connivendum, ut majora averterent incommoda, longeq; majoribus impendentibus periculis obviam irent: ſicut & alia ſæpè in rep. ſunt permittenda, quæ ſi cum perfectis viveretur, planè non haberent locum. Qua de re *vid. Ioan. Coraſ. Miſcell. lib. 1. cap. 3.* quem diſſimulato tamen ejus nomine ferè totum transſcripſit. *Valer. Forſt. de ſucceſſ. lib. 6. cap. 3.* Sunt autem qui putant, Juſtinianum prohibuiſſe concubinatum per quaſdam ſuas conſtitutiones Novell. *ut Novell. de Lenonib. Nov. ut non luxurientur homines contra naturam Nov. Scenicas non ſolum ſi fidejuſſ. præſtent, ſed etiam ſi jusjurandum dent ſine periculo diſcedere &c.* Sed his aſſentiendum non eſt, cum iis in locis nihil agatur de concubinis: quod pluribus demonſtrat *Forſt. d. lib. 6. c. 4.* Dicendum igitur Jure civili Juſtiniano concubinatum permiſſum ſemper fuiſſe, tametſi conſtitutiones *tit. C. de nat. lib.* eum damnant potius quam probant, dum liberos ex concubinatu ſuſceptos nolunt habere ſolidi capacitatem in bonis patris, ſed tantum certæ portionis capiendæ jus: ut ita quaſi legitimam quandam intemperantiam fecerint concubinariam conjunctionem. Leo autem Philoſophus *in Nov. 91.* concubinatum damnavit, memorabili hac addita ſententia, Cur malis cænum, quam fontem? Conjugium fonti, concubinatum cœno comparat. Conſtantinus Porphyrogeneta quoque concubinatum prorſus vetuit, *ut videre eſt apud Harmenop. lib. 4. t. 7. vid. Cujac. in π. C.*

CAPUT XVI.
CONCVBINATVS ET MATRIMONII ſimilitudo.

SImilitudo porrò concubinæ ſive ſemiuxoris & uxoris juſtæ in his ferè capitibus conſiſtit. I. in ætate. Nam ut uxor non poteſt duci, quæ ſit minor duodecim annis, ita neque concubina. *l. 1. §. ult. De concub.* II. In numero. Nam ſicut plures unà uxores habere nemini licet. *l. 2. C. de inceſt. nupt.* ita neque concubinas plures, vel concubinam cum uxore. *l. 121. ex ea §. 1. De verb. obl. Paul. 2. ſent. 20. l. 3. C. com. de man. l. un. Cod. de concubin.* quæ eſt conſtit. Conſtantini. Neque ſatis eſt ad eam ipſi abrogandam, ut putat *Gothofr. ad d. l. 121.* quod etiam ante eum Imp. contra bonos mores habitum fuerit, ſi quis tempore matrimonii conſtantis conſuetudinem habuiſſet cum concubina: non inquam ob id Conſtantino malè tribuitur ea conſtitutio. Non enim hoc novum eſt, ut quod ante turpe & probroſum habitum fuit, id tandem omninò prohibuerint Imperiales conſtitutiones: cujus

rei

Digitized by Google

rei plurima poſſent profetri exempla, ſi opus eſſet. Verùm in ſimilitudinibus colligendis annotandiſq; pergamus. III. Igitur in eo conveniunt, quod ſicut à noverca, id eſt, à ſecunda uxore patris, abſtinendum eſt filio ſive privigno, ita & à concubina. *l.1.§. pen. De concubin. l.4. C.de nupt.* Minus religioſam & probabilem rem facere videntur tales, *ut ait Alex. Imp. in d.l.4.* Imò propè nefaria eſt hujuſmodi conjunctio, *ut ait Vlp. in d.l.1.* Cur ita? Quia parentum & liberorum loco ſibi invicem ſunt, inter quos nefarius eſt concubitus, & committitur inceſtum jure gentium. IV. Sicut uxor cum alio rem habens committit adulterium, ita & concubina, & poteſt accuſari adulterii non quidem jure mariti, ſed jure extranei. *l.13. ſi uxor. in pr. De adult.* Cui non rectè opponit Gothofred. *l.3. §.1. ff. de concubin.* nec tamen ſolvit τὸ ἐναντιοφανές. Dicendum enim ab ipſo quidem, qui concubinam habet, non committi in ea adulterium, ſiquidem ſit alioquin cœlebs: & ita intelligendum eſſe *d. l.3.* ab alio verò in eam committi adulterium, de quo caſu loquitur *d.l.13.* V. Sicut reus cædis non eſt, qui deprehenſum in uxore adulterum occidit: Ita neque is, qui adulterum concubinæ: ut ex ratione Lyſiæ, qua defendit cædem Eratoſthenis, probat Cujac. *in Recit. Cod.* VI. Quemadmodum filius, qui novercam ſuam, id eſt, uxorem patris ſuæ cognoverit, exheredari jure poteſt ob hunc inceſtum: Ita & ſi concubinam ejus, id eſt, quaſi novercam. *Nov. 115.* VII. Sicut in filia ſororis, ſi quis eam uxorem ducere velit, inceſtus committitur. *§. fratris verò vel ſororis filiam. Inſtit. de nupt.* ita etiam ſi quis concubinam eandem habere velit. VIII. Sicut furore non diſſolvitur matrimonium, niſi nimis ſævus ſit. *l.22. ſi cum dotem. §. ſi maritus. ff. ſol. matr.* Ita nec concubinatus. *l.2. de concub.* IX. Similitudo ſumitur ex Interpretibus Iuris Feudalis. Nam ut feudum amittit vaſallus ob adulterium in uxore domini perpetratum, ſic etiam in concubina ejus. *Zaſ. Epito. feud. pag. 10. n.27. & ſeqq. & alii, quos refert & ſequitur Schrad. pag.9. c.2. n.14.* Quod tamen jus eſſe controverſum docui *in partit. Feud. lib.2. c.5. num.104.*

CAPUT XVII.
DE CONCUBINATUS ET MATRIMONII differentia.

NUnc differentias videamus, quæ ſunt inter uxorem & concubinam. Harum facilè princeps eſt illa: quod Concubina ab uxore ſolo dilectu ſeparatur, *ut ait Paul. lib.2. ſent. tit.20.* Legitur ibi vulgò ſolo delicto, ſed perperàm. Neque enim Jure civili ullum in concubinatu verſatur delictum, cum per leges nomen aſſumpſerit, & proinde extra pœnam ſit: *ut ſupr. d.* Interpres Pauli Anianus dilectum pro dilectione accepit, item non rectè, cum ait, Ideò eum, qui uxorem habet, eo tempore prohiberi concubinam habere, ne dilectio concubinæ eum ſeparet ab uxore. Sed dilectus (qui vulgò delectus) apud Paulum eſt electio, vel ut ipſe interpretatur alibi, deſtinatio animi. *l.4. ff. de concub.* ubi idem Paul. concubinam, inquit, ex ſola animi deſtinatione æſtimari oportet, id eſt, an aliqua ſit alicujus concubina, an verò juſta uxor, id ex proæreſi cujuſque dependet. Nam ſi maritalis honor & affectio accedat, erit uxor: ſi illa deſit, non erit uxor, ſed concubina. Si

Digitized by Google

na. Si quis fœminam tractet ut uxorem, erit illa uxor: ſin ut concubinam, erit concubina. Unde autem hoc æſtimandum ſit, docet *Papin. in l.31. donationes, ubi vid. Cujac. de don.* Dilectus ſive in militari, ſive vulgari ſignificatu ponatur, ubique in bonis auctoribus manu exaratis legitur: non ut vulgo ſcribimus delectus. Sic in aliquot M S C. Plauti ipſe deprehendi. Sic & *opt. gloſſ. vet.* Dilectus, *ςρατολογία, δοκιμασία*. Et altero *Gloſſ. ςρατολογία*, allectus, dilectus. Ex hac primaria differentia dependent etiam aliæ: ut II. quod differunt dignitate: *teſte Vlpian. in l.49. item legato.§. parvi autem refert. ff. de leg.3.* Concubina enim non habet matrisf. honeſtatem, *ut ait Marcellus in l.41. probrum. §.1. ff. de rit. nupt.* Nam cum matremf. audimus, intelligere oportet notæ auctoritatis fœminam *l.3. in f. De lib. exhib. l.46. pronunciatum. §.1. De V.S. l.29. quæ adulterium. Cod. de adult.* Huc pertinet, quod uxor ſit particeps omnium honorum mariti. *l. ult. Cod. de incol. lib. 10. l.13. mulieres. Cod. de dignit. lib.12.* Concubina non item. III. Cum uxore eſt juſtum matrimonium, cum concubina tantum ſemimatrimoniũ, ut ſupra dictum. Concubina enim voluptatis potius cauſa habetur, quàm perpetuæ & individuæ ſocietatis ergò, ſicut uxor. IV. Ex uxore ſuſcipiuntur juſti liberi, & qui in poteſtate patria. Ex concubina tantum naturales. *t. t. Cod. de nat. lib. qui non ſunt in poteſtate:* quamvis per ſubſequens matrimonium, aliiſque modis legitimi fieri, & in poteſtatem redigi poſſint. *§. aliquando. I. de nupt. Non quib. mod. nat. effic. ſui & tit. Decr. Qui fil. ſunt legit.* V. Præſes provinciæ non poteſt ducere provincialem fœminam, cum ratio potentatus prohibeat nuptias. *l. 57. qui in provincia. & l. 63. præfectus. De rit. nupt. l. 3. §. 1. De don. inter vir. & ux.* Sed concubinam quis habere poterat ex ea provincia, in qua aliquid adminiſtrabat. *l. ultim. de concubin.* Ratio differentiæ ex jam *dd.* intelligi poteſt. Quia ſcilicet in concubina non tantum ſit momenti quantum in uxore juſta. VI. Qui adulterii damnatam ducit uxorem, tenetur l. Jul. de adult. non item, qui eam aſſumpſerit in concubinatum. *l. 1. §. qui autem damnatam. ff. de concub.* VII. Inter conjuges prohibita eſt donatio conſtante matrimonio *tot. tit. ff. de don. inter vir. & uxor.* Uxori itaque donare non licet: Sed concubinæ licet. *l. 3 §. Divus. l. ſi prædia. De don. inter vir. & ux. d. l.31. donationes in concubinam. ff. de don.* VIII. Contra concubinam locum habet furti actio: Sed contra uxorem rerum amotarum agendum eſt poſt divortium *l. 17. ſi concubina. ff. rerum amotarum.* Differentiæ ratio eſt, Quia uxoris dignitati & honori parcendum eſt, ideoque à famoſa furti actione abſtinendum in honorem & memoriam matrimonii, quamvis jam diremti. *l.1. ff. d. t.* In concubina verò cum dignitas nulla ſit, nihil eſt, quod ejus ratio habeatur: Cum non entis, &c. IX. Patrono honeſtius eſt habere libertam ſuam concubinam, quam matremf. ſive uxorem juſtam. *l.1. §.1. ff. de concub. l.16. cum tabulis. §. quoniam ſtuprum. ff de his quib. ut indig. ubi Cujac. in Papin.* X. Faciliùs dirimitur concubinatus, quàm matrimonium: ut explicatur apud *Fr. Conan. lib. 8. comm. Iur. cap. ult.* Hæ igitur præcipuæ ſunt differentiæ inter concubinatum & matrimonium, ut ita jam appareat verè dictum eſſe à Leone *in capit. 12. non omnis. 32. quæſt. 2.* Aliud eſt uxor, aliud concubina.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

IN DUBIO UTRUM CONCUBINATUS, AN MATRIMONIUM ſit dicendum potius?

SEd quæret quiſpiam, In dubio utrum ſit dicendum matrimonium, an verò concubinatus. Hac de re ita definivit. *Modeſt. in l. 24. in libera. De rit. nupt.* In liberæ mulieris conſuetudine nuptias, non concubinatum intelligi debere, ſi non corpore quæſtum fecerit. Martianus in muliere ingenua & honeſta vitæ requirit teſtationem, id eſt, ut qui eam non uxorem, ſed tantum pro concubina habere velit, apertè id profiteatur, alioquin omiſſa ejuſmodi teſtatione uxorem eam habere neceſſe eſſe: aut ſi uxorem habere nolit, ſtuprum in ea committi. *Papin. in l. 31. donationes. ff. de don.* vult ſignis & argumentis quibuſdam id colligendum, æſtimandum ac perpendendum eſſe, an quis mulierem habuerit uxoris loco, an verò concubinæ: videlicet facta comparatione utriuſque perſonæ & vitæ conjunctione conſideratâ, v. g. non præſumitur ingenuus libertinam in matrimonium habuiſſe, ſed potius in concubinatum: nec eam, quæ corpus ſuum vulgaverat: nec eam, quam quis non dignatus eſt honore dominæ, ſeu matrisf. Multum etiam hac in re valet fama & opinio vicinorum: quam proinde ſpectare jubet *Alex. 3. in cap. 11. illud. De præſumpt. ut & Imp. Probus in l. 9. ſi vicinis. C. de nupt. & Ulp. in l. 6. filium. De his qui ſunt ſui, &c.* Sunt qui putant, hac in re differre jus Pontificium à civili, & illo Jure ex mutua cohabitatione maris & fœminæ præſumi non matrimonium, ſed potius contubernium, ſtuprum & fornicationem. Ita Canoniſtæ communiter *poſt gl. in c. 11. illud. De præſumpt. M. Weſenbec. conſ. 44. Ioſ. Maſc. vol. 2. de probat. concl. 1024. ubi plures alios allegat.* Quibus vix eſt, ut aſſentiar. Nihil enim ad rem faciunt loca, quæ ad hoc allegant, *ut c. 2. De clandeſt. deſponſ. c. aliter. 30. q. 5. cap. 11. illud de præſumpt.* quamvis ipſi diverſitatis rationem reddant iſtam: quod cum ab Eccleſia certæ ſint conſtitutæ ſolennitates matrimonii contrahendi, *de quibus in d. c. aliter. 30. q. 5. & c. ult. De cland. deſponſ.* illis omiſſis Eccleſia non præſumat pro matrimonio, cum non videatur bonâ fide agere qui contra jus agit, *arg. c. qui contra jus. De R. I. in 6.* nec dignus ſit Eccleſiæ auxilio & ſententiâ, qui contra leges Eccleſiæ committit, *c. in audientia. 25. De ſent. excomm. arg. l. 38. auxilium in fin. De minor.* Jure autem civili faciliorem admitti volunt præſumptionem pro matrimonio, quod Jus civile nullas ejuſmodi ſolennitates matrimonio præſcripſerit. *l. 22. ſi donationum Cod. de nupt.* proindeque cohabitantes bonâ fide agere præſumat. Reddunt & hanc rationem, propter periculum animarum hic fieri præſumptionem in deteriorem partem, nempe ut quæ clandeſtinè perpetrantur illicita, ea manifeſta facta emendentur, atque ita animæ conſulatur. Ita poſt alios *Alc. de præſumpt. reg. 2. Præſ. 5. Weſ. d. conſ. 44. n. 30. & n. 61.* Sed oportebat prius oſtendere, quod vera ſit hîc differentia inter utrumque jus, quam de ratione ejus differentiæ explicanda laboraretur. Illa autem differentia dictis locis non probatur: imò tantum abeſt ut probetur *per c. 11. illud.* ulla differentia, ut potius id totum cum jure civili conveniat. Fateor tamen hodiè hujus quæſtionis parvam eſſe utilitatem, cum non amplius utamur concubinatu: De quo reſtat ut videamus.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

CONCVBINATVS AN IVRE CANONICO SIT ſublatus & improbatus.

AN Jure canonico diſertè unquam fuerit improbatus & ſublatus, necne: Et proinde an hac in re inter Jus civile & Pontificium aliqua ſit differentia: quod quidem plerique putant, nemine ferè contradicente. Adducunt *cap.4. nemo blandiatur ſibi.& cap.9. dicat aliquis.32. q.4.cap.5. concubina. cum 2. ſeqq.32. q.2.* Quibus in locis verba SS. Patrum Ambroſii & Auguſtini referuntur, ut etiam *in c.6. audite cariſſ. Diſt. 34.* Sed reſponderi poteſt, In nullo horum locorum diſertè tolli concubinatum, aut jus civile, quod eum permiſit, abrogari: ſed SS. illos Patres relicto Jure civili eo loco quo erat, tantum exhortari voluiſſe homines ad colendam caſtitatem, & ut conjugium legitimum velint concubinatui tanquam præſtantius præferre (quod & nos ex jure civili libenter fatemur) avocare autem eoſdem à ſpurcitie libidinum evagantium extra legitimi conjugi terminos: quod ex ipſa lectione *dd.cc.* ſingulatim patebit. Atque ut cætera omittam, *in c.5. & 6.33. q.2.ut & in d.c.6. audite.Diſt.34.* improbat Auguſtinus concubinatum temporalem (ut inconveniens eſt moribus Rom. filium habere temporalem, ita & concubinam.) Ex quo licet argumentari à contrario: Ergo aliquis concubinatus etiam Auguſtino eſt juſtus. Concubinæ, inquit, ad tempus adhibitæ juſtum non faciunt concubinatum ſuum, etiamſi filiorum cauſa concumbant Ergo inquam, concubinæ non ad tempus adhibitæ, ſed in perpetuum retentæ, faciunt juſtum concubinatum. Eodem modo idem *Aug.in d c.audite.* non licet vobis, inquit, habere concubinas, quas poſtea dimittatis. Unde colligitur, Ergo ſi non dimittatur concubina, licet eam habere. Sic etiam. *ex c.17. de conſanguinitate.35. q.2.& 3. cum ait Nic. 2.* Laicus uxorem ſimul & concubinam habens non communicet Eccleſiæ: ſatis evidens eſt, ſolam concubinam abſque uxore habere permitti. Longè autem clariùs atque apertiùs eodem jure Canonico permittitur concubinatus, æquè ac jure civili, *in cap.4. is qui non habet uxorem, & c.5. Chriſtiano. Diſt.34.* Prius c. ſive prior canon eſt ex Concilio Toletano 1. quod vetat à communione repelli eum, qui pro uxore habet concubinam: dummodo unius ſit mulieris conjunctione contentus, ſive ea uxor ſit, ſive concubina, ut ei placuerit. Alterum capitulum ex Iſidoro Hiſpalenſi, *de conſonantia Novi & vet. Teſtam.* ſumptum vult, Chriſtiano non licere duas vel plures ſimul habere uxores aut concubinas, ſed unam tantum ſive uxorem ſive concubinam, ſi conjunx deſit. Ex quibus manifeſtum eſt, neque Concilium illud, neque Iſidorum improbaſſe concubinariam conſuetudinem, ſed diſertis verbis permiſiſſe: dum ne quis plures quàm unam ſimul concubinam haberet: quod etiam Jure civili cautum fuiſſe ſupra diximus *ex l.1. C.de concub. & Paulo 2.ſent. tit.20. & l.121. De V. O.* Solent quidem vulgò ita intelligere, vel potius callidè interpretari dicta loca, quaſi loquantur de uxore, quæ conjugali quidem affectu, aſcita, ſed tamen abſque inſtrumentis dotalibus, aliiſq; ſolennitatibus ducta & unita ſit viro, quæ quo ad effectum quidem ipſum revera ſit uxor, ſed ob omiſſionem ſolennium nō appelletur uxor, ſed concubina.

vid.

Digitized by Google

vid. poſt alios P. Gregor. in Syntag. Iur. univerſ. lib. 10. cap. 1. num. ult. & Iac. Menoch. de arb. Iud. caſ. 418. n. 20. Ejuſque interpretationis auctor primus fuit Gratianus ſub *cap. 3. omnibus. § concubina autem ea hic intelligitur &c.* Sed ea interpretatione vocabuli concubina vim fieri & Concilio Toletano & Iſidori verbis, admonet *Val. Forſt. lib. 6. de ſucc. cap. 5. num. 6.* quo toto capite ut falſam redarguit communem opinionem, quæ vult, Jure Pontificio ſublatum eſſe concubinatum: docetque ſi non per omnia eo jure permiſſus ſit, at certè diverſas & pugnantes eadem de re ſententias in id relatas inveniri: quod in Decreto Gratiani novum non eſſe aliàs quoque admonui.

CAPUT XX.
DE CLERICORUM VEL CONCUbinatu vel conjugio.

IN eo autem conveniunt Jura civilia cum Canonicis, quod utroq; clericis omni fœminarum uſu conſortioq; interdicitur, atque ita non ſolum concubinis, ſed etiam uxoribus. *vid. tot tit. Decretal. De cohabit. cler. & mul. per aliquot capitula, & can. decernimus. Diſt. 28. c. nullus & c. ſeq. Diſt. 32. can. ſi qui ſunt & c. eos etiam. Diſt. 81. Et confer. l. 19. eum qui C. de epiſc. & cler. & aliquot Nov. Iuſtin. ut 5. 6. 22. & ibi Cujac. com.* Imò quaſvis mulieres *συνεισάκτους*, ſive ſubintroductas, id eſt, extraneas domi habere clericos vetuit Synodus Nicæna, ut eſt *in c. 16. interdixit. Diſt. 32. Rufin. hiſt. Eccleſiaſt lib. 10. Conan. lib. 8. c. ult. num. 3.* Excipiebantur mater, amita & ſoror, aliæq; ſimiles perſonæ, in quibus naturale fœdus nihil permittebat ſævi criminis ſuſpicari. *d. c. interdixit. & c. 9. à nobis. De cohab. cler.* Quamvis hæc quoque exceptio in concilio quodam Africano abrogata eſt, cum diaboli inſtigatione in illis quoque vel certè earum pediſequis ſcelus perpetratum reperiretur, ut eſt *in c. 1. De cohab. cler.* De pœnis verò clerici concubinarii prolixè explicat *Menoch. d. caſu 418.* ubi atrocitatem hujus criminis ſatis exaggerat. Videndus etiam eſt *Iul. Clar. in §. Fornicatio. & Canones concilii Tridentini c. 8. grave peccatum eſt. ſeſſ. 24. Decreto de reform. matrim. & cap. 14. ſeſſ. 25. Decreto de reform. regularium*: quorum locorum priore agitur de Laicis concubinas alentibus, poſteriore de clericis. Utroque autem ferè tantum veteres hac de re canones, quos mali mores in poteſtatem ſuam pertraxerunt, in uſum revocantur. Inter cæteras pœnas eſt, quod ſi conſtet de tali impuritate ſacerdotis, abſtinendum ſit de eorum Sacramentis, non quidem quaſi ipſorum ſacramenta vera non ſint, aut hominum impuritate polluantur myſteria divina, (cum etiam ab indignis ſacerdotibus adminiſtrata, vera tamen ſint & maneant ſacramenta) ſed quo affecti pudore ad pœnitentiam pertrahantur. Qua de re videndum *cap. 7. veſtra. de cohabit. cleric. & mul.* quo *Lucius 3.* in concordiam redigit diverſas anteriorum canonum ſuper ea re ſententias, *videlic. c. 5. nullus miſſam. & c. ſeq. Diſt. 32. c. 5. ſuſcitantibus 15. q. ult.* Diſtinguit enim inter crimen notorium & occultum. Quod latius explicat *Cujac. ibidem in Recit. poſtumis ad 3. Decretal.* Notandum obiter, Sacramentis nihil derogare indignitatem ejus qui illa adminiſtrat: quæ ſententia multis in locis juris Canonici refertur ex ſcriptis SS. Patrum: à Nicolao autem declaratur duabus comparationibus

elegantiſſimis. I. radiorum ſolis per impura & inquinata loca tranſeuntium ſine ulla ſui contaminatione. Eodem modo, inquit, qualiſcunque ſit ſacerdos non poteſt quæ ſancta ſunt coinquinare. II. Cereæ facis accenſæ, quæ ſibi quidem detrimentum præſtat, & conſumitur igni, ſed aliis lumen in tenebris adminiſtrat: & dum aliis commodum, ſibi diſpendium præbet *d. c. ult. 15. q. 8.*

CAPUT XXI.

PLENIVS DE CLERICORVM MATRIMONIIS.

SEd ut ad inſtitutum redeamus, quod paulò ante dicebam, clericis interdictas fuiſſe uxores & matrimonia utroque jure, id ulteriore quadam explicatione indiget. Sciendum eſt igitur, pervetuſtam eſſe hanc inter Chriſtianos controverſiam, Liceatnè clericis, ut Epiſcopis, presbyteris, Diaconis & Subdiaconis &c. eſſe conjugatis atque in matrimonio vivere: Et hanc quæſtionem jam olim tempore Conſtantini M. qui primus fuit Imp. Chriſtianus, in Concilio Niceno, hoc eſt, in comitiis totius orbis, motam agitatamque fuiſſe, ut conſtat *ex hiſt. Trip. lib. 2. c. 14. Sozomeno lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 22.* indeque relatum eſt à Gratiano *in can. Nicana Synodus. Diſt. 31.* Quamquam ibi non in univerſum de quovis matrimonio ſacerdotum fuit quæſitum, ſed tantum de eo, quod ante conſecrationem ſive cooptationem in clerum & adſcriptionem ordinis contractum fuiſſet: an cum talibus uxoribus quas antea duxerant poſtea facti clerici, licitè dormire poſſent, nec nè. Hæc, inquam, tunc fuit quæſtio: hic controverſiæ ſtatus: in quo vulgò à multis erratur, exiſtimantibus, quæſitum fuiſſe de quovis matrimonio, etiam poſt cooptationem in clerum vel contracto vel contrahendo: quod non eſt, ut ex ipſa lectione *d. can. Nicana Synodus. patet. in verb. cum conjugibus, quas ante conſecrationem duxerant &c. Et facit eodem etiam cap. 6. cum olim. De cleric. conjug.* Cum autem reliqui Patres ejus concilii, qui ex toto terrarum orbe ad *CCCXVIII.* convenerant, eò inclinarent animis, ac votis, ut lege lata conſuetudinem conjugalem inter tales prohiberent, Paphnutius Epiſcopus Ægyptius & confeſſor, diſſuaſit ejuſmodi legem, ut periculi plenam: cujus ſententia prævaluit, eoque plus auctoritatis habuit apud cæteros Patres, quod eam dixiſſet cœlebs. Nam ſi maritus fuiſſet Paphnutius, potuiſſet videri ſuis indulgere cupiditatibus, & rem ſuam potius agere, ſuiſque commodis magis quàm veritati ſtudere. Ex quo memorabili exemplo obiter notandum, quod & Imp. noſter monet *in conſt. de concept. digeſt. ex l. 21. ob carmen. §. ult. ff. de teſtib.* non ſemper eſſe ad multitudinem auctorum reſpiciendum, ſed ſæpè unius quoque ſententiam, cui potior lux veritatis adſiſtat, meliorem eſſe poſſe ſententiis plurium: Quod in primis etiam in Conciliis locum habere Panormitanus tradit *in c. 4. ſignificaſti. ext. de elect.* Ex Athanaſii quoque epiſtola ad Dracontium cognoſcimus Eccleſiæ illius temporis circa hanc rem conſuetudinem. Sexta quoque Synodus Conſtantinopolitana, quæ dicitur in Trullo à loco ubi habita fuit, pœnis depoſitionis & excommunicationis affici voluit eos, qui vel privare præſumpſiſſent presbyteros & diaconos contactu & communione legitimæ uxoris, vel ipſi religionis cauſſa uxores ſuas domo expellerent. *ut eſt in fin. can. 13. quoniam. Diſt. 31.* Sed Eccleſia Roma-

Digitized by Google

Romana ſive Occidentalis, ab Orientali & tranſmarina, ſicut in aliis rebus multis, ita hîc quoq; divortium fecit. Nam conjugio interdixit omnibus clericis, qui in majoribus ordinibus eſſent conſtituti, id eſt, qui eſſent ſubdiaconi & ſupra eos. Minorum duntaxat ordinum clericis id permiſerunt. Eamq; diſcrepantiā Orientalis ſive Græcæ Eccleſiæ & Occidentalis Eccleſiæ disertè fatentur ipſi Papæ Rom. *Stephanus & Innoc.3. in c.14. aliter. Diſt.31. & c.6.cum olim. extr. De cler. conjug.* In Germania tamen & Gallia diutiſſ. conjugia ſacerdotum in uſu manſerunt, donec videlicet in Germania hanc Camarinam moveret Gregor. VII. *circa ann. Domini.1073.* qui illa prohibuit: quæ res *per 400. annos* maximas turbas excitavit. Plurimi enim Epiſcopi per Germaniam ei ſe oppoſuerunt & pro matrimonio clericorum propugnarunt: ideoque publicè *Gregor.* 7. Antichriſtum eſſe proclamarunt: *teſte Nauclero & Ioan. Aventino hiſtoricis.* Et extat de cœlibatu clerici Epiſtola S. Ulrici Epiſcopi Auguſtani *ad Nic.3.* ex qua ſatis apparet, quàm ægrè & tardè Germani in cœlibatum illum ſacerdotum conſenſerint. In Gallia quoque matrimonia Epiſcoporum & ſacerdotum in uſu fuerunt uſque ad tempora Calixti II. id eſt, ad annum Domini.1119. qui Papa tunc tandem perfecit, ut Gallia maritos in clerum non reciperet, nec in clero retineret: cum tamen Baptiſta Mantuanus monachus Carmelita (qui obiit Anno Domini.1516.) *lib.* 1. *Faſt.* ipſe fateatur, melioribus Eccleſiæ temporibus Epiſcopos maritos eſſe potuiſſe. Nam cum ordo eum deduxiſſet in B. Hilarii Pictavienſis Epiſcopi (qui maritus & pater fuit) mentionē, hos verſus, Cujacii quoq; limatiſſimo judicio elegātiſſimos, de eo fecit:

Non nocuit tibi progenies, non obſtitit uxor,
Legitimo conjuncta toro: non horruit illa
Tempeſtate Deus thalamos, cunabula, tædas.
Sola erat in precio, quæ nunc incognita, virtus
Sordet, & attrito vivit cum plebe cucullo.
Propterea leges, quæ ſunt connubia contra,
Eſſe malas quidam perhibent? prudentia patrum
Non ſatis advertit, (dicunt) quid ferre recuſet,
Quid valeat natura pati. Cervicibus aiunt
Hoc inſuave jugum noſtris imponere Chriſtus
Noluit: iſtud onus, quod adhuc quam plurima monſtra
Fecit, ab audaci dicunt pietate repertum.
Tutius eſſe volunt, qua lex divina ſinebat
Iſſe via, veterumq; ſequi veſtigia patrum,
Quorum vita fuit melior cum conjuge, quam nunc
Noſtra ſit, excluſis thalamis & conjugis uſu.

Nota ingenuam ſi non Poetæ boni (quod negat Jul. Scaliger in Poëticis) at viri optimi & ſanctiſſimi confeſſionem de corruptela ſuorum temporum, & cœlibatus clericalis impuritate. Cum qua confeſſione congruit planè judicium Æneæ Sylvii, qui poſtea Papa factus, Pius 2. dictus eſt, *qui lib.*2. in actis concilii Baſilienſis ait memorabiliter, Fortaſſe non eſſet pejus, ſacerdotes quam plures uxorati, quoniam multi ſalvarentur in ſacerdotio conjugato, qui in ſterili presbyteratu damnan-

damnantur. Nam ut notabiliter ſcripſit S. Hieronymus ad Euſtochium *de cuſtodia virginitatis*: & canonizantur ejus verba *in c.11. ſi Paulus 32.q.5.* Rectius fuerat hominum ſubiiſſe conjugium, & ambulaſſe per plana, quam ad altiora tendente in profundum inferni cadere. *Idemque AEn.Sylvius* etiam in Pontificatu crebris uſurpaſſe ſermonibus fertur: Conjugium magna ratione ademptum ſacerdotibus majore reſtituendum eſſe. Idem quoque fuit judicium cùm aliorum tùm inprimis legati Bavari, qui ad *Concil.Trid.* ab Alberto Duce miſſus eſt: nec non Lindani: ut refert *Mart. Chemnicius in Exam.Trid.Concil part.3.* apud quem etiam tota hiſtoria de cælibatu Sacerdotum vel permiſſo vel prohibito copioſè ex pluribus auctoribus deſcripta videri debet, quam qui perlegerit, vix quicquam amplius quo ad hanc rem pertineat deſideraturus eſt. Conſulatur etiam *Innoc.Gentilet.in Apologia pro Chriſtianis Gallis. cap.9. de matrim. & Iac. Cujac. ad tit.lib.3. Decret. de cler. conjug.* Nec non *Panorm.in d.c.cum olim.* ubi quærens, an Eccleſia poſſit permittere clericis matrimonia, reſpondet, omninò poſſe: idq; apud ſe indubitatum eſſe ait. Sed quicquid tot boni viri cenſeant, maluit Tridentina Synodus tyrannicè tueri clericorum cælibatum, quàm de ſua conſuetudinis uſurpatione decedere, aut quicquam tot precibus & rationibus ſanioribus concedere: Ideoq; anathema dicit iis, qui clericis in ſacris ordinibus conſtitutis matrimonium permittunt. *Seſſ.8. can.9.* Et hæc hactenus de conjugio vel cælibatu clericorum, occaſione concubinariorum, dicta ſint.

Caput XXII.

DE SENTENTIA IN CAVSIS MATRIMONIALIBVS ferenda. De litis conteſtatione in iiſdem: Deq; poteſtate mariti in uxorem.

Nunc aliam examinemus differentiam vulgarem, quæ etiam ad cauſſas matrimoniales pertinet. Putant vulgò, Jure can. in cauſſa matrimoniali ſententiam ſine ſcripto, voce tantum prolatam valere, cum Jure civili non niſi ex ſcripto, quod periculum dicitur, vel ſecundum alios breviculum, ferri debeat, *tit. Cod. de ſentent. ex pericul. recit. Sebaſt. Vantius De nullit. ſentent. ex def. proceſſ. num.69.* ubi *ex Bart. ad l. fin. Cod eod. tit. & Lanfr. ad C. quoniam contra. De probat.* annotat, pro forma ſententiæ ut ſit juſta hunc requiri ordinem ut ſententia 1. ſcribatur. 2. recitetur: adeò, ut ſi judex eam oretenus pronuntiaret, & poſtea ſcriberet, talis præpoſteratio eam vitiaret. Hanc differentiam colligunt *ex cap. 43. Alberic. extr. de teſtib.* ubi capitulum Eccleſiæ, defuncto Epiſcopo vacante ſede Epiſcopali, ante electionem ſucceſſoris ſententiam divortii ſine ſcripto dixerat inter militem quendam & ejus uxorem. Militi igitur metuenti, ne inde aliquod ſibi aut ſuis liberis, ex legitima conjuge ſuſceptis, præjudicium oriretur, & petenti examinari teſtes, qui ſententiæ ferendæ interfuerant, Pontifex annuit: & jubet, ut teſtium depoſitiones in publica monumenta referantur. Ex quo ſatis intelligitur, ſententiam in cauſſa matrimonii à capitulo latam valuiſſe, quamvis non eſſet in ſcripturam redacta. Sed nihil hîc peculiare, aut ſingulare eſt, ac differens à Jure Civili. Non enim ideò dicendum hoc loco valuiſſe ſententiam ſine

ſcriptura

Digitized by Google

ſcriptura latam, quoniam cauſſa fuerit matrimonialis: verum ideò potius, quia fuerit lata ab illuſtri Judice, nimirum capitulo Ravennatenſi, quod vice Epiſcopi judicarat. *vid. l. 2. Cod. de ſent. ex peric. recit. Caſiodorum. in variis, ubi de form. praf. prat.* Verbo ſententiam dicit. Quid non habeat commiſſum, cujus eſt ipſe ſermo judicium? Hæc me docuit *Cujac. in recit. ad d. c. 43.* qui etiam laudat Hoſtienſem. Eamq; ſententiam poſtea vidi probari etiam *Alb. Gentil. lib. 7. cap. ult. De nupt.* ubi & alia ſingularia cauſſarum matrimon. collegit.

Huic commentitiæ differentiæ adjungamus aliam veriorem: videlicet iſtam, cum aliàs regulariter neceſſaria ſit litis conteſtatio nec ſine ea procedi poſſit ad ſententiam definitivam, Jure Can. in cauſſa matrimoniali etiam abſque litis conteſtatione procedi poteſt, ſi videlicet agatur de matrimonio, an ſit legitimum, nec ne, & reus per contumaciam abſit. *cap. ult. §. porrò. Vt lit. non conteſt. non proc. ad teſt. recept. vel ad ſent. defin.* Ubi & ratio additur *ab Innoc. 3.* ne propter longam moram fornicationis occaſio vel viro vel mulieri præbeatur. Ideoq; ordo judiciarius qui in aliis controverſiis eſt ſervandus, in matrimonialibus non uſque quaque ſervatur. *c. 1. eod. tit.*

Sed obſtare videtur *c. 1. eod. tit.* ubi lite non conteſtata, licet receptis teſtibus eorumque atteſtationibus publicatis in cauſſa matrimonii, non eſt ad ſententiam definitivam procedendum: Reſpondeo, nullam eſſe pugnam, quia *in cap. ult.* agebatur de fœdere matrimonii ſive an valeat matrimonium nec nè: *In d. c. 1.* non de fœdere ſive validitate matrimonii erat quæſtio, ſed de crimine adulterii, per quod non ad conjunctionem, ſed ad ſeparationem matrimonii tenditur. Quam conciliandi rationem ipſe *text. in d. c. 1.* manifeſtè indicat.

Afferunt aliqui etiam hanc differentiam inter Jus civile & Can. quo ad poteſtatem maritalem in uxorem, quod Jure Canonico permiſſum ſit viro uxorem cuſtodire ac ligare domi ſuæ, & ad jejunia ſalutaria, non tamen uſque ad mortem cogere. *cap. 10. placuit. 33. quaſt. 2.* cum tamen Jure civili privatum carcerem nemini habere liceat *tit. Cod. de privat. carc. inhib.* Sed obſervavi id c. ex Concilio Toletano I. ſumptum, non loqui de quibuſvis maritis, ſed tantum de clericis, neque de quibuſvis uxoribus ſic caſtigandis, ſed tantum de iis, quæ peccaverint (ſc. in proprium corpus.) Simul etiam ex eodem concilio perveteri (habitum enim eſt ſub Anaſtaſio Papa circa annum Domini 398.) obſervandum eo tempore clericorum matrimonia fuiſſe permiſſa, non tantum in minoribus ordinibus, ſed etiam in majoribus & quibuſcunque. Ait enim textus: Si quorumcunque clericorum uxores peccaverint. Quod addendum ſuperioribus, ubi de clericorum conjugiis dictum eſt.

FINIS LIBRI SECVNDI.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

DE PACTIS.

DEinceps de Pactis videamus, an & quatenus diſcrepet jus civile à Canonico. Jure civili certum eſt, ex pacto nudo non naſci obligationem, non dari actionem, ſive pacta obligationem & actionem non producere. *l 7. juriſgentium. §. ſed cum nulla. & §. quin imo. l. 45. diviſionis. ff. de pact. l. 10. legem quam & l. 15. pactum quod dotali. Cod. de pact. l. 15. ſolent. ff de præſcr. verb. l 27. ſi tibi. Cod. De Locato. l. ult. C. de rer. perm. Paul. 2. ſent. 14. in princ.* Idq; inter JC. jam olim proverbii vice jactatum fuiſſe indicant Impp. *in d. l. 10. C. de pact. & in l. 1. C. de pact. conv. tam ſuper dote:* quæ planè iiſdem verbis conſtat cum *l. 10. In verb. Quod dici ſolet &c.* Ratio Juris civilis eſt, quia Prætor exiſtimavit, ſi ex quovis nudo pacto actionem daret, varia ac multiplicia inde in Remp. & vitam communem redundatura eſſe incommoda: *v. g.* ſi quælibet etiam leviter & inconſideratius (ut nonnunquam fit) promiſſa ad præſtationis neceſſitatem revocarentur, nullus eſſet futurus litium neque numerus, neque modus aut finis: quibus vix fora ipſa aut judicia ſufficerent. Maximum item periculum impenderet fortunis civium, ſi ex quovis promiſſo actione judicioq; conveniri & cogi poſſent ad præſtandum. Sæpè enim ea promittuntur, quæ is quidem qui promiſit, ſine magno ſuo incommodo præſtare non poteſt: quæq; præſtita exiguam aut nullam alteri utilitatem eſſent allatura. Denique etiam honeſtius atque utilius ad excitandum virtutis ſtudium viſum eſt, aliqua relinquere hominum inter ſe fidei ſpontaneæ & probitati, quàm omnia vinculis legum & obligationum neceſſitate adſtringere. In neceſſitatibus enim nullus eſt virtuti locus, quæ ex libera potius voluntate ac bona fide pendet, quàm aliqua coactione: *ut docet Ariſt. 3. Ethic.* De his rationibus *vid. Conan. lib 5. cap. 1. num. 5. & 6. & Duar. ad tit. ff. de pact.*

Sunt autem ab ea regula aliquot Exceptiones, quæ partim in jure noſtro extant: partim à Doct. excogitatæ ſunt. In jure extant hæ. 1. Ex conventionibus nominatis illæ, quæ ſolo conſenſu fiunt. 2. Pactum in continenti adjectum contractui bonæ fidei. 3. Pactum legitimum. 4. Pactum prætorium, ut conſtitutum, & Hypotheca. 5. Conventio de uſuris in certis aliquot caſibus, ut in pecuniis civitatum: in pecunia trajectitia: in argentariis: in rebus, quæ menſurantur, ut oleo, frumento, vino &c. mutuo dato. His adde 6. Pactum dotis dandæ: nec non 7. Pactum donationis.

A DD. excogitatæ exceptiones ſunt: ut I. Pacta in cauſſis mercatorum. Item in ſupremis curiis omniq; foro, ubi ex bono & æquo judicatur, etiam coram arbitratoribus. II. Pacta in Judicio, ſive apud acta interpoſita. III. Pacta jurata. IV. Pacta geminata, ſive iterata. De quibus loco pluribus explicare alienum ac nimis prolixum foret. Sicut etiam de illa quæſtione, An ſaltem naturalis obligatio

Digitized by Google

ligatio ex pacto nudo oriatur: *de qua Giph. ad dict. l. 7. De pact. & ad l. 14. ff. Obl. & act.* contra communem opinionem Dd. diſputat, ex Jure civili non oriri, ne naturalem quidem. Illis igitur omiſſis hîc Differentiam potius annotemus & examinemus. Jure igitur Canonico pacta quælibet obligationem & actionem producere, communis eſt opinio, *teſte Vivio lib. 1. com. opin. n. 234. Emanuele Soarez. in th. recept. ſent. lit. P. n. 1. P. Greg. in Syntag. Iur. univerſi lib. 21. c. 3. n. 7.* Eamq́; *P. Coſtalius probat in Adverſ. Pand. ad l. 7. n. 14. De pact. & ad leg. 48. Quintus. ff. mandat. & Duaren. Item Weſenbec. in paratit. de pact. n. 10.* Nituntur autem quibuſdam & textibus & rationibus. Textus Jur. Can. duos maximè proferunt *ex cap. 1. & c. 3. ext. de pact. In c. 1.* (quod ex Concilio Carthagin. ſumptum eſt) dicitur: Inita pacta ſuam obtineant firmitatem: pax ſervetur, pacta cuſtodiantur. In *cap. 3.* dicitur ex Regiſtro Gregor. M. Studioſè agendum eſt, ut ea quę promittuntur, opere compleantur. Et quidem in ſummario ejus capituli ea cura Judici commendatur. Judex (inquit) ſtudioſè debet agere, ut promiſſa adimpleantur. Si Judex, ergo ex pacto datur actio. Quia Judex non impertit officium ſuum, niſi imploratus. Imploratur autem per actionem. Rationem hanc potiſſimum afferunt, quia in neglectione Pactorum verſetur periculum animæ. Quomodo? Quia Dominus Deus inter juramentum: & loquelam ſimplicem nullam vult eſſe diſtantiam. Et ſicut in juramento nullam convenit eſſe perfidiam, ita quoque in verbis noſtris nullum debet eſſe mendacium, quia utrumque & perjurium & mendacium divini judicii pœna damnatur. Quiſquis ergo verum loquitur jurat *c. juramentum. 22. q. 5.* Recentiores tamen quidam hanc ſententiam non probant, ut Berengarius Fernandus in commentariis *ad l. pacta conventa. ff. de contrah. empt. præfat. 2. num 7. & ſeqq. Item Cujac. ad cap. 2. ext. de ſponſ. & matrim. Conan lib. 5. cap. 4. & Ant. Contius. quibus & Giph. ad tit. ff. de pact. aſſentitur. Ex his Cujac.* Notandum, inquit, Peliam lavare, qui jure Pontificio putant naſci actioné ex pacto. Quo argumento quæſo? nempe, quia *in cap. 1. De pact.* ait: Pacta cuſtodiantur: pax ſervetur. Idem prætor ait in edicto, Pacta ſervabo & tamen conſtat, Prætorem ex pactis non dare actionem: exceptionem dare tantum: deniq; ea ſervare datis exceptionibus, non datis actionibus. Sed hæc reſponſio tamen ad *c. 3.* aptari non poteſt, ſi vera eſt ſententia ſummarii, quæ Judicis facit mentionem.

De rationibus ſic ſcribit Cujac: Cætera argumenta, quibus utuntur, ſolo ſilentio & contemptu digna ſunt v. g. Cum ſic colligunt: Qui pacta non ſervat, is facit contra naturam, contra fidem humaná, contra conſcientiam, contraq; officium boni viri, adeoq; mortaliter peccat. Unde & *Paul. Rom. 1.* inter capitalia ſcelera, damnationem æternam promerentia, ponit ἀσυνθέτους, id eſt, pactorum non ſervantes: Ergo ex pacto naſcitur obligatio & actio. Hîc fatendú quidem eſt antecedens, ut veriſſimum. Sed negandú quod inde infertur. Non enim de omnibus iis, quæ contra bonam fidem & officium boni viri fiunt, ſtatim actio judiciumq́; dari debet. Ut ecce, Ingrati animi crimen ſummum eſt, adeoq; maledicta cuncta in eum congeſſeris, quem ingratú dixeris, ex ſententia mimographi. Nec tamen in ingratum datur actio jure Romanorú, niſi fortè adverſus ingratú libertum, ut is in ſervitute revocetur. Dixi jure Rom. Ná apud Medos & Perſas erat in

 ingratos

ingratos actio, *teſte Xenoph. & Senec. Barnab. Briſſo.* qua de re alibi dictum. Notabiliter Seneca, ſi adverſus ingratos daretur actio, nulla fora ſuffectura eſſe dixit. Et idem *lib. 2. de ira c. 27.* anguſtam vocat innocentiam ad legem bonum eſſe: latiùs multò patere officiorum quàm Juris regulam: multa exigere ab homine pietatem, humanitatem, liberalitatem, juſtitiam, fidem, quæ extra publicas ſint tabulas. Quomodo *idem 3. de beneſic. cap. 21. & 5. cap. 21.* Quædam, inquit, ſunt, quæ leges nec jubent, nec vetant facere. Multa legem non habent, neque actionem. Atqui conſuetudo vitæ hujus lege omni valentior dat aditum. Nulla lex jubet, amicorum ſecreta non eloqui: nulla lex fidem etiam inimico præſtare. Quæ lex ad id præſtandum nos, quod alicui promiſimus, alligat? Querar tamen cum eo, qui arcanum ſermonem non continuerit, & fidem datam nec ſervatam, indignabor. Qui poſtremus locus valdè ad propoſitum noſtrum facit. Loquitur enim de actione ex pacto non danda. Et promittendi verbum quamvis aliàs commune pactis & ſtipulationibus, ibi de nudo pacto intelligendum eſt. Nam ſi quid ſtipulanti promiſerimus, certè neceſſitate præſtandi adſtringimur. *tot. tit. I. & ff. De V. O. Paul. 5. ſent. tit. 7. De oblig. in pr.* Sed quicquid ſit mores noſtri conformarunt ſeſe diſpoſitioni Juris Canonici potius quàm civilis, & hodiè actio ex pacto datur: atque ita eadem vis tribuitur pactis, quæ eſt ſtipulationum jure civili. Quod de Galliæ moribus teſtatur *Conan. lib. 1. comment. cap. 6. num. 14. de Germanis Zaſi. Weſenb. in ϖ. item in Addit. ad Ioan. Schneidevv. tit. I. De oblig. ſub rub. De pact. ad num. 9. & conſil. 38. num. 20. Giphan. & Fortun. Garz. ad d. c. 1. num. 10. 11. & ſeqq. De pact. & alii.* Ratio morum noſtrorum eſt, Quia ferè utimur hodiè tantum præceptis naturalibus aut Juriſgentium, ſolennibus & civilibus ſublatis: Naturæ autem humanæ nihil magis congruit, quàm fidem promiſſorum ſervare, ut fiat quod dictum eſt: ſive nudis verbis, id eſt, pacto nudo, ſive ſolennibus verbis, id eſt, ſtipulatione, ſive denique jurejurando fides data ſit. Nihil etiam intereſſe videtur, utrum ſerves pacta datis exceptionibus, an actionibus. Quamquam Jure Rom. verum ſit, facilius dari exceptionem quàm actionem: cum favorabilior ſit defenſio, quæ in exceptionibus, quàm impugnatio, quæ in actionibus verſatur. Unde regula Juris: cui damus actionem, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit: quæ tamen regula non poteſt converti, ut cui damus exceptionem, eidem & actionem competere dicendum ſit. Hæc igitur prima ſit ratio pro moribus noſtris, ſumpta ex ipſa naturali æquitate, quæ jubet pacta cuſtodiri, fidemque datam præſtari, quæ fides, *ut ait Cic.* continet vitam. Qua de re aliàs *in Inſt. ad tit. De except.* inſignem protuli locum *ex Simplicij comment. ad Enchirid. Epicteti.* Unde etiam aliarum gentium moribus jam olim Pacta obligationem & actionem produxerunt: quod his duobus argumentis clariſſimis cognoſcitur. Primum quia neque apud Græcorum neque apud aliam ullam nationem præter Romanos nota fuerit ſubtilis iſta differentia inter Pacta & ſtipulationes. Romanorum ſunt hæc tàm multa & diſtincta ab invicem vocabula rerum diverſarum ſignificativa: Paciſci, pactum, ſtipulari, ſtipulatio, ſpondere, ſponſio, ſponſor: ex ſponſo actio: promittere, promiſſio, promiſſor: conſtituere, conſtitutum, actio conſtitutæ pecuniæ: Recipere, Receptum, receptitia actio. Quorum

omnium

Digitized by Google

omnium verborum vis & poteſtas diligenter à Lexicographis explicatur. Græci uno ferè aut altero verbo utuntur, ut σύμφωνον, & συμφωνητὸς, & συνθήκη.

Deinde Quia Paulus ipſe hoc fateri videtur, cum ait *2. ſent.14. in pr.* Ex nudo pacto inter cives Romanos actio non naſcitur, qui locus ſuperioribus illis ſupra à me adductis addi debet, ut & iſte *ex §.ult. tit.22. cod. lib.* Omnibus pactis ſtipulatio ſubjici debet, ut ex ſtipulatu actio naſci poſſit. Q. d. Jure gentium & naturæ atque inter alias gentes juri Rom. non ſubjectas quin ex pactis naſcatur actio non nego. Similiter Impp. *in l.27. ſi tibi. C. de locat.* cum ajunt: Si conventio placiti fine ſtetit (id eſt, ſi ſtipulatio non intervenit) ex nudo pacto perſpicis actionem jure noſtro naſci non poſſe. q. d. ut maximè fortaſſe aliarum gentium jure naſcatur. Hoc igitur teneamus, Rectè fieri atque laudabiliter, quod hodiè moribus noſtris ex pacto, quamvis nudo, datur actio: dum tamen meminerimus Diſtinguere inter promiſſiones ſerias, meditatas & utiles & alias inconſideratas, temerarias atque inutiles: ut ex illis tantum, non etiam ex iſtis actionem demus: ut & *Giph. rectiſſimè admonet ad l.7. ff. de pact.*

CAPUT II.
DE PACTIS FVTVRAE SVCCESSIONIS ex Iure Civili.

SEquitur alia differentia ad Rubricam de pactis pertinens: (tametſi ut infra apparebit, etiam ad locum De Jurejurando referri poſſit, vel etiam de Dote) quæ ſumitur *ex c.2. quamvis. De pact. in 6.* Jure Civili Pacta de futura ſucceſſione ſive hereditate vel danda, vel adimenda, id eſt, tàm affirmativè quàm negativè concepta, ſive de ſuccedendo ſive de non ſuccedendo facta, improbantur. *l.61. ſtipulatio hoc modo concepta. ff. de V. O ubi late poſt alios Iaſ. & Zaſ.* Pactis, inquam, jure civili hereditas neque datur, neque adimitur. Idemque etiam de ſtipulationibus intelligendum eſt. *l.61. ſtipulatio. ff. de V.O. ubi latiſſ. Zaſ. l.4. ex eo. C. de inutil. ſtipul.* Ratio eſt, quia hujuſmodi pacta & ſtipulationes ſunt contra bonos mores. *dd.ll.* Sunt turpia pacta, turpes ejuſmodi ſtipulationes. Generaliter autem nullius ſunt momenti omnia, quæ vel in pacto vel in ſtipulatione deducuntur contra bonos mores. *d.l.4. l. generaliter 26. & l. ſeq. l. 123. ſi flagitii. ff. de V. O. §. quod turpi. I. de inut. ſtipul. l.5. mercalem. C de cond. ob turp. cauſ. l. ult. C. de pact.* Cur, inquies, pacta de ſuccedendo vel non ſuccedendo interpoſita ſunt contra bonos mores, cur ſunt turpia? I. Quia auferunt libertatem teſtamenti faciendi, quæ aliàs hominibus, ut quod maximè debetur. *l.1. C. de ſacroſ. Eccleſ. l.5. ff. teſt. quem. aper. l.4 ff de adim. leg. l.15. Pactum quod dotali Cod. de pact.* II. Quia inducunt improbabile votum captandæ mortis alterius, ſive metum inſidiandi alterius vitæ. *l.11. de fideicom. C. de tranſact.* Unde alibi JC. ait, improbè aliquem eſſe ſolicitum de hereditate viventis. Et Imp. *in l.ult. C. de pact.* Omnes hujuſmodi pactiones odioſas vocat, & plenas triſtiſſimi & periculoſiſſimi eventus, item acerbiſſimæ ſpei. Cujus enim quis ſucceſſionem, ut ex pacto ſibi omninò debitam certò ſperat, ejus morti & hereditati tanquam vultur cadaveri inhiabit. Sæpè etiam vitæ inſidias ſtruet, quo citiùs videlicet illo ex medio ſublato ad hereditatem perveniat.

Digitized by Google

niat. Dices, has rationes ceſſare in pacto negativè concepto, de non ſuccedendo. Ergo tale pactum videbatur probandum eſſe: quod tamen negatur *in l.3. pactum dotali. Cod. de collat.* negatur *in l. ult. ff. de ſuis & legit.* negatur denique *in l. 35. ſi quando §. 1. C. de inoff. teſt.* In omnibus his tribus locis pactum eſt de futura hereditate negativum: *v. g.* ut filia à patre nuptum elocata, dote certa accepta ſit contenta, nec ullum habeat regreſſum ad bona patris inteſtato mortui, nihil amplius ex hereditate patris ſperet: ſed omninò à reliqua ſucceſſione excluſa maneat: Item ut filius (idem juris in filia intellige) certis à patre acceptis rebus vel pecuniis non moveat querelam inoſſicioſi contra teſtamentum paternum. Sed hîc alia ſubeſt ratio, puta, I. Quia cautio privatorum non cenſetur legum auctoritate, *ut eleganter Papin. loquitur in l. ultim. De ſuis & legit.* ſive, *ut ibidem* eodem quidem ſenſu ſed minus eleganter legit Haloander, privatorum cautione legum auctoritati non noceri, hoc eſt, Jus publicum privatorum pactis mutari non poteſt, *ut idem Papin. in l.38. De pact. & concord. l.27. nec ex prætorio. ff. de Reg. Iur. l. 13. teſtandi. Cod. de teſtam.* Non cenſetur cautio privatorum auctoritate legum, nempe ut valeat adverſus leges ipſas & jura publica: ut rectè explicat. *Cujac. in ſuo Papin. lib.12. Reſp.* & exemplis eam regulam illuſtrat pluribus. *in lib.2. Quæſtion.* Addit etiam exceptionem. *in d. lib.12.* niſi leges permittant & approbent tales cautiones: Eo enim caſu Pacta juri præſtare dicuntur, *& eſt apud Cornific. ad Herennium* & ut vulgò dicunt, proviſio hominis facit ceſſare proviſionem legis. Sed quodnam eſt hic jus publicum, cui illa conventio, cautio, pactio derogare non poteſt? Nimirum leges de ſucceſſione liberorum æquali latæ. Harum legum auctoritate non cenſetur cautio privata, nempe pactum renuntians ſucceſſioni, vel inæqualem tribuens liberis ſucceſſionem. Dicet aliquis, Tamen teſtamento poſſe conſtitui inæqualem inter liberos ſucceſſionem. *l.8. parentibus. Cod. de inoff. teſt.* Reſp. fateor. Sed teſtamenti factio eſt juris publici, non privati, ut rurſus *idem Papin. in l. 3. ff. qui teſt. fac. poſſ.* Dependet enim ex illa antiquiſſima lege XII. Tabb. Paterfamil. uti ſuper pecunia tutelaque rei ſuæ legaſſit, ita jus eſto, de qua *ad Inſtit. dictum init. tit. de L. Falc.* Altera ratio eſt, Quia parum decere videtur, ut liberi hujuſmodi pactionibus adſtringantur, & in officio contineantur, cum potius meritis parentum erga ſe & naturali pietati hoc debeant, *l. 2. ff. de juſt. & jur.* Hanc rationem reddit *Paul. 4. ſent. 5. § 8. pactio. Imp. in d. l. 35. ſi quando §. 1. C. de inoff. teſt.* ejuſque auctorem laudat Papinianum Ac putat *Cujac. d. lib 12. Reſpon. Papin.* eam ſententiam, proximè ſubjectam fuiſſe *legi ult. De ſuis & legit. & à Tribon.* omiſſam, cui libenter aſſentior.

Ita inquam res habet jure civili, ut pactum de ſuccedendo vel non ſuccedendo improbetur, utpote contra bonos mores. Quod adeò verum eſt, ut eo jure ne quidem per jusjurandum adjectum confirmetur. *arg. l. 5. non dubium. Cod de ll. gloſſ. in d. l. 3. Cod. de collat.* Jusjurandum enim res ſacra eſt illa quidem, ſed qua ad impugnandas bonas leges abuti non debemus: ut præclarè ſcripſit Donell. in extremo comment. *l. ultim. Cod. de pact. & probavit etiam Giphan. in Diſp. de pact. num. 247.*

Cap.

CAPUT III.

INSIGNIS MUTATIO IURIS, QUAE CONTINETUR c. quamvis. De pact.

SEd hæc mutata ſunt & Jure Pontificio & moribus. Illo namque Jure pactum filiæ factum cum patre, nuptui eam tradente, ut dote contenta nullum ad bona paterna regreſſum haberet, quamvis lege civili improbatum, ſi tamen juramento, non vi nec dolo præſtito, firmatum fuerit, omninò ſervetur. *c. 2. quamvis. de pact. in 6.* Notandæ autem ſunt hæ conditiones jurisjurandi, ut ſponte præſtitum ſit, non vi, aut metu, aut dolo: ut eſt *in d. c. quamvis.* & repetuntur eædem etiam alibi in utroque jure. *l. 41. ſi quis major. in verb. nullo cogente imperio, ſed libero arbitrio & voluntate confecta. C. de tranſact. authen. ſacramenta puberum. C. ſi adverſus venditionem.* ubi ſacramenta inviolabiliter cuſtodiri, quæ ſponte facta ſunt quæ verò per vim vel juſtum metum (id eſt, qui in virum conſtantem cadit) extorta fuerint, nullius momenti eſſe jubentur. Quam conſtitutionem Frid. I. Guntherus hac paraphraſi illuſtravit *extremo lib 8. Ligur.*

Iuramenta metu mortiſvè dolore coacta,
Præcipuè ne quis multis nocitura loquendo
Publicet, aut in ſe crudeliter acta queratur,
Nullius meriti vel ponderis eſſe jubemus.

Ubi, quod obiter moneo, videtur legendum dolóve, pro dolore: ut & hoc. Non tamen ipſo jure nulla eſſe eiuſmodi juramenta, ſed ſi accedat abſolutio. Hæc enim omninò peti debet: *ut notat Gothofr ad d. auth ſacramenta.* cuius beneficij abſolutionis cum alibi fit mentio, tum *in c. 8. Si verò aliquis. extr. de jurejur.*

Rationes juris Pontificij ſunt iſtæ. 1. Quia ſi permitteretur cuique venire contra propriũ jusjurandum, ſub prætextu juris aperiretur via perjuriis. 2. Quia omne jusjurandum, quod non redundat in præjudicium ſive detrimentum alterius, nec vergit in diſpendium ſive interitum ſalutis æternæ, ſervandum eſt: quæ rationes redduntur *in d. c. quamvis. de pactis. in 6. in d. c. 8. Si verò aliquis. & c. 28. cum contingat. extr. de jurejur.* Exceptionem jam ante indicavi, Niſi ſcilicet jusjurandum vi & juſto metu dolóve extortum ſit. Tunc enim ab eo peti poteſt abſolutio: quâ impetratâ nullius eſt momenti, non eſt obligatorium, ſecundum regulam *cap. 58.* Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum. Et aliàs dicitur, id non debere eſſe vinculum iniquitatis. Tres enim comites habere debet juramentum, Veritatem, Judicium, & Juſtitiam, quæ ſi defuerint, nequaquam erit juramentum, ſed perjurium: *ut ad 4. cap. Hierem. notat. D. Hieron. & à Gratiano relatum eſt e veo in Ius Can c. 2. animadvertendum. 22. q. 2. ac repetitum ab Innoc. 3. in c. 26. etſi Chriſtus de jurejur. vid. & Ioan. Sichard. conſ matr. 9. & 10.*

Ex his apparet, quantam vim jurijurando attribuerint Pontifices; nempe tantam, ut ejus adjectione confirmari poſſint omnes & quilibet actus alioquin ipſo jure nulli, ut qui ſecundum legitimas ſanctiones obligatorii non erant *l. 5. in fin. C. de legib.* fiant obligatorii ſecundum Canones. Quod multis exemplis declarat *Nic. Everhard. in Topic. legal. loco à vi, energia ſeu efficacia juramen.* & de viribus

viribus juriſjurandi ſingularem librum ſcripſit Petruvius quidam, laudatus etiam Cujacio *ad c.9. & 28. extr. de jurejur.* Afferamus nos hîc tantum unum & alterum exemplum. Ut ecce, Jure civili *per l. Iuliam* interdicta eſt marito alienatio dotis, vel obligatio, non tantum invita, ſed etiam conſentiente muliere: ut expoſitum eſt, *ad initium tit. I. quib. al. licet. vel non.* Quid ergo ſi juret mulier inter conſentiendum, ſe non contraventuram ei obligationi vel alienationi à marito ſuo factæ? Ne tunc quidem tenebit alienatio vel hypotheca dotis. *arg. d. l. non dubium. C. de LL.* At Jure Pontificio mulier hujuſmodi juramentum ſervare debet: atque ita conſenſus ille, qui erat jure civili nullus, utpote contra legem Juliam marito accommodatus, jurisjurandi adjectione validatur: ut eſt in celebri illo *c. 28. cum contingat. de jurejurand.* quod habent quaſi pro emplaſtro omnium actuum Jure civili invalidorum & inutilium.

Aliud exemplum præbet mulier fidejubens pro alio, & quidem juratò. Conſtat Interceſſiones mulierum prohibitas eſſe Jure civili per SC. Velleian. Ex quo SCto exceptio mulieri competit, quæ ſe pro alio quoquo modo obligavit. A qua quidem exceptione ne tum quidem repellitur mulier, etiamſi juratò interceſſerit. *arg. ſæpius d. l. 5. C. de ll.* Sed Jure Pontificio aliud eſt receptum, ut juramentum eam exceptionem excludat & ceſſare faciat. *c. 9. ex reſcripto. extr. de jurejur. & ibi Cujac. Bartolum quoque allegat pro ea ſententia in l. Si quis pro eo. de fidejuſſor.* Ibi proponitur uxor cum ſuo marito fidem præſtitiſſe, id eſt, fidejuſſiſſe pro altero, & quidem juratò. Fidejuſſerat quoque ſimiliter pro eodem Abbas cujuſdam monaſterii, qui & obſides dederat ſive in obſtagio poſuerat monachos quoſdam ſuos: (quod pactum de obſtagio olim uſitatiſſimum, hodiè per conſtitutiones Imperii eſt prohibitum, *vid. Gail. 2. obſ. 45.*) Reſcribit Alex. 3. ſine diſcrimine, omnes conventionem, ſicut jurarunt, adimplere debere. Unde intelligimus etiam uxorem excutiendam eſſe, nec ei exceptionem SCti Velleiani, qua aliàs juvari poterat, quicquam profuturam, non aliam ob cauſam, quàm quod juratò fidejuſſiſſet.

CAPUT IV.

AN PACTUM LEGIS COMMISSORIAE IN PIGNORIBUS poſſit jurejurando confirmari. Explicatio c. pen. extr. de pignoribus.

QUæritur, an etiam lex commiſſoria, id eſt, ea pactio conventioq; pignoris, ut ſorte ad ſuam diem non ſolutâ, pignus commiſſum ſit creditori, ut cedat ejus dominio, an inquam, tale pactum pignoris (quod conſtat jure civili reprobatum eſſe à Conſtantino Magno *in l. ult. C. de pact. pign.*) poſſit adjectione juramenti confirmari. Id quidem vult *gl. in c. 9. de jurejur.* eamq; ſequuntur & Petruvius. Cujacius tamen putat eam ſententiam non tàm comprobari *per cap. pen. extr. de pignoribus,* quàm contrà potius improbari. Ego gl. ſententiam veriorem puto. Sed ut res tota intelligatur, ſpeciem facti breviter videamus, quæ multa continet memorabilia, eſtque hujuſmodi.

Piſa-

Piſanus quidam civis alteri cuidam Piſano domum ſuam obligarat pignori pro certa pecuniæ ſumma, *v.g. 250. libris.* Eiq; pignoris dationi adjecerat pactum legis commiſſoriæ, & quidem jurejurando confirmatum, videlicet niſi eam domum ita pignoratam intra certum tempus ſive terminum recolligeret, id eſt, lueret vel relueret, tum ſe creditorem non amplius ſuper eo moleſtaturum: id eſt, non amplius audiendum admittendumve eſſe, etiamſi poſt illum terminum paratus eſſet pecuniam ſolvere, & pignus luere. Poſtea debitor intra ſtatutum tempus voluit ſolvere: ideoq; certum nuntium, quem fidelem fore credebat, elegit, cui pecuniam annumeravit ac tradidit ad creditorem perferendam. Nuntius ille ſive tabellarius pecuniam accepit quidem quaſi perlaturus & redditurus creditori, ſed non pertulit, non reddidit, verum lucri injuſti cupiditate illectus eam intervertit: atque ita furtum ejus pecuniæ fecit, ut interdum ſolent tabellarii, de quorum furtis & infidelitate *vid. Dan. Moller. ſemeſt. 4. c. 2. & in reſponſ. Altorfin.* CIII. Deinde idem debitor, qui per eam numerationem liberatus nondum erat (quippe cum ſuo periculo elegiſſet tabellarium, cujus fidem ſequeretur, non autem tradidiſſet pecuniam alicui à creditore miſſo) ab Imp. captus & detentus fuit: atque ita altero & novo impedimento diſtentus eſt, quo minus ſolvere aut ſatisfacere creditori poſſet prout debebat ac volebat. Interea temporis effluxit Terminus ſolutioni præſtitutus qui fuerat. Tandem ab Imp. dimiſſus & priſtinæ libertati reſtitutus vult ſolvere pecuniam debitam & pignus luere. Creditor eam recipere recuſat: quod dicat, Terminum, intra quem ſolutio erat facienda, jam elapſum eſſe, proindeq; poſt eum non amplius admittendum eſſe debitorem. Obſtare namq; ipſi pactum & quidem juratum, ex quo naſcatur exceptio: ut notum *ex Inſt. tit. de except.*

Quærebatur, quid juris, an, inquam, pignus creditori commiſſum eſſet ob ſolutionem non ſua die factam, ſed elapſo demum ſtatuto termino oblatam: an verò debitor id etiam poſt terminum luere poſſet. Reſcripſit Pontifex Innocentius III. (qui fuit Juriſperitiſſimus, ut & *Cujac. fatetur in Recit. ad c. ult. ext. ut lite non conteſtat.*) Debitorem adhuc admittendum eſſe ad luitionem ſuæ domus, & creditorem cogendum reſignare illam ſibi oppigneratam domum, & quidem abſque mora: Debere eſſe contentum ſortis ſolutione, & penſiones ſive fructus pignoris, ſi qui ſunt, quos ex ea domo vel percepit, vel percipere potuit, in ſortem imputare, ita ut obligatio ſortis iis penſionibus vel fructibus minuatur. Antichreſis autem quamvis Jure civili permiſſa, tamen Jure Pont. æquè ac uſura eſt prohibita: ut infra ſuo loco explicabitur. Ratio decidendi eſt, 1. Quia pactum legis commiſſoriæ in pignoribus eſt improbatum. *l. ult. C de pact. pign.* ubi Conſtantinus M. eam legem, ut nimis aſperam & iniquam infirmari, omnemque ejus memoriam aboleri voluit. 2. Etiamſi quis dicere poſſet pro creditore contra debitorem, hoc caſu id pactum validum & ſervandum eſſe, propter jusjurandum ei adjectum, quod cum ſit de re familiari tantum, conſtat ſervari poſſe citra diſpendium æternæ ſalutis. *c. cum contingat. de jurejur. & c. quamvis de pact. in 6.* Tamen per debitorem non ſtetit quo minus id juramentum impleretur, id eſt, intra terminum & ſua die pecunia ſoluta domus oppignerata lueretur. Cum igitur omnia

fecerit quantam in ipſo fuit, ut jurijurando ſuo ſatisfaceret, duplici autem impedimento detentus fuerit. 1. Perfidia & furto nuntii. 2. Captivitate, nihil eſt, quod ipſi potuerit imputari: ideoq; pro eo habetur ac ſi jusjurandum impleviſſet, *arg cap.66. Quum non ſtat.de R.I. in 6.* Proindeq; nullam cauſam habuit creditor recuſandi reſtitutionem pignoris.

Ex his quæ dixi jam ſatis intelliguntur, 1. Caſus illius capitoli. 2. Deciſio. 3. Rationes ejus deciſionis. 4. Rationes dubitandi, & quomodo ad eas reſpondendum ſit. Denique & hoc inde ſatis intelligimus, aliud dicendum eſſe, Si debitor, qui pactum commiſſorium jurejurando confirmavit, non ita fuerit impeditus in ſolutione, ſed per eum ſteterit quò minus impleret jusjurandum. Tunc enim jusjurandum ipſi omninò obſtaturum, nec poſt terminū elapſum amplius audiri debere, etiamſi voluerit ſolvere. Si inquam is qui juravit, ſe intra certum tempus ſoluturum, & ni ſolvat, pignus commiſſum fore creditori promiſit, laboravit ſolvere, & ut ſolveret fecit quantum in ſe erat, ideoq; etiam poſt tempus illud ad luitionem pignoris admittitur: Ergò à contrario ſenſu, ſi non laboravit ſolvere, ſi nullum allegare poſſit impedimentum legitimum, non admittetur amplius poſt terminum elapſum, ſed exceptione jurisjurandi repelletur. In ſumma, hinc apparet veram eſſe gl. & aliorum ſententiam, Quod videlicet pactum legis cōmiſſoriæ poſſit jurejurando confirmari, idq; non rectè negari à Cujacio *ad d cap.9.& 28.de jurejur.* Nam ſi omne jusjurandum Juris Canonici eſt ſervandum quod poteſt abſq; diſpendio ſalutis æternæ & præjudicio alterius (quam regulam non negat Cujac.) quidni etiam hoc jusjurandum quod legi commiſſoriæ adjicitur, ſervari debet, quantumvis alioquin contra leges ſit.

Magna igitur vis eſt jurisjurandi Pontificio jure ad confirmandam inutilem renuntiationem, conſenſionem in alienationem dotis, interceſſionem ſeu fidejuſſionem, deniquè & legem commiſſoriam: omninoque major vis juratæ, quàm ſimplicis ac nudæ fidei: quod tamen quo pacto conveniat cum eo quod aliàs decreta Pontificalia nullum faciunt diſcrimen inter fidem & jusjurandum, ut ex aliquot cc. notavit Cujac *ad c.2 & c 5.& c 12 extr.de ſponſ & matr.* equidē vix intelligo: niſi fortè dicamus, in quibuſdam duntaxat caſibus id verum eſſe, non in omnibus. Dicat hìc aliquis, Etiam Jure civili jurisjurandi eandem vim eſſe videri, *arg.d l. ſi quis major.C.de tranſact.* Sed reſpondet Cujac. Quod ex ea lege major 25. annis non poteſt contravenire ſuo pacto vel tranſactioni jurejurando confirmatæ, id non tàm facere jusjurandum pacto ſubjectum, quàm pœnam, cujus metu à contraventione quis deterreatur. Multiplex enim & ſatis gravis pœna ibi in violatores ſancitur: adeò ut ea lex multis nimis dura viſa ſit, in quibus eſt & *Giphan.in diſp.de pact.Th.225.& in comment. ad cam. legem.*

CAPUT V.

EXCEPTIONES QUAEDAM SIVE LIMITATIONES *ad c. quamvis. de pact. in 6.*

ADjiciam hoc loco aliquot limitationes ſive Exceptiones, quæ ad ſuperiorem illam differentiam *ex l.3.C. de collat. itemq; ex l. ult.de ſuis & legit & c.2. quamvis.*

quamvis de pact. in 6. ſumptam referendæ ſunt. 1. igitur hæc ſit, Niſi filia per renuntiationem juratam hereditatis paternæ fuerit enormiſſimè læſa in dote, quam accepit nimis exiguam. Quod ut intelligatur, ſciendum eſt, ad officium patris ſpectare ut dotet filiam pro modo facultatum ſuarum, ſive ut loquuntur Dd. congruè: & dotem ſuccedere loco legitimæ, eiq́; reſpondere debere, ſuccedere etiam loco alimentorum. Sicut ergo in legitima ſua non debet fraudari filia: ita neque in dote enormiter lædenda eſt. Læderetur autem, ſi dos ne legitimam quidem portionem ipſi ab inteſtato jure naturæ debitam æquaret. Finge, Filia nubens renuntiat opulentiſſimæ & ampliſſimæ hereditati paternæ, & pro dote exiguum neſcio quid accipit: Hoc caſu ob iſtam iniquitatem enormiſſimæ læſionis poteſt abſolutionem ab illo juramento & reſtitutionem in integrum petere. De hac inſigni exceptione, cujus ratio eſt, ne jusjurandum ſit vinculum iniquitatis. *vid. Phil. Fr. Ancharan. ad d. c quamvis. de pact. in 6. Panorm. in cap. cum contingat. n. 23. de jurejur. Rob. Marant. diſp. 10. n. 25. Phil Decius. in l cum te. C. de tranſact c. præſentia. n. 36. de probat. & conſ. 180. n. 7. & conſ. ſeq. num. 2. & 3. conſ. 183. Did. Covarruv. 2. variar. reſol. c. 4. n. 5. Fern. Vaſq. Illuſtr. quæſt. 1. c 2. num. 17. Mynſ. 5. obſ. 59. & ſeq. And. Gail. 2. obſ. 147. n. 10. vid. etiam Io. Emeric. à Rosbach. Miſc. q 2 per tot.* Notandum hîc enormem læſionem continere dolum in re ipſa, qui idem operatur cum dolo ex propoſito, & æquè ob illum atque ob iſtum reſcinditur contractus. *Bart. ad l. quod Nerva. Depoſ. Matth. de Afflict. deciſ. 102 Gail. 2. obſ. 47.* Quod ſi filia renuntians planè nullam acceperit dotem, ne quidem opus eſt ei ulla reſtitutione, cum ipſo jure nulla ſit nec teneat renuntiatio, *ut docet Gail. d. loc. n. 13. &* 14.

II. Exceptio eſt, Niſi pater, cujus hereditati filia renuntiavit, moriatur relicto teſtamento, in quo à patre heres inſtituta ſit. Hoc enim caſu, non obſtante ſua renuntiatione, quantumvis jurata, ſuccedere poterit patri: quia renuntiatio ejus tantum ſpectavit cauſam inteſtati: ſi inquam ab inteſtato moreretur pater, tunc filiam ad ejus bona nullum habituram regreſſum.

Præterea pater inſtituendo filiam videtur ei jusjurandum illud remiſiſſe. Certè jusjurandum filia patri non ligavit manus, quin poſſit in eam aliquid ex ſuis bonis per ultimam voluntatem conferre: nec filia ejuravit, ſe tale quid in ſe collatum à patre non accepturam. Renuntiatio autem quælibet eſt ſtricti juris, & ut tranſactio non poteſt extendi ad id, de quo non eſt actum vel cogitatum, ita nec ipſa renuntiatio: non etiam debet porrigi ad jus poſtea ſuperveniens. De hac ſecunda Exceptione *vid. Myrſ. 2. obſ 7. Sichard. ad l. 3 pactum dotali. n. 7. C. de collat. poſt Bald. in ead. l. 3. verſ Quæro. 3. & ad l. ult. C. de pact. Marant. d. diſp. 10. n. 5. Ant. Nattam. in d. c. quamvis.*

III. Niſi illi, quorum in gratiam & favorem facta eſt renuntiatio, puta fratres vel agnati, non amplius ſint ſuperſtites. Tunc enim filiæ nihil obſtabit jurata renuntiatio quo minus ſuccedat. Et meritò, tùm quia renuntiatio cenſetur facta rebus ſic ſtantibus. Ceſſante verò cauſa renuntiationis, ipſa quoque cum ſuo effectu meritò ceſſat: tùm quia renuntiatio, utpote odioſa & ſtricti juris non debet produci ad alias perſonas, & caſus alios, qui in ea non ſunt expreſſi. De hac tertia exceptione, ejuſq́, rationibus *vid. Marant & Baldum dictis locis. &*

M 2 *Alexand.*

Alexand. in l. ſtipulatio hoc modo concepta. de V. O. & in conſ. 29. vol. 3. & Caſtrenſ. in d. l. 3. verſ. item quæritur. C. de collat. Sichard. ad eandem leg. n. 10.

Atque hæc hactenus de Exceptionibus ad ſententiam *C. quamvis. de pact. in 6.* ubi etiam in ipſo textu plures continentur, de quibus ſupra diximus, puta, niſi jusjurandum filiæ extortum ſit vi, aut metu, vel dolo. *vid. etiam Mich. Graſſ. lib. ſent. §. ſucceſſio ab inteſtato. quæſt. 10. num 4. ſeqq.*

Caput VI.
De Stipulatione.

Deinceps de ſtipulatione breviſſimè aliquam differentiam videamus. Jure civili certum & indubitatum eſt, Alteri extraneo ſtipulari neminem poſſe. *l. 38. ſtipulatio iſta. §. alteri. ff. de V. O. §. Si quis alii. & §. alteri. Inſt. de inut. ſtip. l. 3. C. eod.* Ubi & ratio expoſita eſt, Quia ut alteri detur aut fiat, nihil intereſt ſtipulatoris. Debet autem omnino ejus intereſſe, cum ad id inventæ ſint ſtipulationes vel obligationes, ut unuſquiſque ſibi acquirat quod ſua intereſt. Exceptiones hujus regulæ videantur in comment. Inſtit. Jure autem Pontificio valere volunt ſtipulationem alteri factam, maximè ſi acceſſerit jusjurandum. Allegant ad hanc rem *c. 9. quoties cordis oculus. 1. q. 7. & c. 12. juramenti hæc cauſa eſt. 22. q. 5. Ita præter alios Io. Bapt. à S. Blaſio in Tr. contradict. Iuris can. cum Iur. civil. n. 4.* Sed ea capitula nihil ad rem videntur facere, utpote in quibus nullum verbum habeatur de ſtipulatione alteri facta vel abſque vel cum juramento. Nam *in d. c. 9. quoties.* nihil aliud continetur, niſi formula jurisjurandi, quod præſtare cogitur is, qui à ſchiſmate redit ad communionem & unitatem S. Eccleſiæ Catholicæ, in qua deinceps ſe permanſurum promittit. Quia tamen is, qui ita jurat, promittit non tantum Pontifici, ſed etiam in ipſius perſona S. Petro Apoſtolo, cujus ipſum vices gerere volunt, idem promittit etiam ſucceſſoribus Pontificis, hinc credo occaſionem ſumpſerunt fabricandæ hujus differentiæ, quaſi jure Can. liceat alteri ſtipulari, quod non licet jure civili. Sed cum jure civili tradita regula loquatur de viventibus, quod illis non acquiratur obligatio per alterum, & mortuorum nullam habeat rationem, ut qui huic ſeculo penitus renuntiarint, nec poſſint vel per ſe, vel per alios quicquam amplius acquirere vel agere, ridiculum valde & alienum eſt afferre hoc in argumentum, quod tali jurejurando & promiſſione S. Petro per Pontificem, ut ſucceſſorem ejus, acquiratur aliqua obligatio: Et ab hujuſmodi particulari, quod tamen adhuc valdè eſt dubium, inferre velle univerſale, Quaſi quælibet ſtipulatio alteri cuilibet facta Jure canonico valeat, dummodo ei jusjurandum accedat.

De ſucceſſoribus autem, quod ibidem affertur, nihil novi continet, nec à Jure civili quicquam diſcrepat. Nam & Jure civili quiſque ſibi & heredibus ſuis tàm ſtipulando quam paciſcendo cado cavere & conſulere poteſt. *l. 23. avus. de pact. d. l. 38 ſtipulatio iſta. §. ſi quis ita. l. 137. continuus. §. ult. ff. de V. O.* Heres enim eadem cum defuncto perſona eſſe intelligitur. *l nihil aliud. ff. de V. S. hereditas. de R. I.* quanquam conjunctim quidem ſibi & heredi ſuo dari licet ſtipulari: non autem heredi ſoli: de quo alibi latius.

Fit

Digitized by Google

Fit etiam in eodem Can. mentio Notarii, cui chartulam profeſſionis & promiſſionis ſuæ dictarit is, qui ſacramentum præſtitit. De quo Notario etiam multa fabulantur Interpretes, quaſi per eum quoque alteri poſſit obligatio acacquiri ſtipulando, *arg. l. 1. §. Si magiſtratus. & §. exigere. ff. de magiſtr. conven. l. 2. 3. & 4. ff. rem pup. ſalv. for.* Sed iis legibus peſſimè abutuntur. 1. Dum quod ibi de ſervo publico, id eſt, apparitore dicitur, id ad Notarium ſeu tabellionem transferunt, qui tamen non eſt ſervus, ſed liber homo eſſe debet. 2. Dum id quod ſpeciali favore pupilli, & non niſi certis conditionibus permittitur, ut pro pupillo vel abſente, vel infante, vel ſervum nullum habente permittitur pro eo ſtipulari ſervo publico, id, inquam, jus ſingulare & quaſi privilegium pupillare trahunt ad conſequentiam, & ad quodvis hominum genus producunt; quod fieri non debet, *l. 14. quod verò. de ll.*

Hæc de priore illo c. in quo fundamentum nimis lubricum & infirmum collocant ſuæ ſententiæ. In altero c. hoc tantum dicitur, Quod DEUS inter juramentum & loquelam noſtram nullam velit eſſe diſtantiam: & proinde nec in juramento noſtro, ullam perfidiam, nec in verbis ullum mendacium eſſe debere: utrumque divini judicii pœna damnari, & perjurium & mendacium. Qui verum loquitur jurare, & qui jurat, eum ad hoc jurare ut verum loquatur. Sed hinc non ſequitur, ſtipulationem juratam alteri factam ei acquirere obligationem: id quod probandum erat. Fateor equidem, eum, qui juravit Sempronio ſtipulanti, ſe daturum Titio, ſi non det fieri perjurum. Sed quæſtionis eſt, utrum Titius, vel ipſe etiam Sempronius agere poſſit ex hujuſmodi ſtipulatione, ut per quam vel huic, vel illi quæſita ſit obligatio, id quod negamus: tametſi ita jurantem Deo obligari non eamus inficias. Verum aliud eſt loqui de obligatione hominis ad Deum ſive religione, quæ à religandis mentibus dicta eſt ſecundum Lactantium, aliud eſt dicere de obligatione inter homines contrahenda: & de actione, quæ inde competat in judicio humano, quæ noſtra eſt quæſtio.

CAPUT VII.

DE ANTICHRESI IURE CIVILI PERMISSA: Canonico prohibita.

QUoniam paulò ante de pactis diximus, & inter cætera quidem etiam de pacto legis commiſſoriæ Jure civili prohibito, quod tamen Jure Can. adjectione jurisjurandi aliquando poſſit convalidari: non inconveniens eſt, hoc loco aliquid attingere etiam de alio quodam pacto pignorum, Jure quidem civili probato & juſto: Jure autem Can. prohibito atque illicito. Ea eſt quæ Antichreſis dicitur *in l. 33. ſi pecuniam ff. de pign. act. & in l. 11. Si ii qui bona. §. 1. ff. de pign. & hypoth. l. 6. Si ſervus. C. quod cum eo qui in al. pot.* Ex quibus locis intelligimus, ſpeciem quandam pignoris eſſe antichreſin: proindeq; ſicut pignoratitia actio datur ad repetendum pignus, ita etiam ad repetendam antichreſin eandem competere. Contrahitur autem Antichreſis ad hunc modum, quando debitor creditori prædium aliquod opponit pignori, cum eoq; pactum facit, ut donec pecunia reddatur, creditori re uti & inde fructus percipere, ſuoſq; facere ſive lucrari liceat in vi-

cem uſurarum, quas alioquin debitor creditori præſtare debuiſſet. Si tale pactum non accedat, non licet creditori pignore uti, nec fructus lucratur, ſed in ſortem eos imputare cogitur, ita ut ſortis obligationem minuant, & quantum ex re pignerata fructuum percepit, tantum ei in ſolutione ſortis detrahatur atque decedat, tantoq; minus ipſi ſolvatur. *l. 1. 2. & 3. C. de pign. act.* Cum ergo pacto conſtituatur antichreſis, manifeſtum eſt quantum diſtet ab uſura. Hæc enim non pactis, ſed ſtipulatione debetur, in ſtrictis inquam contractibus. *l. 3. Cod. de uſur.* Illa verò etiam ex nudo pacto valet *l. 14. C. eod. Mynſ. ing. 6. obſ. 71. num. 4.* Ut jam plures differentias, quæ ſunt inter Antichreſin & uſuram ſciens, & ad alia feſtinans, omittam, quas poſt *Mynſ. d. loco, & Cujac. ac Balduin. annotavit Ioan. Borchold. in tr. de uſur. c. 6. num. 4. & ſeqq.* Inter quas illa non eſt poſtrema, quod uſuris certus eſt præſtitutus modus, quem excedere non poſſunt. *l. 26. eos C. de uſur.* Sed antichreſis non eſt ad legitimum ac certum illum modum adſtricta. *l. 17. C. eod. tit.* Cujus ratio eſt incertus fructuum eventus. Non enim quovis anno æquè feliciter & copioſè proveniunt. Et ſive multum, ſive parum ſit in fructibus, cogitur iis contentus eſſe creditor. Accedit etiam incerta & varia æſtimatio fructuum ex priore cauſa dependens, *de qua Plin. lib. 37. c. ult. & dixi ad §. Si quis agens. verſ. Re. Inſt. de act.* In tacita tamen antichreſi volunt legitimum modum uſurarum obſervari, nec excedi debere. *argum. l. cum debitor ff. in quib. cauſ. pign. vel hypoth. tac. contrah.* Duplicem enim faciunt antichreſin, Expreſſam & tacitam: Sicut & pactum aliud eſt expreſſum, aliud tacitum. Ita *Borchold. d. c. 6. de uſur. num. 3. poſt magiſtrum ſuum Cujacium 8. obſervat. 17. quam ſententiam D. Gothofr. quoque probat in Not. ad l. 8. ff. in quibus cauſis pign. tac. contrah.* Hotomannus tamen contendit, nullam eſſe tacitam antichreſin, ideoq; mutat lectionem *d. l. 8. cum debitor. ff. in quib. cauſ. pign. vel hypoth. tac. contrah.* Negationem videlicet addens verbis Pauli: cum debitor gratuita pecunia non utitur: ubi omnes libri aliàs habent, cum debitor gratuita pecunia utatur. Ita, inquam, *Hotom. 1. obſervat. 4.* qui de eadem ſua emendatione etiam gloriatur *in comment. ad tit. ff. de uſur.* ubi de modo uſurarum agit. Sed illam mutationem reprehendit *Iohan. Robert. Recept. lect.* cui potius aſſentiendũ puto: ut nec illud probare poſſum, quod eò trahit Hotomannus etiam Papinianum *in l. 1. §. pacto ff. de pignor.* cum verius ſit, ibi de antichreſi non agi, ut rectè docet Cujac *in lib. XI. reſponſ. Papin.* Alia quoque affertur diviſio Antichreſeως *à Molin. in Tract. de commerc. & uſuris, & repetitur ab Ard. Gail. libr. 2. obſ. 3. nu. 3.* ut ſcilicet alia ſit antichreſis temporaria, alia perpetua: quarum illa valeat, hæc verò in præjudicium debitoris non valeat. Temporariam autem vocant, quæ certum habet ſibi præfixum tempus, quo elapſo deſinat. Perpetuam, quæ conceditur eo uſque donec ſors fuerit perſoluta. Hæc tamen diviſio in Jure civili non extat: Quo jure quælibet Antichreſis valet, cum videlicet creditori datur mutuus uſus prædii vice pecuniæ. Sic enim definit *Donel. in Tract. de uſur. c. 1. de pign. c. 13.* ſive ea conventio, ut creditor pecuniæ numeratæ pro uſuris fructus rei ſibi pigneratæ percipiat, *ut Hotom. ad tit. de uſuris.* Quod valeat Antichreſis Jure civili perſpicuũ fit *ex his ll. l. 14. Si ea pactione. l. Si ea lege. 17. C. de uſuris. l. 0. Si ſervus. C. quod cum eo. l. 11. Si is qui. §. 1. ff. de pign. & hypoth. l. 33. Si pecuniam. ff. de pign. act.*

Sed

Sed Jure Canonico Antichreſis eſt prohibita. *c.7. ad noſtram. de Iurejur. & ibi Cujac. extr. de Iurejur. c.1. & c.8. conqueſtus. de uſur. Ant. Teſſaur. deciſ.78. Petr. Coſtal. in Adverſ. Pand. ad l.33. Si pecun. ff. de pigneratit. action. Adde eundem etiam ad ſuperiorem quæſtionem de lege commiſſoria per juſiurandum confirmanda, qui probat ſententiam Guid. Pap. q.6. in deciſ. ad l.34. Titius. de pign. act.*

Ratio eſt, Quia talis conventio proximè accedit ad uſurarum conventionem, ſive, ut vulgò loquuntur, uſurariam pravitatem ſapit. Uſuræ autem ſunt prohibitæ jure Can. ut infra dicetur. Proindeq; quicquid creditor ultra ſortem accepit ex pignore, cogitur unà cum ipſo pignore reſtituere debitori: vel ſi id, quod percepit, nondum æquat ſortem, ejus tantum quod reſtat habet petitionem dd. cc. Semper autem deducuntur prius expenſæ, *ut d. c.1. & c.8. de uſur. & in d. cap.7 de jurejur. dicitur rectiſſimè.* Nam fructus non intelliguntur, niſi deductis impenſis. Notandum tamen, quod omnia illa loca Juris Canonici, quæ adduxi, loquantur de Clericis aut Monachis, & his interdicunt antichreſi, non etiam de Laicis. Ex quo dicendum videtur, in Laicis manere diſpoſitionem Juris Civilis: quæ quidem etiam in Imperio retinetur, *ut videre licet apud Mynſ. & Gail. dictis locis.* Et ſecundum hæc reſpondimus etiam aliquando conſulentibus, *ut eſt videre in Reſp. collegij noſtri.4 p.21. Quibus addo eundem Mynſing. Decad.13. Reſp 2. num.16. 17. & 99.* ubi etiam allegat rationem hujus juris, quod non ſit iniquum propter incertitudinem fructuū, quæ facit quaſi quoddam pretii periculum. *Addo etiam Ant. Fab. de error pragm. dec.9. err.5.* ubi de Antichreſi tacita & fructibus pignoris in ſortem imputandis; ſententiam Cujacii contra Hotom. pluribus explicat. Vellem tamen convicio abſtinuiſſet in optimum virum Hotom. qui aliter & de Juriſpr. & de opt. literis meritus eſt, quàm ut tali dignus ſit elogio, Quod eo in legibus & interpretandis & emendandis non ſit infelicior alter. Fuerit ſanè (ſicut fuit) Jacobus Cujacius is, cujus eruditioni debeamus difficiliorū Juris locorum interpretationes pleraſque certiſſimas multò etiam felicius & præclarius ſe geſſerit in enodando vero ſenſu. *d. l.8.* Non tamen ob id ſua laude fraudandus eſt Hotom. tametſi in quibuſdam legibus ſit hallucinatus. Quiſque enim ſine alterius detractione laudari debet. Plura de Antichreſi videri poſſunt *apud Borchold. Tr. de uſur. c.6.* Unus etiam notandus ſingularis caſus Juris Canonici, quem etiam obſervat *Covarruv.3. var. reſolut. c.1 num 3. ex. c.16. ſalubriter. de uſur.* ubi gener, qui à ſocero pro dote accepit pignori aliquas poſſeſſiones, id eſt, prædia, non cogitur fructus perceptos imputare in ſortem, ſed lucratur. Cujus rei ratio ibidem ab Innocent. III. additur: Quia ſæpè fructus dotis non ſufficiunt ad onera matrimonii ſupportanda, quam rationem examinat *Covarr. d. loco.*

CAPUT VIII.
DE VOTO FILIIFAMILIAS.

Videamus deinceps alias differentias ſuperioribus vicinas. Jure civili filiusf. ex voto ſuo non obligatur quod ſine auctoritate patris fecit. ut nec ſervus ſi quid voverit ſine auctoritate domini ſui. *l.2. §.1. voto. ff. de pollicit.* Ratio eſt, quia voventem oportet eſſe ſui juris: & votum omne ſi non alienationem altem obliga-

obligationem quandam inducit, quæ non eſt permittenda filiofam. aut ſervo abſque conſenſu patris aut domini. Jure autem Canonico volunt votum etiam filiifam. & quidem etiam pueri, dummodo ſit doli capax, valere & efficax eſſe ad eum obligandum ſine conſenſu patris, *arg. c. 1. extr. de delict. pueror. Ioan. Oldendorp. collat. Iur. civil. & Pontific. in verb. Pater. & filius. Ioan. Emeric. à Rosbach. in Tr. de comparatione Iuris civilis & Pontificii.* Fateor tamen me textum illius Juris Pontificii qui diſertè hoc diceret, nondum reperiſſe. Nam quod aliqui etiam allegant ad hanc rem *c. 14. mulier. 32. q. 2. ubi verba Moyſis referuntur ex 30. cap. Numerorum,* nihil ibi de filiofam. vovente agitur, ſed tantum de filia, quæ in ætate puellari adhuc conſtituta & in domo patris ſui eſt. Ea ſi quid voverit non aliter inde obligabitur, quàm ſi pater ſciens votum non contradixerit, id quod facere poteſt. Quia tamen in iis verbis, quæ præcedunt *in d. c. 30. Num.* votum viri indiſtinctè ſervari jubetur, non attento, utrum quis ſit filiusfam. an paterf. aut ſui juris, ex eo fortaſſe hoc ſumpſerunt, votum quoque filiifam. ratum eſſe debere, ſive id ſciat pater, ſive ignoret: & ſive contradicat ſciens, ſive taceat & conſentiat. Et eſt ratio differentiæ inter votum à viro, ſeu maſculo factum, & id, quod mulier facit, quia imbecillitas & fragilitas ſequioris ſexus mulieris obligationi meritò obſtare debere viſa ſit. In maſculo autem ſive meliore ſexu admittit eandem obligationem firmius judicium. Hîc tamen obſervandum, quod à voto in tenera ætate potius quadam facilitate, quam ex arbitrio diſcretionis promiſſo, abſolutio impetrari poſſit. *c. 2. extr. de voto & voti redempt.*

CAPUT IX.

DE CONTRACTIBVS BONAE FIDEI & ſtricti juris.

Alia differentia eſt, Quod Jure civili inter contractus bonæ fidei & ſtricti Juris diſtinguitur, ut bonæ fidei quidem contractus, ſi illis cauſam dederit dolus, ipſo jure ſint nulli & dolo vitientur: ſtricti autem juris non vitientur interveniente dolo initiali, ſed valeant ipſo jure: veruntamen infirmentur ac reſcindantur oppoſita exceptione doli mali. *l. & eleganter. ff. de dol. mal. l. ſi quis cum aliter de V. O. l. dolo. C. de inut. ſtip. Iaſ. Zaſ. & alii ad §. actionum. de act.* Ratio hujus differentiæ eſt, Quia major & quaſi exuberans bona fides requiritur in illo genere contractus, quod bonæ fidei vocatur, præ altero genere contractuum ſtricti juris. Sed Jure Canonico ab utroque genere æquè excluditur ac removetur dolus, adeò ut ſive bonæ fidei ſive ſtrictus ſit contractus, pariter ipſo jure nullus ſit ac vitietur dolo malo, etiamſi non opponatur exceptio. *Bald. in c. 1. ext. de plus pet. Iaſ. in d. §. actionum. n. 36.* Contra eos tamen, qui putant Jure Pontificio & inter Chriſtianos omnes contractus bonæ fidei cenſendos eſſe & nullos ſtricti juris *(ut & Ioan. Imbert. in Enchirid. Iur. Gallic.) eleganter diſputat Ant. Fab. dec. 9. de error. pragm. error. 1.* ad quem remiſiſſe ſufficiat: ubi concludit, aut differentiam illam, quæ fuit olim inter judicia bonæ fidei & ſtricti juris adhuc ſupereſſe, aut totam Juriſprudentiam perverti neceſſe eſſe. Nec ex eo quod Impp. dicunt *in l. 4. C. de obl. & act.* bonam fidem in contractibus conſiderari æquum eſſe, rectè colligi vulgò, quod omnes contra-

Digitized by Google

contractus ſint bonæ fidei. Ac probo quod clariſſimus Doctor meus *Hub. Giph. in comment. ad illam l. 4.* admonuit, eam propriè ad bonæ fidei contractus pertinere. Videatur etiam *Ant. Maſſa Galleſius IC. Rom. in tract. de judiciis bonæ fidei. nu. 12.* ubi Baldi & ſequacium opinionem multis refellit ut & inſulſam & ineptam. Sic enim vocat.

CAPUT X.

DECEPTIO IN CONTRACTIBUS, AN ET QUAtenus Iure civili permittatur.

ALia differentia ſecundum quoſdam eſt, Quod Jure civili quidem contrahentibus permiſſum ſit ſe invicem decipere. *l. 16. in cauſæ. §. idem Pompon. ff. de minor. l. 22. Item ſi pretio. §. ult. ff. locati.* Jure autem Canonico non item, quia hoc jure in univerſum dolus excludatur ab omnibus contractibus, & dolus ſuus nemini patrocinari debeat. *l. Si in fraudem. C. de ll. l. 1. l. ex dolo. ff. de dol. mal. c. 5. ad noſtram. de empt. & vendit.* Sed hæc differentia vera non eſt, ut mox intelligetur. Et quod de deceptione in contractibus Jure civili permiſſa dicitur, non universè verum eſt, & cavendus eſt magnoperè dictarum legum abuſus. Non enim hoc volunt *ibi* Ulp. & Paulus JCti æquitatis ſtudioſiſſimi ac ſervantiſſimi, Jus civile permittere contrahentibus dolos & fraudes, quibus potius ubique maximè reſiſtit, & occurrit quantum poteſt. *argum. totius tit. de dol. mal. & tit. ff. quæ in fraud. cred. junct. tit. Cod. de revoc. his quæ in fraud. cred. & tit. Si quid in fraud. patron. §. in fraudem. Inſtit. Qui & quib. ex cauſ. man. non poſſ. §. item Si quis in fraudem. Inſtit. de act. Item argum. tit. Quod quiſque juris. & tit. de alien. jud. mut. cauſ. facta.* cum ſimilibus locis, ut minimè ſit credendum, tantoperè hac in re Jus civile à ſeipſo diſſidere, ut fraudem ac dolum, quem alibi improbat ac excludit, in duobus illis locis probare voluerit, quaſi ſui ipſius oblitum. Sed vera illorum locorum ſententia, quæ ex ipſiſmet legibus colligitur manifeſtò, hæc eſt: quod naturaliter liceat & conceſſum ſit contrahentibus, ſe circumvenire, & ſe invicem circumſcribere in pretio emptionis & venditionis, in mercede locationis & conductionis, ut quis quod pluris ſit, minoris emat vel conducat, quod minoris ſit, pluris vendat vel locet. Hæc inquam circumventio & hæc circumſcriptio contrahentibus eſt conceſſa, quæ non eſt tamen fraus, vel deceptio, vel dolus, ſed eſt induſtria ac ſolertia ac vigilantia in rebus ſuis & commodis abſque alterius incommodo ac detrimento augendis & amplificandis: Eſtq; conceſſa ac licita Naturaliter, hoc eſt, Jure gentiũ, ut interpretatur Gothofred. Poſſumus etiam naturaliter accipere, pro non repugnante naturali æquitati: cum unicuiq; liceat, ſuam conditionem facere meliorem abſq; alterius injuria. Vel deniq; Naturaliter licet interpretari cum Cujacio *ad 34. Pauli ad Edict.* de natura horum contractuum Emptionis & Locationis, quod eſt ἐμπορικῶς *Novell. 97.* come il ſe fait entre marchands. Natura ea eſt, quod pretium rei non eſt poſitum quaſi in principio mathematico, non eſt ſemper certum & uniuſmodi, ſed varium & inſtabile, pro regionibus, pro copia vel paucitate rerum (*Unde eleganter Hier.* Pulegium apud Indos pipere pretioſius eſt) pro neceſſitate & indigentia cujuſque vel parva, vel ma-

Digitized by Google

gna, vel nulla (Unde vetus, Aſſe carum eſt, quod non eſt utile vel neceſſarium. Et præceptum Oeconomicum eſt, Emas non quod opus eſt, ſed quod neceſſe eſt.) Sic in locatione & conductione, quæ iiſdem penè regulis Juris cum emptione & venditione conſiſtere dicitur, menſura mercedis ſive locati eſt uſus & utilitas rei, quæ menſura cum variet, nihil mirum, ſi & ipſa mercedis quantitas non ſit uniuſmodi, ſed varia & inconſtans quoad conventione contrahentium definiatur ac determinata certaq; fiat. Hoc etiam ad naturam eorum contractuum pertinet, quod votum emptoris & venditoris, nec non votum locatoris & conductoris diverſum ſit: ut de emptore & venditore eleganter explicat *l.8.C.de reſcind.vend.* quæ omnia etiam ad locatorem & conductorem pulcrè accommodari poſſunt. Venditor hoc animo & voto ad contrahendum accedit, ut quam poteſt maximo pretio & cariſſimo vendat: quod quidem ipſi minimè eſt vertendum vitio, cum lucri cauſa contrahere ſoleant homines, *arg.l.25.actionum.§.1.ff.de oblig.&act.in verb.* Ex contractu actio eſt, quotiens quis ſui lucri cauſa cum aliquo contrahit. Jure namq; ſuo qui utitur, is nemini facit injuriam. Contra Emptor hoc animo, hoc voto præditus eſt, ut cupiat quam minimo rem comparare. Quo alluſit Terent. Eunucho: Emas quantum potes minimo, Si parvo non potes, at quanti queas. Seneca etiam *in libb. De beneficiis* multa in hanc rem habet, *ut lib.6.c.38.* Ut autem ex hac diſcrepantia votorum tandem uterque contrahentium in unum conveniat, longo ſæpè tractatu opus eſt, in quo emptor ad licitationē ſive indicationem venditoris aliquid offert, venditor aliquid de priore ſumma remittit quaſi deſcēdens: emptor priori ſummæ aliquid adjicit, venditor rurſum aliquid remittit: quouſq; tandem in unum conſentiant certum ac definitum pretium, *ut & d. l.8.* deſcribit hunc tractatum, & docet communis vitæ experientia cotidiana in rerum maximè immobilium comparatione: Item in conductione rerum. Ita ergo definita utrinque quantitate vel pretii, vel mercedis, contractus eſt perfectus, nec ab eo reſilire alter poteſt invito altero. Excipitur tantum nimia defraudatio, id eſt, niſi quis deceptus & læſus ſit ultra dimidium juſti pretii, ut eſt in illa nobiliſſima *l.2.C.de reſc.vend.* de qua latiſſimi Dd. Commentarii extant. Tunc enim poteſt peti reſciſſio contractus: eaq; petita eſt in arbitrio rei, an velit rem reſtituere, an verò id, quod alteri abeſt uſq; ad dimidium juſti pretii ſupplere: *d.l.2.* Et hac omni in re tantum abeſt ut ulla ſit differentia inter Jus civile & Canon. ut potius utraque Jura per omnia pulchrè conſentiant: *ut videre eſt ex c.3. cum dilecti & c.pen. cum cauſa de empt.& vend collatis cum d.l.2.&l.8.C.de reſcin.vend.* Nuſquam etiam illa induſtria & ſolertia & vigilantia in rebus propriis & ſuis commodis augendis, quæ eſt homini naturalis & laudabilis potius quàm vituperanda, reperitur à Jure Canonico improbata in rebus contrahendis: ut hîc igitur meritò valeat illud, Jus quod non reperitur mutatum, quare prohibeatur ſtare? Et hanc utriuſque juris in ea re conſonantiam agnoſcit etiam *Bapt. de S. Blaſ. Diff.105.* Tametſi ibidem dicat, Eccleſiam in ſuis contractibus non poſſe decipere ſecum contrahentes, ne quidem uſq; ad dimidiam juſti pretii, ſed debere contentam eſſe juſto pretio: quod tamen minimè probatur *per text. quem ibi allegat. videlicet in c.2. ea enim q.3.1. hoc jus.10 q. 2. quæ eſt ipſa Auth. hoc jubemus. ex Novell.7. & 120. ſubjecta l.14. jubemus.C. de ſacroſ. Eccleſ.*

Eccleſ. Nam nihil tale ibi dicitur: ſed hoc potius, Rem Eccleſiæ immobilem ad diſſolvenda ejus debita, quæ aliunde ſolvi non poſſunt, debere ſub auctione vendendam proponi publicè per dies 20. ita ut plus offerenti detur: quæ lex eſt auctionis ſive ſubhaſtationis notiſſima. Ex quo potius contrarium elici poteſt, rem Eccleſiæ non pro vero pretio vendi, ſed eo quod plurimum offertur. Illorum autem verborum dicti textus [pretio modis omnibus pro debito dando] non hæc eſt ſententia, quæ fortaſſis viſa eſt dicto Baptiſtæ Blaſiano, quaſi Eccleſia non pluris quàm pro juſto pretio poſſit vendere rem: ſed pretium illud redactum ex venditione rei Eccleſiæ addictæ ei, qui plurmum obtulit, non alios in uſus, quàm in diſſolutionem debitorum Eccleſiæ converti debere. Unde hoc minimè ſequitur, Quod aliud ſit jus Eccleſiæ vendentis per Oeconomum rem ſuam, quàm alterius venditoris, & quod hîc tantum poſſit pluris rem vendere, quàm ſit verum ejus pretium: Eccleſia verò non pluris, quàm ſit verum ejus pretium, quo debeat eſſe contenta. Ecce tanti eſt non temerè credere allegationibus locorum juris, ſed in rem præſentem ire, & omnia diligenter ponderare, Quod ſemper cordi eſſe velim omnibus Juris ſtudioſis. Ita minus errorum erit.

Sequitur alia differentia ad contractus innominatus pertinens. Notum eſt, Contractuum alios nomen certum habere, alios nomine vacare: quorum illos nominatos vocant, hos innominatos. De his explicatur ſolenniter *ab Interpretibus ad tit. ff. de præſcript. verb. & de rerum permutat.* & aliquid attigi *ad Inſtit. tit. de obligat. & ad tit. de locat. & conduct.* Jure igitur civili in hoc genere contractuum innominatorum habet locum pœnitentia. *l. 3. §. 1. l. 5. Si pecuniam. & ibi Dd. ff. de cond. cauſ. dat. cauſ. non ſec. Weſen. in* π. *num. 4. ff. eod. tit.* At Jure Can. in his pœnitentiæ non eſt locus, ne quidem re integra. *gloſſ. in c. cum inter. extr. de elect. Bald. in rub. C. de rerum permut. & in l. cum quis. C. de jur. & facti ignorantia. l. ſive apud acta. C. de tranſact. Angel. in l. in traditionibus. C. de pactis.* Quamvis huic differentiæ contradicat *Lud. Rom. in dict. l. Si pecuniam. in princ. ff. de cond. ob cauſam datam.*

CAPUT XI.

DE NECESSITATE TRADENDI REM VENDITAM incumbente venditore.

Videamus unam & alteram differentiam ad emptionis venditionis contractum pertinentem.

Jure civili venditor etiamſi facultatem habeat rei venditæ tradendæ, tamen non præciſè cogitur illam tradere, ſed liberari poteſt præſtando id quod intereſt Emptoris rem habere. Eaq; fuit jam olim ſententia Bulgari, quam & veteres Gloſſatores ferè ſecuti ſunt, Accurſio variante, Martino autem planè contradicente. De qua veteri diſſenſione videri poſſunt *Hippol. Riminald. ad §. 1. nu. 37. & ſeqq. uſque ad 69. Inſt. de donat. Pinel. ad l. 2 C. de reſc. vend. Ioan. Vaud. lib. 1. Quæſt Iur. 9. Et Martini opinionem 8. rationibus communivit Doctor meus Giphan. in diſp. Ingolſtadina de act. empti. th. 26. & quatuor ſeqq. Tametſi idem alibi ad lib. 4. Cod. variarit, & alteram ſententiam Bulgari prætulerit velut æquiorem.*

Digitized by Google

Jure autem Can. volunt, Rem vel poſſeſſionem eius omnibus modis planè & liberè tradendam eſſe. *c. 10. cum Ioannes & ibi gl. in verb. vacuam de fid. inſtrum.* quaſi hoc jure Martini ſententia probata prælataq; fuerit. Fatendum tamen, hanc dubitationem Jure Pontificio nuſquam diſertè compoſitam eſſe: nec quicquam amplius eo afferri, quod non etiam in Jure civili de vacua poſſeſſione rei venditæ tradenda habeatur. Quod autem quidam huc etiam trahunt *c. ult. Piſanis. de reſt. ſpol.* nihil ad rem id facit, cum ibi non agatur de venditoris traditione rei venditæ, ſed de reſtitutione rei ſpoliatæ: Inter quæ duo plurimum intereſt. Quis enim non intelligit, cum ſpoliatio & ablatio ac detentio rerum alienarum ſit odioſa ſpoliantem & detentatorem multò ſtrictius adigendum eſſe ad earum reſtitutionem, quam venditor, qui antequam tradat, rem non alienam, ſed ut plurimum ſuam detinet, cum rerum dominia non transferantur pactis & contractibus, ſed traditionibus vel uſucapionibus. *l. 3. ff. de obl. & act. l. 20. traditionib. C. de pact.*

Emptor quidem præciſè tenetur ad pretium venditori dandum: Venditor verò (ſecundum Bulgari & ſequacium ſententiam) non tenetur ita præciſè ad rem tradendam, ob hanc differentiæ rationem, quam aſſignant, Quia emptor laxiùs & leniùs quàm venditor obligetur: Ille ad pretium in genere, non autem in his vel illis nummis tanquam corporibus ſolvendum: Iſte ad rem in ſpecie præſtandem. Ergo in uno gravatus in altero ſublevandus eſt, & contra ſublevatus in uno, in altero gravari debet. Ita ferè *gl. l. 11. ex empto in verb. facere cogitur. ff. de act. empt.* Sed hæc brocardica ſunt, & textus ibi agit de illa potius differentia, quod emptor quidem cogitur nummos, ſive pretium facere accipientis: Venditor verò non cogatur rem ſive mercem facere emptoris, eiq; dare, id eſt, dominium in eum transferre, ſed liberetur, ſi præſtet vacuam ejus poſſeſſionem, & habere rem licere, & obligetur ad evictionem ſive auctoritatem præſtandam: Cujus rei ratio eſt libertas commerciorum: ut alibi latiùs explicatur.

Caput XII.

DE EADEM RE PLVRIBVS VENDITA.

Alia differentia eſt item ad Empt. vend. contractum pertinens. Nota res eſt Jure civili, ſi una eademq; res duobus vel pluribus ſit vendita, eum præferri in quæſtione dominii non cui prius vendita, ſed cui prius tradita res fuerit. *l. quoties. ubi gl. Bald. & Dd. C. de rei vindicat. A. Gomez. de empt. n. 20. Wurmſ in pract. for. tit. 31. obſ. 5.* Et ratio hujus rei pendet ex eo, quod paulò ante dixi, Quia non pactis & contractibus, ſed traditionibus rerum dominia transferuntur.

Ampliatur hoc, ut procedat, etiamſi prima venditio fuerit jurejurando confirmata: poſterior verò injurata. *Gomez. d. loco Gabriel. lib. 3. tit. de emption. & vendit. concl. 2. num. 1. Roland. à Vall. conſ. 5. num. 24. volum. 1.* Exceptio eſt in iis caſibus ubi dominium ſive jus in rem tranſit & acquiritur ſine ulla traditione. *Wurmſ. d. loco. Hartm. Piſtor. lib. 2. part. poſter. quæſt. 28. num. 29. & 31. V. G.* Si quid prius Eccleſiæ vendatur, & poſterius alteri ſimul & vendatur & tradatur præfertur Eccleſia: In hanc enim etiam abſque traditione tranſit dominium: ut & in civitatem. *l. ult. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Covarr. 2. Reſolut. 19. A. Gail. 2. obſ. 55.* Hinc

Jure

Jure Canonico etiam conſtitutum eſt, ut in beneficiis Eccleſiaſticis conceſſio prima ritè facta præfer[illegible] ſecundæ. *c. tibi de reſcript. in 6. c. Si tibi abſenti. de præbend. eod. lib. Abb. in c. continebatur. num. 5. de his quæ fiunt à prœl. ſine conſ. Capit.* Ejq; rei fundus eſt in ipſo Jure civili. Nam eti[illegible] Principis conceſſio prima præfertur poſterior. *l. præd[illegible]a. C. de loc. præd. civil. lib. 10.* De Emptione redituum, ſive annui cenſus, *de quibus eſt cap. regimini. in Extravag. communi. de emption. & vendit.* dicemus infra cùm de uſuris agetur.

CAPUT XIII.
DE CONDVCTIONE A STVDIOSO FACTA.
Explicatur c. 1. ext. De loc. & cond.

NUnc de Conductione unicam differentiam adducam, quæ favet ſtudioſis, ideoq; benè notanda, ſi modò ſit vera; de quo non immeritò dubitare licet, ut mox ap[illegible]arebit. Jure Civili locator domus vel cænaculi poteſt finito tempore, alteri cui voluerit, locare, invito licet primo inquilino ſeu conductore, qui non poteſt ſecundo moleſtiam ullam aut litem propterea inferre. Nemo enim ſuas res invitus uni & eidem ſemper locare cogitur. *l. 32. ne cui liceat. C. de locat. & cond.* Et quorſum adjectio certi temporis (ſicut exemplo cenſorum, qui ita locabant publica, conductiones plerunque in luſtrum ſive quinquennium etiam à privatis fieri ſolebant) quorſum inquam ea prodeſt, ſi etiam elapſo tempore illo locator conductori obligatus manebit? Præterea, ſi conductor ejuſve heredes poſt impleta locationis tempora non debent retineri inviti, ut eſt ſæpè reſcriptum *teſte Phil. Imp. in l. 11. invitos. C. d. tit.* æquitas certè poſtulat, ut etiam locator eodem jure utatur, & elapſo tempore ſit liber à lege locationis, ac poſſit deinceps vel ſibi ad ſuos uſus retinere rem, vel alteri pro ſuo arbitrio locare. Si tamen exacto tempore, ad quod locatio facta fuerat, in eadem conductione permanſerit conductor connivente quaſi & tacente locatore, cenſetur tacitè renovatus contractus cum prioribus ſuis conditionibus. *l. 16. legem quidem. Cod. d. t.* Ita inquam Jure civili cautum eſt. Jus Canonicum vulgò putatur hac in re ab illo differre, ſi conductor ſive inquilinus primus ſit Scholaris ſive ſtudioſus. Hujus enim conſenſum putant neceſſarium eſſe in locatione alteri facienda: & abſque ejus conſenſu non poſſe ſecundo inquilino hoſpitium concedi, quamvis elapſo tempore, ad quod primus conduxerat. *Ita Bart. in Tr. de differ. inter Ius Can. & Civile n. 100. & Baptiſt. de S. Blaſ. in ſuo Trin. 124 uterque allegat. c. 1. ext. De loca. & cond.* Aliique hoc inter privilegia ſtudioſorum, *de quibus explicatur ad Auth. Habita. C. ne fil. pro patre.* retulerunt. Mihi hæc differentia tametſi favorabilis videatur noſtro ordini, tamen vera non videtur, neque juri conſentanea, inſpecto accuratiùs textu *d. c.* Quod quo rectius intelligitur, paucis exponenda eſt ejus ſpecies, ex qua apparebit ſummus utriuſque juris conſenſus potius quàm ulla differentia. Igitur Bononiæ, quæ antiquiſſima Acad. & à Theodoſio Imp. fundata jam olim mater ſtudiorum dicta eſt, quod ibi maximè florerent ſtudia, maximiſq; munita eſſent privilegiis, mos hic peſſimus & iniquiſſimus invaluerat, quod magiſtri & Scholares (ſic Itali vulgariter vocant, quos nos Studioſos) inter ſe æmulatione improba

certantes de magnitudine expenſarum & inanis gloriæ, aut de ſuis privatis commodis & utilitatibus offerebant dominis ædium, qui cœnaculariam faciebant, majorem mercedem, ut ſibi potius ea hoſpitia ſive cœnacula locarent prioribus conductoribus expulſis. Ea res (ut facile eſt cuivis intelligere) non parva importabat illi Academiæ incommoda: ut quæ & ad ſingulorum læſionem ac præjudicium pertineret inquilinorum, & publicè noceret, excitando fomitem diſcordiæ & afferendo non modica ſtudiorum impedimenta: Quare in eam curam incubuerunt Legati Pont. Max. 1. Epiſcopus Portuenſis. 2. Epiſc. Tuſculanenſis, ut iſta conditionis improbitas aboleretur: & Portuenſis quidem Epiſc. eam conſuetudinem ſic conducendi aliorum hoſpitia prohibuit ſub pœna excommunicationis; Tuſculanenſis verò etiam anathematis pœnam propoſuit: Sicut ſolent & debent creſcentibus delictis exaſperari pœnæ, quoties videnimium multis perſonis graſſantibus exemplo opus eſt ad deterrenda maleficia. *l.16. aut facta. §. ultim. ff. de pœn. juncta l.31. bona fides. in fin. princ. ff. depoſ.* Eſt autem gravior pœna anathematis, quàm Excommunicationis, ut aliàs oſtendi *ad tit. ff. de judic.* Hanc igitur utriuſque Epiſcopi & legati Pontificii conſtitutionem confirmat *in d. c.* Clemens III. prohibens, ne quis deinceps magiſter aut ſcholaris audeat ſic convenire hoſpitem & cum eo tractationem inſtituere de conducendo hoſpitio quod jam ante ab alio inquilino occupatum eſt. Quam ſuam confirmationem vult quotannis recitari in communi audientia magiſtrorum & ſcholarium. Adjungit autem huic prohibitioni geminam exceptionem 1. niſi prius conſtituerit, tempus conductionis elapſum. 2. Niſi primi inquilini conſenſus acceſſerit. Ratio I. Exceptionis eſt, quia elapſo tempore conductionis jam ceſſat læſio & præjudicium primi conductoris, cui non amplius eſt obligatus hoſpes ſive dominus ædium, qui *in vet. Gloſſar.* eleganter compoſito verbo Domnædius dicitur, & Cœnacularius, Græcè *ναυμίσχος*. *ὁ τὰ ἐνοίκια τῆς οἰκίας συνάγων.* Alterius exceptionis ratio eſt, Quia volenti & conſentienti non fit injuria neque dolus: ut eſt in utroque Jure notiſſima regula. Tum quia poteſt unuſquiſq; ſuo favori & juri pro ſe introducto renuntiare. *l. ſi quis in conſcribendo. C. de pact.* Ex his liquet, quàm pulcrè omnia iſta cum Jure civili conſentiant, & quam non ſit vera vulgaris differentia quam hic conſtituunt inter conductionem cœnaculi factam à Scholari & ab alio.

CAPUT XIV.
DE FIDEIVSSIONE CLERICORVM.

PORrò quoniam Scholaribus adeò ſunt cognati Clerici, ut quibuſdam in regionibus, ut in Anglia, etiam Clericorum appellatio Studioſis tribuatur, adjungam hoc loco nonnihil de Clericorum fidejuſſione, Ex quo juris articulo etiam ſumitur aliqua differentia. Jure civili non eſt interdictum Clericis fidejuſſione & ſponſione pro aliis. Sed jure Can. prohibentur Clerici fidejubere, & quidem ſub pœna depoſitionis, ſive abjectionis. *cap. 1. ext. de fidejuſſ.* Et eſt inter Canones Apoſtolicos à Clemente, ſi non mentitur inſcriptio, in unum congeſtos *can. 19.* Cujus prohibitionis ratio eſſe videtur, ne implicentur Clerici negotiis

riis ſecularibus, *tot. tit. Ne Clerici vel monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant*, quæ eſt ſententia Pauli quoque Apoſtoli. Videtur tamen fidejuſſio Clerici pro aliis Clericis non improbari *in c. 2 d t.* ubi Clerici, pro quibus clericus ex fidejuſſione ſua ſolvit, jubentur eum præſtare indemnem, ne officium ſuum ipſi damnoſum ſit, contra *l. 61. §. 5. De furt. l. 7 ff. teſt. quem aper. l. 140. de R. I.* ſive, ut ait Pontifex, Ne patiatur diſpendium, unde videtur præmium meruiſſe. Tandem in Concilio generali, quod Romæ ſub Innoc. III. habitum eſt, decretum eſt, ut ita demum valeat cujuslibet religioſi fidejuſſio, item mutui acceptio, ſi major pars Capituli aut Abbatis ſua licentia acceſſerit: aliter verò nullius eſt momenti, niſi mutuum eſſet converſum in utilitatem Eccleſiæ aut monaſterii. *c. pen. ext. de fidejuſſ.* Huic ſimile eſt, quod prælatus nō poteſt Eccleſiam ſibi commiſſam pro alienis debitis obligare: nec Eccleſia ad ſolutionem talium debitorum tenetur. *c. 1. ext. de ſolut.* Quo pertinet illud Guntheri: Neq; enim quod Paſtor iniquè geſſerit, Eccleſiæ fas eſt in damna refundi. Unde etiam receptum eſt in favorem Eccleſiæ, quod contra Eccleſiam non currit præſcriptio eo tempore, quo à malo & negligente Prælato adminiſtratur. *c. & ſacerdotes. 16. q. 3. de quo latius inf. ſuo loco.*

CAPUT XV.
DE STIPULATIONIBUS POENALIBUS.

SEquens differentia pertinet ad ſtipulationes pœnales. Notum eſt enim, ſicut ſtipulationes aliis contractibus eorum firmandorum gratia adjiciuntur, *teſte Imp. in fin. pr. tit. De V. O. & pleniùs Paulo in ſent. lib 5 tit. 7. in princ.* Ita ipſas ſtipulationes, adjectione pœnæ confirmari atque adſtringi, maximeq; eas, quæ in faciendo conſiſtunt: ut ejus vid. metu tanto magis quis ad præſtandum id quod promiſit adigatur. De quo genere ſtipulationum pœnalium explicatur *ad §. ultim. I. de V. O. l. 4 §. Cato. l. 68. ſi pœnam. l. 71. cum quid l. 85. In execut. §. quod ſi l. 137. continuus. §. 7. ſi ut aliquid. ff. de V O l. 6. in omnibus & l. ult. De præt. ſtip. & c.* Jam ita res habet Jure Civili, ut commiſſa pœna debeatur tota: nec præſtatione partis quis liberetur, ne quidem pro parte. *l. 5 in fin. l. 85. In executione ff. de V O. l. heredes. 25 §. in illa. ff. fam. erciſ. l. ſi ſervus §. plurium ff. ſi quis caution. & iis locis Dd.* Sed Jure Can. volunt obſtare exceptionem pro rata pœnæ ſolutæ: *Ita Bart. in Tract. Differ. num. 50. & Bapt. de S. Blaſ. num. 97. allegantes text. & gloſſ. in cap. ſuam extr. de pœn.* quo tamen capitulo hoc non videtur contineri quod volunt: Sed hoc potius, pœnam omninò non deberi. Nam Spoletanus Epiſcopus cum haberet controverſiam cum Rectoribus Clericorum S. Fortunati, compromiſſum fecit in arbitros: quo arbitrio Rectores illi condemnabantur in 40 libras intra certum tempus ſolvendas, & ſi non eſſent intra terminum ſolutæ, hoc amplius in pœnam 30. librarum. Rectores ſolverant in termino, ſed non totam ſummam 40. librarum verum duntaxat 33. reliquati videlicet 7. libras. Itaq; Epiſc. Spoletanus petebat pœnā 30 librarum: quam ut obtineret impetravit à Pontifice Innoc. 3 delegatum quendam Judicem, ſed impetravit per obreptionem ſive veritate tacita. Diſſimulaverat quippe ſolutionem 33 librarum in termino ſibi factam, & quia reſiduum tantū adhuc debebātur, ita ſcripſerat, quaſi nihil eſſet in termino &

die

Digitized by Google

die ſua ſolutum. Itaque veritate poſtea comperta cum intellexiſſet Pontifex 33. libras eſſe perſolutas juſto tempore, reſcripſit Epiſcopo, jubens eum contentum 7. libris, qui videlicet ad numerum 40 complendum adhuc reſtabant, non petere à Rectoribus illis 30 libras loco & nomine pœnæ. Addit etiam graviſſimam admonitionem, de officio epiſcopali: Non debet, inquit, te in tantum oblivisci pontificialis modeſtiæ, ut inhoneſtis quæſtibus anhelando deſideres cum aliena jactura ditari. Ex quibus omnibus ſatis veritatem ejus, quod dixi, intelligimus, Pœnam hoc caſu omninò non deberi: & Epiſcopum non tantum à petitione partis, ſed à tota pœna plenè ſubmovendum eſſe: quam ſi conſequeretur, tùm verò non ſolum cum aliena jactura ditaretur: quod eſſet contra Epiſcopalem modeſtiam, ſed etiam contra ipſam naturalem æquitatem. *l. 14. nam hoc natura. ff. de cond. indeb. cum ſimil.* Notandum quoque ex eodem capitulo, Nullam vim eſſe ſententiæ ex falſis inſtrumentis vel teſtimoniis latæ, *ut eſt in tit. Cod. ſi ex falſ. inſtr. vel teſt. judic. ſit.*

Caput XVI.

De beneficio ordinis ſive excuſſionis.

Poſthac unam videamus differentiam de Fidejuſſoribus. Jure civili certum eſt, Fidejuſſori competere beneficium ordinis ſive excuſſionis. Nam ſi ipſe primus conveniatur, antequam conventus & excuſſus fuerit debitor principalis pro quo fidejuſſit, habet hoc beneficium & quaſi exceptionem quandam dilatoriam, ſi non fuerit prius conventus debitor ſive reus principalis præſens & repertus minus idoneus. *Auth. præſente. C. de fidejuſ. Nov. 4. Canoniſtæ in c. 2. pervenit. De fidejuſſ.* Hoc enim eſt jus noviſſimum, cum antea poteſtas electionis permitteretur creditori, ut poſſet relicto reo convenire fidejuſſores. *l. 3. & l. 5. Cod. de fidejuſſ.* Jure autem Canon. volunt ceſſare hoc beneficium excuſſionis. *And. Gail. 2. obſ 27. n 28. M. Weſenbec. conſ. 9 num. 40. & quos illi præterea allegant.* Rationem afferunt hanc, Quia Jure Can. ex æquitate procedatur, non inſpectis apicibus juris *gl. in c. 6. delicti verb. ſubtiliter extr. de Iudic.* In talibus autem caſibus ceſſet hoc beneficium. Unde etiam volunt, In cauſſis mercatorum id ceſſare. Ut certè Noribergæ non tantum in cauſſis mercatorum, ſed etiam in aliis quibuſcunque licet convenire fidejuſſorem ante Reum principalem *l. 1. tit. 19. Reformat.*

Caput XVII.

De donatione inter conjuges. Explicatur obiter l. 12. in donationibus. Cod. ad l. Falcid.

Quia Donationem quoque vulgo annumerant contractibus, tametſi Imp. eam inter modos acquirendi dominii retulerit, idcirco hîc inter alias differentias quæ ad contractus pertinent, etiam de donatione videbimus, & primum quidem ea, quæ fit inter conjuges. Notum eſt, Donationem inter conjuges conſtante matrimonio regulariter prohibitam eſſe, *tot. tit. ff. & C. de don. inter. vir. & ux.* Quod jus moribus receptum eſſe apud Romanos teſtatur *Vlp. in l. 1. ff. eod.*

Digitized by Google

ff. eod. tit. qui ut alia, ita hoc quoque ex legibus Solonis mutuati eſſe videntur. Imp. Antoninus ad majorum prohibitionem id refert. *l.3 in princ. ff. d.t.* Sicut & Pompon. ex Proculo *in l.31. ſed ſi vir. §.7. quod legaturus ff. eod.* Acceſſit deinde SC. quæ & Oratio Antonini appellatur *in d.l.3. & in l.32. cum hic ſtatus. in pr. ff eod.* Vocatur eadẽ & Oratio D. Severi *in l.23. Papinianus. d.t.* qui fuit Pater Antonini Baſſiani Caracallæ & conſors imperii: ut conſtat *ex hiſt. Auguſta. & ex d. pr. l.32. nec non ex l.7. §. ſi maritus. eod.* ubi allegatur reſcriptum horum Impp. Imp. noſter cum D. Patre ſuo, inquit *Vlp.* qui ſub illis principibus vixit, ſicut & *Papinian.* quem ſecuri percuti tandem juſſit Antoninus. Appellantur hi duo etiam ſæpe *in ll.* pater & filius per antonomaſiam, omiſſis propriis nominibus. Factæ etiam ſunt de hoc jure conſtitutiones Principum, *ut D. Hadriani conſt. allegat Vlp. in d.l.7.* Ipſius quoque Antonini poſt SC. cujus condendi auctor fuerat, emanarunt hac de re conſtitutiones & indulgentiæ novæ, ut apparet liquidò *ex l.41 nam & Imp. & ſeq. l. nuper. ff. d.t.* Rationes ejus Juris ſive prohibitionis complures afferuntur *in l.1.2.3.31.§.7. ff. eod. tit. l.20. C. eod. & Nov.74.* Puta 1. ne mutuo amore invicem ſpoliarentur, atque ad egeſtatem perducerentur, profuſa erga ſe facilitate, & immodicis donationibus: ſive, quod idem eſt, ne melior in paupertatem incideret: deterior ditior fieret, ut eſt in Oratione *D. Anton. l.3. h.t.* ubi melior videtur uſurpari pro liberalior: deterior pro avarior, reſtrictior, & ut vett. loquebantur, aridior. Quo rectè accommodavit *Bald.* illud, Beatius eſt dare, quam accipere. Quod verbum Chriſti non quidem ab Evangeliſtis commemoratum *in hiſtor. Evangelica,* Sed tamen ab Apoſtol. Paulo & Luca *Act.20.* conſervatum Innocentio quoque tertio laudatum *in cap. 8. Cum Martha.* planè congruit cum Ariſtotelis diſputationibus Ethicis de liberalitate & amicitia. II. Ne avocarentur à ſtudio educandorum liberorum: cum Parentum ſit officium theſaurizare liberis: vel Paulo teſte Apoſtolo, & naturâ duce. III. Ne amor honeſtus, fides, concordia & affectio conjugalis emi videretur, quæ potius debet eſſe gratuita, & aliis rebus ac dotibus provocari, quàm pretio conciliari. Qua in re magnoperè etiam fama conjugum periclitaretur. Turpe enim eſſet venalia habere matrimonia, venalem concordiam, ut dicitur *l.27. ſi liberis. ff. de pact. dot.* Et meretricium eſt pro uſura corporis mercedem accipere, & venalem habere pudorem. IV. Ne occaſio præberetur divortiis ceſſante donatione, ſi non donaret is, qui poſſet. V. quoque ratio addi poteſt, quæ ex Plut. ſumitur in præceptis connubialibus, ut conjuges jam ante omnia inter ſe communia eſſe ducerent. *ὁ ῥωμαῖος νομοθέτης, φησὶν. ἐκώλυσε δῶρα διδόναι καὶ λαμβάνειν παρ' ἀλλήλων τοὺς γεγαμηκότας, οὐχ ἵνα μηδ' ἑνὸς μεταλαμβάνωσιν, ἀλλ' ἵνα πάντα κοινὰ νομίζωσιν.*

Et ab hoc jure civili (cujus exceptiones, quæ ſunt aliquot, impræſentiarum non perſequemur) minimè diſcrepat Jus Pontificium. Sic enim ait Greg. IX. *in c. ult. De don. inter. vir. & ux.* (qui ſolet libenter ſublegere & ſequi veſtigia Juris civ. in ſuis conſtitutionibus generalibus, quas inſeruit collectioni Decretalium à ſe factæ, etiamſi non eſſet aditus ab ullis conſultoribus vel litigatoribus, ne videlicet aſymbolus ad eam collectionem acceſſiſſe videretur. Ideoq; ejus conſtitutiones plerunque nullum habent præſcriptum nomen alicujus ad quem dirigantur:

Digitized by Google

ut rectè obſervavit & admonuit etiam *Cujac. ad c. pen. & ult. De ſent. & re judic.*) ait inquam Greg. 9. Donatio, quæ conſtante matrimonio inter conjuges dicitur eſſe facta, ex qua alter locupletior & pauperior alter efficitur, firmitatem non habet. Addit exceptionem, quæ & Jure Civ. eſt nobiliſſima, ſi donatoris obitu confirmetur. Tunc enim quaſi ex fideicommiſſo morte confirmato valet & Oratione Antonini & SC. Ideoq; etiam perinde ut fideicommiſſum ſubjacet legi Falcidiæ. *l. 12 in donationibus. C. ad l. Falcid.* de cujus legis illa parte, quando fideicommiſſi partibus funguntur, dubitari poteſt quē habeat ſenſum, An, inquam, reſtrictivè accipienda ſint, an vero cauſſativè, ſeu ita ut rationem ſignificent. Priore modo ea verba interpretati ſunt aliquot celeberrimi auctores: *ut Bart. in l. ſi quando. ff. de leg. 1. Iaſ. in addit. ad Chriſtoph. Porc. Inſt. de leg. Falc. Ioan. Hannibal. in l. poſt contractum. n. 348. ff. de donat. & Did. Covarr. in Rubr. de teſta. part. 3.* Hi omnes particulam QUANDO referunt ad tempus ſive caſum, quaſi hoc velint Impp. Falcidiam eo tantum caſu locum habere in donationibus inter virum & uxorem factis, cum ejuſmodi donationes fuerint teſtamento vel codicillis confirmatæ (Nam tunc demum jure fideicommiſſi eas valere volunt) non verò ſi extra teſtamentum aut codicillos factæ, ſola morte & ſilentio confirmentur. Tunc enim negant eas vim fideicommiſſi habere, ſed valere tanquam donationes inter vivos. Altera verò expoſitio eſt Accurſii, aliorumq; communiter Doct. qui volunt ea verba non eam continere reſtrictionem ſeu limitationem temporis ſive caſus, quo donatio mortis cauſſa inter conjuges fit vel confirmatur in codicillis aut teſtamento, ut ita demum, & non aliter fungantur partibus fideicommiſſi: ſed potius accipiunt illa pro ratione generali, quæ pertineat ad quaslibet donationes mortis cauſſa factas inter virum & uxorem ſive factæ confirmativè ſint teſtamento aut codicillis, ſive non: ut ita particula QUANDO idē valeat hic quod QUIA vel quandoquidem, & cauſativè potius intelligatur quàm reſtrictivè (ut loquuntur) Ita *gl. in verb. Quando d. l. 12. C. ad l. Falc.* Quæ expoſitio mihi verior videtur quàm altera. Atque ita cum communi gloſſæ & Dd ſententia ipſe quoq; Jaſon jam ſenior & judicio præditus majore intellexit illa verba legis 12. ut ex ejus cōmentariis apparet *ad l. quæ dotis n. 27. ff. ſol. matr.* ubi disertè ſcribit, quod de donatione cauſa mortis Falcidia detrahatur, per illum ipſum textum *l. in donationibus. C. ad l. Falc. & l. 1. § ſi quis ex mortis ff quor. legat.* Nec ullo verbo diſtinguit inter donationes cauſa mortis in teſtamento aut Codicillis, & extra ea factas. Neque verò hoc novum eſt in Lat. lingua, ut partic. QUANDO cauſſaliter uſurpetur pro QUONIAM, quia, quandoquidem, cum. Sic ponitur in veteri formula Interdictionis bonorum, relata *à Paulo lib. 3. titul. 4. de Teſtam.* Quando tu bona paterna avitaque nequitia tua diſperdis, liberoſq; tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercioq; interdico. Sic in alia formula prætoris, quâ in mulcta indicenda utebatur, *teſte Varr. apud Gell.* Quando citatus neque reſpondit, neq; excuſatus eſt, ego ei unam ovem multam dico. Sic in vet. formula Judiciaria, cujus meminit *Cic. pro Muræn. & alibi*, Quando in Jure te conſpicio *&c. vid. Briſſon in Form. P. R. Sic Terent. Adelph.* Quando ego non curo tuum, tu ne cura meum: Et *Eunucho*: Meus fac ſis poſtremo animus, quando ego ſum

Digitized by Google

ſum tuus. *Et Virgil.deniq;* Quando hæc te cura remordet:id eſt, quia hac de re angeris & ſollicitus es. Nihil itaq; abſurdi eſt, ſi etiam verba Impp. Diocletiani & Maxim (quorum leges eleganti & Latina oratione compoſitæ eſſe ſolent) ita accipiamus,ut rationem cõtineant,quare in illis donationibus,quæ mortis cauſſa fiunt, ſive quæ inter conjuges factæ & morte confirmatæ ſunt, Falcidia locũ habeat. Ratio eſt hæc, Quia fideicommiſſi partibus funguntur: Quod nihil aliud eſt,quã hoc dicere:Donationes mortis cauſſa per omnia redactæ ſunt ad exemplum legatorum & fideicommiſſorum. Hæc enim hodiè exæquata ſunt. *§ mortis cauſſa donatio I. de donat. §. ſed non uſque. I. de legat.* Quare quemadmodum de legatis& fideicommiſſis dodrantem excedentib. detrahitur Falcidia ſive Trebellianica (id quod extra controverſiam eſt poſitum) ita etiam meritò ad donationes cauſa mortis interpretatione producta eſt Lex Falcidia, nimirum quia& illa funguntur partibus fideic.id eſt,cum non aliter quã quædam fideic. valeant, propter illam,quam dixi,exæquationẽ Donationis cauſſa mortis & connumerationem cum legatis& fideicommiſſis.Illa autem exæquatio Legatorũ& fideic. cum donatione mortis cauſſa, & hujus cum illis (eſt enim exæquatio reciproca) non illo tantum caſu facta intelligi debet,quando fit aut confirmatur in Teſtamento vel Codicillis, ut tunc ſolum debeat fungi partibus fideicom. & Falcidiam pati, (id quod prioris expoſitionis auctores voluerunt) ſed etiã quomodocunq; fiat, dum tamen in præſentia V. teſtium. *l.ult.C.de don mort.cauſ.* Hactenus igitur,ut diximus,concordant ambo Jura circa donationes inter virum & uxorem, ut eæ regulariter quidem non valeant, ceterum morte convaleſcant & inſtar habeant fideicommiſſorum,proindeq; etiam Falcidiæ detractionem patiantur: *ut eſt in d. l.12.C.ad l Falc* quam hîc ſimul obiter& per quandã digreſſionem breviter volui explicare. Nunc videamus, An ergo Jurejurãdo poſſint illæ donationes per ſe invalidæ confirmari. Hîc in diverſas partes diſcedunt Jura Civile & Pontificium,& utriuſq; Interpp.Jure civ. ſicut donatio ipſa inter conjuges facta eſt nulla, ita & jusjurandum ei adjectum nullas vires habere debet ad eam firmandam. *arg l.5.C. de LL* Alioquin enim facilè omne jus civile & Salutares ejus conſtitutiones eluſorium fieri poſſet per jusjurandum privati cujuſque: id quod fieri & ferri non debet. Accedit, quod tale jusjurandum confirmatorium donationis conjugalis videtur eſſe contra bonos mores, ex quibus inductam ac receptam eſſe prohibitionem ſupra diximus. Tale autem jusjurandum non eſt obligatorium, ne quidem jure Canonico. *c.non eſt obligatorium. in 6.* Eamque ſententiam amplexi ſunt *Bart Bald. Aug. Salic. Caſtr.& alii complures, quos allegat A.Gail.2. obſ.40. & ex & Io.Emeric.a Rosbach. part.2. De comp.Iur civ.& Can.tit.3.de donat.*

Sed ex Jure Canonico (vel potius ex ſententia Interpretum ejus) poteſt Jusjurandum tales donationes confirmare: & quidem ex communi illo emplaſtro, *de quo ſupr. dixi* Omne Jusjurandum ſervandum eſſe, quod poteſt ſervari abſq; diſpendio ſalutis æternæ,& quod non vergit in alterius præjudicium. *c.2. quamvis De pact.in 6.c.28 cum contingat De iureiur.* Et hanc ſententiã probat *Iul.Clar.§. Donatio, q 9.* Et teſtatur Gail.in Camera quoq; receptam eſſe,& ſecundum eam in utroq; foro tàm ſeculari quã Eccleſiaſtico prònuntiari debere.Ibidem plurimos

 quoque

Digitized by Google

quoque ejus ſententiæ aſſeclas refert. Reſpondent autem ad ſuperiores rationes, ad I. quidem, Peccare quidem eum, qui contraveniat ſanctionibus Juris civilis, & prætextu Jurisjurandi eas enervet: Sed gravius etiam peccare, ſi quis fiat perjurus, & non ſervet jusjurandum, quod obligationem inducat animæ, & jurantem obliget Deo ad præſtandum id, quod quis juravit. Sicut autem minima de malis eligere jubemur etiam vulgari verbo, ſic & duobus propoſitis peccatis, quorum unum altero ſit gravius, præſtat incurrere in id quod eſt levius, ut effugias quod eſt gravius. Ad II. quod de bonis moribus afferebatur, reſpondent diſtinguendo inter bonos mores Juris Civilis & Canonici: Et regulam illam *d. cap. non eſt obligatorium &c.* reſtringunt ad bonos mores Juris Can. ut ſcilicet illud tantùm Jusjur. non obliget, quod eſt præſtitum contra bonos mores Juris Canonici, non etiam quod repugnet bonis moribus Juris civilis. Illud autem dicunt fieri contra bonos mores Juris Canonici, quod inductivum & nutritivum eſt peccati mortalis (Sic enim loqui amant) & proinde diſpendium affert ſalutis æternæ, quod interponitur ſuper actu per ſe & ſui natura turpi, quodvè principaliter repugnat utilitati publicæ. *Sic P. Peck. ad R. I. Can. in 6. & A. Gail. 2. obſ. 39. n. 15. & Rosbach.* Jam, inquiunt, tale non eſt Jusjurandum quod confirmat donationem inter conjuges. Nam donare etiam conjugi non eſt per ſe & ſui natura turpe aut probroſum (alioqui nunquam fieri poſſet licitum) non etiam inducit aut nutrit peccatum, neque repugnat principaliter publicæ utilitati.

CAPUT XVIII.
DE DONATIONE A PATRE FACTA filiofamilias.

QUæ de donatione inter conjuges diximus, eadem ferè omnia accommodari quoque poſſunt ad donationem factam à patre filiof. Nam & hæc perinde ut illa, Jure civili prohibita eſt. *l. 1. §. ſi pater. ff pro donat. l. 2. & ibi gl. verb. in poteſtate. C. de inoff. don. l. donationes. & ibi gl. in verb. liberos. C. de don. int. vir. & ux. Clar. §. donatio. q. 8.* Eamq; prohibitionem retinuit etiam gl. Juris Can. (quæ vulgo jactatur ſæpè melior ipſo textu:) *in c. ult. verb. tacitè vel expreſſè. De don. inter vir. & ux.* Et ratio prohibitionis eſt, quia pater & filiusf. una eademq; cenſentur perſona, adeò ut vox filii intelligatur vox patris, & contra. *§. ſi quis alii. I. de inut. ſtip. l. ult. C. de imp. & al. ſubſt.* Unde & patri acquiritur per filium ex cauſſa profectitii peculii pleno jure, ex adventitii quo ad uſumfr. ut ſcitis *ex Inſt. tit. Per qu. ѕ perſ. cuiq; acqui.* Ergo cum pater donat filio, videtur propter illud jus acquiſitionis ſibi ipſi donare: id quod natura & jus non patitur. Nemo enim poteſt ſibi ipſi donare, ut neque obligari: ſed diſtinctas eſſe oportet perſonas dantis & accipientis, obligati & obligantis. *arg. l. 56. ſi quis pro eo. § 1. ubi videatur Cujac. ff. de fidejuſſ.* Solet autem hîc quoque quæri, an talis donatio Jurejurando confirmari poſſit, nempe ut valeat, ſitq; irrevocabilis, ſi pater donans juravit, ſe eam nunquam revocaturum. Et poſſe confirmari ferè communiter receptum eſt inter Interpp. tametſi nonnulli fortiter contradixerint. *ut videre eſt apud And. Gail. 2. obſ. 38 ubi n. 7. in fin.* teſtatur hanc affirmativam opinionem à Camera approbatam eſſe & ſecundum eam judicari. Affert

autem

autem duas potiſſ. rationes I. Quia ſaltem naturalis obligatio ex tali donatione oriatur inter patrem & filium, *ut tractatur à Dd. ad l. frater à fratre. De cond. indeb.* cujus obligationis naturalis reſpectu pater & filiusf. nō pro una, ſed pro diſtinctis perſonis habeantur. Hanc autem naturalem obligationem præcedentem poſſe jurejurando confirmari. II. Quia in ſpiritualibus cauſſis, ad quas etiam jusjurandum pertineat, non attendatur poteſtas patria, cujus etiam aliàs exigua vis eſt Jure Canon. & ferè nulla habetur ratio.

Ex iiſdem porrò fundamentis volunt etiam donationem juratam factam monacho per abbatem valere. *Gail. d. obſ. 38. n. 11.*

CAPUT XIX.

DE DONATIONE EXCEDENTE SUMMAM QUINGENTORUM ſolidorum Iurejurando confirmata.

SImiliter quæritur de Donatione excedente ſummam 500. ſolidorum ſive aureorum (quæ alioqui jure civili eget inſinuatione, ſine qua non valet quo ad ſummam quæ excedit, ut notum eſt *ex §. aliæ. verſ. Et cum retrò principum. De donat. l. 34. ſancimus & l. 35. ſi quis argentum. C. eod. tit.*) an juramento interveniente valeat abſque inſinuatione, ſive an juramentum ſuppleat defectum inſinuationis. Et quamvis ſint, qui hoc negent, tamen affirmativam ſententiam Juris Canonici rationibus, quæ ex ſupradictis ſatis intelliguntur, munitam in Camera probari teſtatur *Gail. 2. obſ. 39.* & ab ea tanquam communi opinione non eſſe in judicando recedendum Jul. Clar. quoque *in §. Donatio. q. 18.* ſcribit, in hoc hodiè concordare utramque Scholam tam legiſtarum, quam Canoniſtarum & apud utroſque hanc communem opinionem eſſe canonizatam.

CAPUT XX.

DE DONATIONE OMNIUM BONORUM præſentium & futurorum.

SIc etiam de donatione omnium bonorum præſentium & futurorum quærunt. Conſtat Jure civili donationem omnium bonorum futurorum juxta ac præſentium non valere. Nam adimeret ſibi ipſi talis donator facultatem teſtandi, cum nihil ſibi reſervarit bonorum ſuper quibus teſtetur. *Clar. §. Donatio. q. 19.* Sed quæritur, an ſaltem jurata donatio omnium bonorum valeat. Et ne hanc quidem valere teſtatur *Iul. Clar. eod. §. q. 20. n. 1. ubi & Dd. communiter ad l. ſtipulatio hoc modo concepta. De V. O. & Guid. Pap. conſ. 214.* & alios plures auctores allegat, qui omnes fateantur, hanc communem eſſe opinionem: Cujus rationem afferunt hanc, quia auferre alicui liberam teſtamenti factionem atque ita introducere improbum votum captandæ mortis alterius, ſit contra bonos mores. Ideoq; juramento nō confirmetur. *d. c. non eſt obligatorium. D. R. I. in 6.* Poſſet tamen hîc quoq; fortaſſe dici, quod impedimentum illud ultimæ voluntatis & libertatis teſtandi non ſit contra bonos mores Juris Can. ſed tantum civilis, quod inde patet, quia non ubiq; gentium libertas illa teſtandi fuerit permiſſa. Quod autem de voto captandæ mortis introducendo dicebatur, id ex tali donatione omnium bonorum non neceſſariò ſequitur.

Digitized by Google

Caput XXI.

AD LEG. 8. SI VNQVAM. COD. DE revoc. donat.

NUnc priuſquam à donationibus recedamus, una aduc examinanda eſt differentia, quæ ad revocationem reſtitutionemq; illarum pertinet, & ſumi poſſe videtur *ex c. ult. 17. q. 4. collato cum l 8. ſi unquam. C. de revocandis donationibus*, de qua initio pauca nobis dicenda ſunt, tametſi aliàs copioſiſſimi ad eam extent commentarii, maximè *And. Tiraq Tom. 8. ejus operum, & Fr. Ripæ*. Continet autem ea lex quandam exceptionem à regula, quà traditur, Donationem purè nullâ adjectâ conditione factam non facilè revocari poſſe pœnitdntiâ. *l. 3. & l. ult. in pr. C. de rev. don.* ac ne quidem obtentu & auctoritate reſcripti principis. *l. ſi donationem. eod. tit.* Ratio regulæ eſt, tum quia id quod noſtrum eſt non poteſt ſine facto noſtro ad alium tranſire, ut eſt in Reg. Jur. Donatarius autem per traditionem rei ex cauſſa donationis factus eſt dominus: ut proinde ei ſua res invito non debeat ne à donatore quidem ipſo auferri. Tum quia puerilis illa levitas nunc dantium, mox data eripientium minimè legumlatoribus ferri debere viſa eſt. Exceptio ferè gemina eſt: I. Ingratitudo donatarii adverſus donatorem. II. Nativitas liberorum contingens ei, qui tempore donationis nullos habebat, nec ſuſcipere ſperabat. De priore eſt *l. 1. 7. pen. & ult. C. de rev don. & cap. ult. extr. de donat.* ubi Gregor. 9. ut ſolet juris civilis ſcrinia compilavit: cujus ratio eſt, quia qui liberalitatem alicuius erga ſe provocavit, non eſt dignus qui eam retineat, poſtquam liberalitas in eum collata quæ potius debebat eum ad obſequia grati animi inclinare, ad inſolentiam adverſus donatorem erexit, ut eleganter Imp. Philippus loquitur *in dict. leg. 1.* Quamvis enim ea lex ſit ſpecialis de liberto donatario in patronum ingrato, ratio tamen eſt generalis ad quemvis donatarium pertinens. Eandemq; ob cauſſam etiam feuda vaſallis à dominis eripi & poſſunt & ſolent: ut habetur *in lib. 2. Feud. tit. 24.* & expoſitum eſt latius in Partitionibus noſtris feudalibus. De poſteriore exceptione eſt *d. l 8. ſi unquam. C. d. t.* quæ planè eſt ſingularis in corpore juris civilis: nuſquam enim alibi id legitur, quod ex tali cauſſa ſupervenientiæ, ut loquuntur, liberorum donatori poſtea natorum poſſint donata revocari etiamſi in donatario nulla hæreat culpa. Quid enim eſt, quod mihi imputari poſſit aut debeat, ſi alterius in me collatam liberalitatem non ſpreverim, & ſi poſtea alter ſuſceperit liberos, quàm mihi id donavit? Sed non levis eſt quæſtio (ex cujus explicatione brevi ſimul & ratio decidendi ad eam l. ſive ratio ſecundæ exceptionis intelligetur) An e us legis conſtitutio ſit generalis, ad quodvis donatarios pertinés, an verò ſpecialis, quæ tantum ſit reſtringenda ad patronum donatorem & libertum donatarium, de quibus ſolis ſunt ejus verba. Priorem ſententiam probant communiter Dd. ut prolixè referuntur *à Tiraq. ad d. l. ſi unquã in verb. libertis ſtatim in pr. & in progreſſu. liſſ. accecedit etiam Cujac. lib. 20 obſ 5.* Et hi rationem decidendi ad eam l. ponunt in amore & affectu parentũ erga liberos, quos ſi ſibi futuros aliquos prævidere potuiſſent aut cogitaſſent, ex conjectura veriſimili non donaſſent aliis, nec extraneos ſuo

ſanguini

Digitized by Google

ſanguini antetuliſſent, cū ordinata caritas à ſe ipſa ſoleat incipere, & tunica pallio ſit propior, ut habent vulgata proverbia. Qui igitur donavit alteri dum liberis careret, nec ſpem eorum haberet, is eam ſuæ rei legem dixiſſe, eaq; conditione donaſſe videtur, ut natis aliquando liberis donatio in irritum recidat ac revocari poſſit. Accedit & favor liberorum, quos naturalis ſtorge magis commendat cuiq; noſtrûm quàm alios. De utraque ratione præter *Tiraq. & Ripam videatur etiam Mynſing. cent. 5. obſ. 63. nu. 2. 3. & 9.* ubi diſputat, utrum poſſit donator illius legis beneficio in præjudiciu n liberorum futurorū renuntiare: ſuper qua quæſtione ait *in fin.* ejus obſervationis tantam eſſe Dd. concertationem, ut Cæſarea deciſione illa indigere videatur: Adſeſſores tamen Cam. in negativam ſententiam aliquando inter ſe conferentes crebriùs inclinaſſe teſtatur *ibidem num. 8.* Sed hanc rationem falſam eſſe, ſi ita generaliter accipiatur, *docet Giph. ad d l. 8.* 1. Quia incerta ſit iſta, quam diximus, conjectura. 2. quia non ſatis juſta ad reſcindendum id, quod ſemel eſt legitimè factum & ad auferendum alicui dominium rei ſuæ. Putat ergò rationem decidendi eſſe ponendam nō in ſolà pietatis conjecturà, ſed etiam in qualitate, ſeu conditione perſonarū, inter quos donatio facta eſt. Qualitas perſonarum hæc eſt, quod donator eſt patronus, donatarius eſt libertus: qui cum aliàs ſatis magnum beneficium, libertatem videlicet, quæ res eſt inæſtimabilis, à patrono acceperit, non debet nimium eſſe petax & avarus, nec poſtulare ſe præferri etiam in bonis ejus liberis. *arg. l. 27. fratres. Cod. de inoff. teſt.* Deinde propter idem beneficium ſummum, quod à patrono accepit, multò plura debet multò plura debet patrono ſuo quam aliquis extraneus donatarius. Imò etiam multa in ipſo remanent veſtigia priſtinæ ſervitutis: tametſi enim poſt manumiſſionem novus homo ſit factus, & ſit liber, tamen non eſt ita liber, ut qui natus eſt talis. Concludit igitur h. l. non in quovis donatario & donatore locum habere, ſed tantum valere debere inter patronū & libertum, nō quidem ut donatio, quam libertus fecit patrono, ex tali cauſa revocetur, ſed tantū ut ea quam contulit patronus in libertum. Et in eadem ſententia eſt etiā Donellus *in comm. C. ad eand. leg.* Ac ſanè ſi verba hujus conſtitutionis novæ ſpectemus, ea favere omninò videntur illi ſententiæ, ſic jus illud revocandę donationis ob ſupernatos liberos, reſtringenti. Nam ſi idem jus inter quoſvis donatores & donatarios obtineret, quare de patrono & liberto tantum lex loqueretur? Etenim dum patronū & libertum includit, alios excludit. Etſi enim aliàs fortè hoc argumentum in legibus maximè Cod. non eſt neceſſarium, quippe cum ferè ſint accommodatæ ad ſpeciem facti Impp. reſcribentibus propoſitam, ad quam diligenter ubique attendendum eſt: tamen in conſtitutionibus generalibus, qualis hæc eſt, miſſa nimirum non ad privatos litigatores, ut reſcriptum, ſed ad magiſtratū, nempe Præf. V. ut rectè monet etiam *Tiraq. in Rubr. d. l.* miſſa, inquam, ut generale editum ſeu generalis conſtitutio, quæ ad omnes patronos & libertos donantes & donationem recipientes pertineret. Quod ſi ita eſt, & ſi ad hunc modum ejus legis diſpoſitio eſt reſtringenda, ut certè faciendum pluribus argumentis uterque & Giphan. & Donell. evincunt, qui quidem conſentientes ea in re habent auctores ex antiquis Azonem in ſumma, & in *comm. ad ſing. ll. Cod. & Franc. Conn. comm.* apparet, hodiernis noſtriſq;

noſtriſque temporibus, dum videlicet ſervis & libertis vix amplius utimur, exiguum fore amplius ejus legis uſum, quam tamen Dd. adhuc eſſe volunt, ut apud Ripam, Tiraquell. Molin. & Mynſing. *d.obſ.63. videre eſt,& in obſ.64.* ubi diſputat, an igitur in dubio donans præſumatur de liberis naſciturus cogitaſſe, & an donatario incumbat probatio quod de iis cogitarit, ſi velit revocationem ceſſare. Quid enim ſibi vellent tot quæſtionibus, quas ad h.l. movent, ſi nullus eſſe debet ejus uſus? an revocatio locum habeat ex hac cauſa, etiamſi non omnia bona neque partem bonorum quis donarit, ſed tantum rem certam vel ſummam aliquam pecuniæ, puta vel ſcyphum argenteum, vel CC. aureos, cum legis verba tantum ſonent de bonis omnibus vel parte eorum: & tamen etiam res una poſſit adeò eſſe pretioſa, & ea ablata non multum in bonis donatoris remanſurum ſit. Item, an ſi pars bonorum minima ſit donata; etiam tunc locus ſit d. legi. cum aliàs dici ſoleat, Prætor de minimis non curat: & tamen ex adverſo verum ſit, etiam minimam partem eſſe & dici partem rei, ſicut minimus digitus & ima auricula eſt & dicitur, pars corporis, adeò ut qui digitum vel auriculam hominis apprehenderit, verè dici poſſit hominem tetigiſſe. Item, an ipſo Jure ex tali cauſa donatio revocetur (id quod videtur quibuſdam ex verbo. Revertatur, quo lex utitur? an verò mediante actione & ſententia Judicis: & ſi actione ad eam rem opus ſit, qualis ſit actio, an in rem, ſive vindicatio, an in perſonam ſive condictio: an utraque ſimul detur: id quod volunt pleriq; Dd. ſecuti *gl. in d. verb. revertatur,* ubi ait: Et ſic vindicabit, vel condicet poſſeſſiones rerum, quod & Donello probatur *d.l.8.n.16. qui n.17.* vult, condictionem illam ex obligatione naſci, obligationem ex contractu ſive negotio geſto. In ea enim ipſe eſt ſententia quatuor tantum eſſe cauſas obligationum vulgò notas, quæ in Inſt. habentur. Qua in re ei contradicere ſolet Giphan. Alii tantum unam dant actionem, vedel. condictionem ſine cauſa, quam conſtat eſſe in perſonam. §. *appellamus. I. de act.* Item an ſi pater non revocarit donationem, quod vel morte ſit præventus, vel noluerit, beneficium hoc detur liberis: quod benignius certè videtur etiam Cujacio. Item An etiam huic legi ſit locus, ſi liberi donatori nati, ſtatim fuerint mortui, cum hi aliàs pro non natis haberi ſoleant. Et quamvis vulgò obtinuerit, etiam hoc caſu donationem poſſe revocari, quia ſcilicet verum ſit, donatorem ſuſcepiſſe liberos poſt donationem, tamen id improbat Doct. meus Giphan. quia liberis ſtatim extinctis ceſſet cauſa revocationis, nempe favor liberorum: cum eorum, quæ non ſunt, nullæ ſint attributiones aut qualitates aut operationes. Item an etiam pertineat beneficium ad liberos nothos quidem à primo ortu, ſed legitimatos poſtea. Nam ad adoptivos certum eſt non pertinere, cum hos non ſuſcipiamus ſeu procreemus ex nobis, ſed ab aliis procreatos in liberorum locum aſſumamus. Sed de legitimatis alii negant, alii affirmant. Item an ea lex pertineat etiam ad donationes remuneratorias quæ fiunt propter merita, ſive reciprocas: Item an ad donationes cauſa mortis, quorum utrumque negandum. Item an ad feuda: quod ſimiliter negandum, quia & hæc propter merita & ſervitia vaſallo conceduntur, ut ex feudali doctrina, uſuque vitæ communis notiſſimum eſt. Harum inquam & ſimilium quæſtionum ad hanc l. (ſunt enim multæ & partim ſatis difficiles) explicatio

plenior

Digitized by Google

plenior aliunde ſumenda eſt. Nullus autem hodiè uſus eſſet, ſi ad patroni & liberti perſonam d. lex, ut verba ejus ſonant, reſtringatur. Sed poſito jam ex vulgari Dd. ſententia, hanc legem latius patere, & ad quoſvis donatores ac donatarios pertinere, ſequitur illa quæſtio, quæ eſt noſtri inſtituti propria, & propter quam reliqua nobis præmunienda fuerunt, An nimirum hoc jus civile per Pontificium ſit correctum: id quod ſaltem quo ad Eccleſiam donatariam dicendum videbatur ex loco quodam. S. Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, qui ex ipſius ſerm. 52. ad fratres in eremo affertur *in cap. ultim. quicunque vult. 17. quæſt.* 4. ubi inter jus fori & jus poli diſtinguitur. Solent autem jus poli ſive Jus cœli dicere vulgo cum intelligi volunt Jus Canon. Pontificium, Divinum. Duo autem præcipua ſunt ejus capituli membra: in I. Auguſtinus de ſeipſo & de ſuo ſenſu erga donatores Eccleſiæ, qui ſuos defraudant liberos, ut olim contra apud Judæos avari ſacerdotes & Phariſæi oblationes à liberis, qui proprios parentes egere rebus neceſſariis facilè patiebantur. In II. membro laudat factum Aurelii Epiſcopi Carthaginenſis. De ſeipſo hoc profitetur, ſe repudiaturum legatum Eccleſiæ relictum à patre qui filium injuſtè exheredaſſet. Quærat, inquit, alterum qui ſuſcipiat, non Auguſtinum. Magnifica verò vox, & magno ſanctoque viro & Eccleſiæ ſui temporis lumine digna: quam utinam exaudirent & ſequerentur quidam ſocii etiam noſtra hac tempeſtate. Et ipſi paulò minus haberent opum, & alii homines minus querelarum, dum addicta avorum prædia fœdis ſub auctionibus ſucceſſor exheres gemit ſanctis egens parentibus, ut verbis utar Aurelii Prudentii in hymno in S. Laur.

Aurelii factum Auguſtino ibidem laudatum hujuſmodi eſt. Quidam cum filios non haberet neque ſperaret, res ſuas omnes (retento ſibi uſufructu) donavit Eccleſiæ. Nati ſunt ei filii poſtea. Ecce caſum ipſiſſimam *l. ſi unquam.* niſi quod hoc amplius ibi etiam mentio fit retenti uſusfructus, quod genus donationum ſæpè etiam in jure civili nominatur: *ut in l. 28. quiſquis. & l. 35. ſi quis argentum, §. ſed ſiquidem. Cod. de donat.* Eaque retentio uſusfructus eſt ficta quædam traditio, quæ & dominium & poſſeſſionem transfert in donatarium, qui jam poſſidet per uſufructuarium. Quid autem Epiſcopus, qui nomine Eccleſiæ, cui præerat, donationem acceperat à donatore? Reddidit illi, quæ donaverat, & reddidit nec opinanti nec repetenti aut revocanti donata. Poterat quidem ea non reddere, ſed retinere, ſed jure fori non jure poli, inquit Auguſt. paronomaſia ſive alluſione tali gaudens: & jus fori Jus Civile, Jus poli Jus divinum appellans: quam loquendi formulam poſtea alii plurimi ſunt ſecuti. Hinc dicere quis poſſet, Alios quidem donatarios extra libertos, poſſe favente ac permittente Jure civili retinere donata, nec cogi reddere etiamſi donatori non patrono poſtea nati fuerint liberi quos tempore donationis nullos habebat: Eccleſiam verò debere donata hoc caſu donatori reſtituere, & quidem id ſuadente jure poli, ſive Jure divino: quod non quidem expreſſo aliquo textu ſacrarum literarum probat Auguſtinus, ſed tamen videtur in ea poſitum eſſe æquitate, ut liberis potius debeantur bona parentum quam cuivis alii, etiamſi ſit Eccleſia: quæ cum ſit mater omnium, qui in ea ſunt Chriſti fidelium, potius de ſuo egenos

P alere,

Digitized by Google

alere, quàm bona parentum liberis præripere debet, vel etiam oblata ultrò recipe-re, atque ita pati, ut liberi ad egeſtatem perducantur. Atque inde argumentum ducunt recentiores, ad probandum, h.l.8. extra ſuos terminos, id eſt, extra perſonas patroni & liberti, de quibus ſolis loquitur, non fuiſſe illo tempore perductam aut uſitatam. Vixit autem Auguſtinus temporibus Theodoſii, id eſt, longo poſt Conſtantium & Conſtantem tempore, quorum eſt ea lex. ſi unquam. Quia tamen nulla Juris Pontificii ſanctio, quæ Jus civile hic abroget proferre poteſt, nullus etiam ſacrarum literarum locus, quo diſertè jubeatur quiſquam tali caſu donata reddere: & quæ de Aurelio ibi referuntur, tantum unius hominis, quamvis Epiſcopi, non tamen legiſlatoris factum continent: idcircò verius videtur inter jus utrumque hac in re nullam eſſe diſcrepantiam: Et d. Can. agere de eo quod deceat, non quod oporteat: inter quæ duo & Cic. & Claudiano, aliiſque teſtibus permultum intereſt. Honeſtum, inquam, eſt Eccleſiæ ſuo juri renuntiare, eoq; non uti in retentione rerum donatarum, ſed eas reſtituere donatori ſuſceptis liberis: tametſi id facere nullis legibus jubeatur cogaturve. Sed nonne idem etiam de quovis laico donatorio rectè dicemus, ipſum tametſi nulla lege actioneve tali caſu cogi poſſit ad reddenda donatori donata (loquor de non patrono, & non liberto) honeſtè tamen laudabiliterq; facturum, ſi ultrò ſuaq; ſponte reddat, quæ poterat omni jure retinere. Quo pertinet inſignis locus Ariſt. in Rhet. ubi ait: Melioris viri proprium eſſe nullam ob neceſſitatem juſtum eſſe, & non ſcriptis quàm ſcriptis legibus uti, atque in illis manere. Quæ enim literis mandata ſunt, ea neceſſariò cuſtodiri, quæ verò non ſcripta, minimè.

CAPUT XXII.

EXAMINATUR SENTENTIA AND. FACHINEI, DE donatione Eccleſiæ facta revocanda.

CUm ſuperiora ſic eſſem commentando complexus, inſpexi controverſias *And. Fachin. qui lib. 3. c. 84. & ſex ſeqq.* pleraſque ſupra breviter à nobis tactas quæſtiones: & in c. 86. ad quæſtionem noſtram poſtremam & propriam hujus tractatus, An d. lex locum habeat etiam in donatione Eccleſiæ facta, reſpondet eam decidi *in d. c. ult. 17 q. 4.* nempe rigore juris inſpecto non revocari ex tali cauſa donationem Eccleſiæ factam: tum quia Conſtantini Imp. lex (dicere fortaſſe voluit Conſtantii: hujus enim eſt, & Conſtantis fratris ejus, nō autem Conſtantini, ut & Tiraq. rectè monuit) non liget Eccleſiam vel Eccleſiaſticos: tùm quia qui donat Eccleſiæ, id eſt Deo per Eccleſiam, is pro ſalute animæ donare videatur. Et ſalus animæ præferenda ſit liberis. Sed ratione æquitatis & commiſerationis, quæ apud Eccleſiam, juſtitiæ cultricem, & nolentem locupletari cum jactura liberorum alterius, prævaleat, eam donationem ob ſupernatos liberos reddi donatori.

In quo c. 86. nonnulla jure deſiderari poſſe videntur: ut I. quod negat d. c. ult. textum in operibus Auguſtini reperiri. In quo Tiraq. ſequitur auctorem. Aliter eum docere poterat editio Romana Jur. Can. auſpiciis Greg. 13 adornata, ubi diſertè digitus ad fontem intenditur, id eſt, annotatur locus, ubi originaliter extet in Auguſtini operibus d. canon. II, Quod negat *d. l. 8. ſi unquam.* Conſtanti Imp.

Digitized by Google

Imp. non ligare Eccleſiam. Quo quæſo argumento non pertinet ad Eccleſiam? Sanè ſi lex tantum ad libertum donatarium reſtringatur, ſicut à recentioribus evincitur faciendum, facilè hoc conceſſerim ad Eccleſiam donatariam non pertinere: cum nunquam fingi poſſit Eccleſia, quæ alicujus privati fuerit liberta. Libertus enim per manumiſſionem ex ſervitute conſtituitur, ſive per factum hominis ea contingat, ſive auctoritate legis & ipſo jure quibuſdam caſibus. At Eccleſia ſervitutem nunquam ſervivit ulli privato homini. Et ſervam hominis alicujus aut libertam fingere Eccleſiam, valdè ſit alienum atque abſurdum. Nam quod de jure patronatus alicui fundatori & dotatori Eccleſiæ competente in Pontificio jure habetur, id longè eſt aliud ac diverſum, minimeq; huc pertinens, neque enim per id jus Eccleſia alicujus ſerva libertave conſtituitur, quæ eſt Domini Dei ancilla. Sin autem d.l. extendendam eſſe dicimus etiam ad alias perſonas licet in verbis ejus non ſint comprehenſæ (id quod contendit D. Fachin. in c. 85. omninò eſſe faciendum, unico hoc argumento, Quia non ſola verba legis, ſed & ratio ejus ac potiſſimum quidem inſpicienda ſit: Ratio autem illius legis locum habeat in quibuſvis caſibus & perſonis: quod tamen in quæſtione eſt, & adhuc ſub Judice lis pendet) ſi inquam ita generaliter valere debet ea conſtitutio in quibuslibet donatariis etiam non libertis: libenter ex eo quæſiverim, ubi in toto jure Eccleſia donataria excipiatur ab illa generalitate conſtitutionis: ut regula ſit: Donatarius omnis cogitur donatori liberos poſtea ſuſcipienti, quos tempore donationis nullos habebat, donata reſtituere. Exceptio ab ea regula ſit iſta: Niſi donataria ſit Eccleſia. Hæc enim non cogitur reſtituere, ſed poteſt jure permittente donationem ſibi factam & ſemel receptam retinere. Hæc, inquam, Exceptio, quod iterum iterumque repeto, nuſquam lecta eſt in utroque jure. Non debemus autem nobis ipſis fingere exceptiones à regulis legum, ſed leges generaliter loquentes generaliter etiam accipere: quanquam *d. l.* extra patronum & libertum quo ad alias perſonas, ita ut vulgo volunt, generalis non eſt. Scio tamen, unde illa exceptio manârit, nimirum ex illa hypotheſi: Eccleſiam & Clericos nulla lege aut Conſtitutione, aut Juriſdictione ſeculari magiſtratus politici teneri, ſed ei exemptos eſſe. De qua falſa & Ieſuitica hypotheſi alius erit dicendi locus. III. Ad illam diſtinctionem, quam ſine auctore tamen affert Fachin. inter rigorem ſive jus ſtrictum & æquitatem, quod attinet, poſſet quis dicere eam tam valere in cujuslibet privati ſeu clerici donatarii perſona, quàm in Eccleſia: cum in omnibus rigori præferenda ſit æquitas. *argum. l. 8. placuit. Cod. de LL.* IV. Non ſola Eccleſia debet eſſe cultrix juſtitiæ, ſed quilibet etiam alii: Cum lex omnium ſit regina rerum, omnes obliget, omneſque ei oporteat obtemperare. *l. 1. & 2. ff. de ll.* V. Quod ait, ſalutem animæ præferendam eſſe liberis, facilè equidem concedo, dum rectè intelligatur. Hoc tamen non eam vim habet, neque inde ſequitur, liberos bonis defraudandos, & donandum Eccleſiæ egentibus liberis. Quaſi verò animæ ſalus ſine conſtare non poſſit, niſi multum dones Eccleſiæ. Tum verò peſſimè cum pauperibus ageretur, qui non habent quod donent. Aut quaſi neſciamus, quid dicat. *Paul. 1. Tim. 5.* Eum qui curam nullam agat domeſticorum, abnegaſſe fidem & infideli deteriorem eſſe. Quaſi denique neſciamus, quid Chriſtus

P 2 judicet

judicet de iis, qui olim opinione & ſpecie pietatis offerebant Eccleſiæ, vel potius avaris ſacerdotibus, interim verò neceſſarios ſuos egere rebus neceſſariis patiebantur. *Vide & Tiraq. in verb. libertis n. 89. & ſeqq. ſcribit,* Non magis eſſe favendum Eccleſiæ quàm liberis: & horum potius eſſe majorem favorem quàm Eccleſiæ.

Et ſic mihi nulla diſſentiendi libidine laboranti videtur de iis, quæ à D. Fachin. efferuntur de noſtra differentia. Illud addo, quod Donellus verba Auguſtini accipit de eo quod deceat, quodq; honeſtum vel non ſit Eccleſiæ: idq; ex ſeqq. ejus verbis probat, ubi ait, non decere Eccleſiam ut tradat magiſtratui torquendos puniendoſq; reos criminum, v. g. qui navem compilarint, aut cauſam præbuerint naufragio. Eodem modo etiamſi fortè liceret Eccleſiæ res donatas retinere tali caſu, tamen non deceret. *Gl. in l. Papin. §. 1. ff. de inoff. teſt. & l. ſi quis ad declinandam. C. de ep. & cler.* intelligit verba Auguſt. de conſilio, in quo nulla ſit neceſſitas. *c. quod præcipitur. 14. q. 1.*

Poſtremò obſervandum cum Tiraq. *in gl. verb. libertis. num. 79. allegat. gl. c. iraſcitur. 13. q. 2.* quæ velit honeſtum eſſe, ut Eccleſia natis liberis reddat, quod ſibi ante donatum eſt, falſam eſſe citationem Can. qui ſic potius incipit, & eſt *num. 8. ſi quis iraſcitur.* Ibidem autem Auguſt. ait, ſe ſæpè hortatum eſſe teſtatores, ut Chriſto portionem relinquerent filialem: Planè, inquit, ſic faciat quod ſæpè hortatus ſum: Unum filium habet, putet Chriſtum alterum: Duos habet, putet Chriſtum tertium. Decem habet, Chriſtum 11. faciat, & ſuſcipio. Tiraquellus vult per multa allegata, quod illa honeſtas in Eccleſia includat neceſſitatem.

CAPUT XXIII.
DE DONATIONE SUB MODO FACTA.

SEquitur alia ſuperiori vicina differentia, etiam ad donationes pertinens. Notum eſt ex jure civili, Donationem aliam eſſe purè & præſenti tempore factam, aliam ſub modo vel conditione, vel ex certo tempore. Et ſiquidem ſub modo facto ſit donatio, puta ut donatarius donatori alimenta præſtet: ſi modus non impleatur, ſi legi alimentorum non pareatur, datur donatori adverſus donatarium ad revocandam donationem, non ſolum condictio, verum etiam vindicatio. *l. 1. C. de donat. quæ ſub modo ubi gl. in verb.* Condictio, etiam addit tertiam actionem, videlicet præſcriptis verbis, ut fiat quod convenit. *per l. novationis. C. de contr. empt. l. legem 9. C. de donat.* Sed ſi Eccleſiæ donatum ſit ſub modo, I. Can. volunt, non poſſe revocari donationem, licet modus non ſit impletus, ſed agi tantum ad implendum modum, *c. verum. de Cond. app. ubi gl. Innoc. & Dd. Baptiſt. de S. Blaſ. n. 56.* Quam tamen differentiam commentitiam putat Giph. *ad l. 1. C. de don. quæ ſub mod. vid. & Tiraq. ad l. ſi unquam C. de revoc. donat.*

CAPUT XXIV.
DE EMPHYTEUSI.

VIdeamus deinceps quaſdam inter utrumque jus differentias quoad Emphyteuſin & feudum. Primum igitur, Si Emphyteuſis ad certum tempus conſtituta ſit (id quod fieri poſſe alibi dictum eſt) civilis quidem ad quoſcunque heredes

des tranſit intra illud tempus, & non ad ſolos deſcendentes ex eo qui emphyteuſin ita accepit. Eccleſiaſtica verò ad ſolos deſcendentes, quibus non extantibus ſi Emphyteuta primus moriatur intra illud tempus, revertitur Emphyteuticum prædium ad Eccleſiam: niſi aliud expreſsè actum ſit, ut etiam ad extraneos heredes Emphiteuſis pertineret, *Nov.7.& Nov.120.* quæ prioris illius Nov. anguſtias in hac parte dilatat, & quod illa de filiis tantum & nepotibus conſtituerat, ad omnes deſcendentes producit. *Iul.Clar.§.Emphyteuſis. q.28.ubi plures allegat.*

Secundo ſi Emphyteuſis in perpetuum conſtituta ſit, Civilis quidem ad quoſcunque heredes tranſit: Eccleſiaſtica verò ad ſolos deſcendentes, & eos tamen omnes, etiamſi ulteriores ſint, filiis & nepotibus. *Nov.51. & Novell.120. Iul. Clar. d.q.28. Covar.2.var. reſol. c.18. concl.5. & cap.17. concl.4.* Exceptio eſt, Niſi Emphyteuſin Eccleſiaſticam quis acceperit pro ſe & quibuſcunque heredibus. *Rol. à Vall. conſ.96. num.28. & ſeq. vol.1. Covarr. d. cap.17. Gabriel. comm. concl. lib.6. De V.S. concl.4.* Ratio differentiæ eſt manifeſta, favor nimirum & utilitas Eccleſiæ. Exceptionis autem ratio eſt poſita in conventione, quæ legem contractui dedit, & ſervanda eſt juribus communibus. Excepit Juſtinianus *in dd.Nov.51. & 120.* Eccleſiam Conſtantinopolitanam majorem S.Sophiæ, & alias religioſas domos intra eandem urbem vel ejus territorium conſtitutas, à quibus datas Emphyteuſes voluit cum nepotibus accipientis extingui, atque ad Eccleſiam conſtituentem reverti. Sed ea exceptio, ut & alia multa in Jure Juſtiniano ſcripta, hodiè mutatis temporibus & imperiis nullum habet uſum.

Tertio, ſi Emphyteuſis ſimpliciter ſit conceſſa, non facta mentione filiorum vel heredum, Civilis quidem ad quoſcunque heredes etiam extraneos tranſit, Eccleſiaſtica verò tantum ad deſcendentes: ad extraneos non item, tametſi hos quoque admittat. *Covarr.d.lib.2.var reſol. c.12.concl.5.* ſed communis opinio eſt in contrarium, *teſte Iul.Clar. d.§.Emphyt.q.6. n.3. & q.27 cum ſeq.*

Quarto, Emphyteuta civilis ſi ceſſet ſolvere Canonem per triennium committit ac perdit jus ſuum. In Eccleſiaſtica per biennium. Et quidem totum canonem debet uterque Emphyteuta ſolvere *l.2. C. de jur. Emphyt. auth. hoc jus porrectum. C.de ſacroſ. Eccleſ. quæ Canonizatur in c. 2. ea enim. num.10. q.2. c.3. propter ſterilitatem. in fin.& c.4. potuit.ext. de loc. & cond.* Additur in his duobus capitulis exceptio, Niſi Emphyteuta poſt commiſſam moram celeri ſatisfactione ſibi providere atque conſulere ſtuduerit. Ex quibus verbis naſcitur nova & quidem V. differentia: nempe quod Emphyteuta Eccleſiaſticus (Idem autem quod in Emphyteuta etiam in conductore ſive colono, ſive inquilino juris eſt. *Bart.de diff. inter jus can. & civile. num.10.*) qui in ſolutione Canonis per biennium ceſſavit, poſſit hanc moram purgare & pœnam caducitatis atque expulſionis evitare oblata celeri ſatisfactione: Idem verò nuſquam legitur etiam Emphyteutæ civili permiſſum, proindeque beneficium indultum Jure Canonico ſoli Emphyteutæ & conductori Eccleſiæ, non debet etiam ad quemlibet civilem Emphyteutam porrigi: quod tamen vulgò quidam faciunt, nullo ſubnixi fundamento. Nam quod pro ſua ſententia allegant *d c. potuit*, ſciendum, *ibi, ut & in praced. c. propter.* non agi de quolibet, ſed tantum de Eccleſiæ Emphyteuta. Ratio quoque in Ec-

cleſia Emphyteuſeos domina militans ceſſat in alio civili ſive Laico domino: nempe hoc, Quod Eccleſia mitiùs ac benignius agere debeat cum ſuis Emphyteutis, & admiſſâ celeri ſatisfactione ſive purgatione moræ pœnam caducitatis ipſis remittere. Cui & hoc accedit, quod quò plus temporis habuit Emphyteuta civilis quàm Eccleſiaſticus, eò majori odio dignus videtur, ſi ne intra id quidem ſolverit. Ille enim triennium habuit, hic verò duntaxat biennium. Quò facit illud vulgatum: Relevatus in uno debet gravari in alio, & contra: Gravatus in uno relevandus eſt in alio. Eamque ſententiam, quod Emphyteuta privati ſive civilis poſt lapſum triennii non debeat admitti ad purgandam moram, noviſſimè etiam probavit. *Fachin. lib. 1. controv. cap. 98. contra Bald. Ang. & Sarmient. 3. Select. interpr. cap. 5.* Quæret aliquis, quænam ſit dicenda celer ſatisfactio, quam offerens Emphyteuta & moram purgare volens ſit audiendus. Alii definierunt quatuor, alii 2. menſes alii decem dies, alii triduum tantum, alii tempus quod præcedit litis conteſtationem: alii quod ſententiam. Quarum ſex diverſarum ſententiarum auctores & fundamenta refert *Iac. Menoch. caſ. 7. De arbit. jud. q. addens tandem n. 13. & ult.* Septimam ſententiam, quam probo, quod hoc relinquendum ſit arbitrio judicis, qui pro qualitate rei & perſonarum arbitrabitur, & v. g. diviti ac pecunioſo Emphyteutæ minus ſpatii ad purgandam moram concedet, quam alicui pauperi.

Sexto, Civilis Emphyteuſis ad ſui ſubſtantiam non neceſſariò requirit ſcripturam, ut docui pluribus *in Partit. feudal.* Sed in Eccleſiaſtica Emphyteuſi ſcriptura cenſetur de ſubſtantia ejus. *d. Auth. hoc jus. C. de ſacroſ. Eccleſ. Nov. de alienat. & Emphyt. Weſenb. in* ꝶ. *ſi ager vectig. vel Emphyt. pet. n. 2. Et probari poteſt etiam ex c. 52. ſine exceptione in fin. 12. q. 2.* ubi in alienatione rerum Eccleſiæ ab Epiſcopo facta requiritur ſubſcriptio clericorũ, ſine qua irrita eſt omnis alienatio. Si igitur in alienatione tali requiritur ſubſcriptio, ergo etiam ſcriptio ſive ſcriptura, ſine qua ſubſcriptio ne intelligi quidem poteſt. Alienationis autem ſpeciem eſſe Emphyteuſin nemo dubitat: & diſertè ſcripſum eſt *in c. 5. nulli liceat ext. de reb. Eccleſ. al. vel non.*

CAPUT XXV.
DE FEVDO.

HÆc de Emphyteuſi. De Feudo ero brevior: quia plura cùm ex aliis peti poſſunt, tum ex partitionibus noſtris juris feudalis, quæ extant. 1. igitur ſit differentia, Quod feudum ſeculare, ſive Laicum novum conceſſum alicui jure feudi antiqui, induat naturam antiqui & eundem cum antiquo effectum habeat. *Clar. §. feudum quæſt. 8. Mynſ. cent. 4. obſ. 54. Gail. 2. obſ. 50. Gabriel. 3. com. concl. tit. de feud. concl. 1.* Aliud eſt in feudo Eccleſiaſtico, puta quod vel Epiſcopus vel Abbas vel alius Eccleſiæ prælatus alicui concedit. Hoc enim ſi novum ſit, & conceſſioni talis lex adjiciatur, ut habeatur jure antiqui, non induet propterea naturam antiqui, nec jure antiqui cenſebitur. *Gabriel. d. concl. 1. n. 6. Rol. à Vall. conſ. 60. num. 15. & ſeqq. vol. 1.* Ratio differentiæ eſt, quia privatus aliquis poteſt rei ſuæ legem quam vult dicere, cum ſit ejus liber moderator & arbiter: & poteſt ſtatum ac conditionem ejus etiam deteriorare. *l. 21. in re mandata. C. mand. l. 2. ff. ſi à par. quis man. fuer. l. 14. dudum. C. de cont. empt.* At prælatus aliquis in bonis Eccleſiæ tantum juris non

habet,

Digitized by Google

habet, ut conditionem eorum deteriorem facere poſſit, cum eorum non ſit dominus, ſed tantum adminiſtrator, & rebus Eccleſiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur: proindeque meliora tantum proſpicere & abſque dubio profutura Eccleſiæ eligere debeat *cap. 52. ſine exceptione. 12. q. 2. c. 7. cum Apoſtolica. De his quæ fiunt à prælato ſine conſenſu capituli.* Eſſet autem durior ac deterior conditio Eccleſiæ, ſi feudum novum deberet jure antiqui cenſeri, quia difficilius antiquum quàm novum feudum ad Eccleſiam revertitur ſive ei aperitur: quod ex doctrina feudali de ſucceſſione feudi ſatis intelligitur. Secunda differentia: Laicus poteſt bona ſua in feudum dare abſque diſcrimine, ſive ſolita ſint infeudari, ſive non, dum tamen liberam habeat eorum adminiſtrationem. *c. un. §. novi. Per quos fiat inveſt. Ferrarienſ. pract. in form. lib. quo agitur ad revoc. feud. in verb. ac nomine recti & nobilis feud. n. 15.* At Epiſcopus vel alius prælatus res Eccleſiæ non ſolitas infeudari non poteſt in feudum dare, niſi accedat conſenſus capituli, & ſolennis ac diligens ſuper ea re tractatus inſtituatur *d. c. 52. ſine exceptione. 12. quæſt. 2. c. 1. & 2. de reb. Eccleſ. non alien. lib. 6. Gail. d. obſ. 50.* Ratio eadem eſt, quæ in prima differentia. Cur autem res ſolitas infeudari poſſit etiam ſolus prælatus in feudum concedere, ratio eſt, quia hîc non læditur jus Eccleſiæ, neque deterior conſtituitur ejus conditio.

Tertio, In feudo ſeculari ſucceſſor Laicus feudi omninò cogitur ratam habere inveſtituram ab anteceſſore ſuo alicui factam, quandocunque apertum fuerit feudum ſive vivo anteceſſore, qui inveſtituram fecit, ſive eo jam mortuo. At in feudo Eccleſiaſt. ſucceſſor Epiſcopi vel prælati, qui inveſtituram alicui fecit de feudo nondum aperto, & ante ejus aperturam deceſſit non cogitur ejus inveſtituram ratam habere; Niſi is, qui inveſtituram talem accepit, ſimul etiam in poſſeſſionem feudi cum conſenſu vaſalli poſſeſſoris miſſus ſit: vel niſi acceſſerit ad inveſtituram à prælato factam conſenſus etiam capituli. *Io. Borch. de feud. c. 7. n. 20. Hart. Piſt. lib. 2. q. Iur. parte poſter. q. 17. Gail. lib. 2. obſ. ult.*

Ratio differentiæ eſt, quia Laicus ſucceſſor ſive heres ſuccedit in univerſum jus quod defunctus habuit. *l. nihil aliud. ff. de V. S. l. hereditas. ff. de R. I.* Ideoq; non poteſt venire contra factum defuncti, ſed id præſtare cogitur. *l. ex qua perſona. De R. I. l. cum à matre. C. de R. Vind. l. ſi ab eo. C. de lib. cauſ.* Non idem dici poteſt de ſucceſſore prælati, qui non eſt heres prædeceſſoris, nec hereditario, ſed electionis jure in ipſius locum venit. Cum itaq; cauſſam ab eo non habeat, ſed à Capitulo eligente, non eſt mirum, ſi ejus factum non cogatur ratum habere. *d. l. ex qua perſona. à contrario ejus legis ſenſu. De R. I.* Ratio autem duarum illarum exceptionum, quas antea attuli, facilis eſt. Operatur enim eam firmitatem ſenſus vel vaſalli & poſſeſſoris veteris, vel etiam capituli, ut jam ſucceſſori prælati integrum non ſit ab eo reſilire, vel facto anteceſſoris ſui contravenire, cum id non fuerit ſolum, ſed conſenſu tali velut munitum ac roboratum.

Quarto, Feudi ſecularis & novi inveſtitura debet fieri coram paribus curiæ: ſicut per eoſdem etiam probari debet: niſi defectum parium extranei admittantur. At in feudo Eccleſiaſtico tàm veteri quàm novo pariter ad teſtimonium admittuntur, & pares curiæ & extranei. *cap. 1. Quid ſit inveſt. & c. un. Quib. mod. feud.*

Digitized by Google

feud.conſt. poteſt. c.ult. §. fin. Qui teſt. ſint neceſſ. ad novam inveſt. c. un. §. in clericor. ſi de inveſt. inter dom. & vaſ. lu ori. Borch. c.7. Quomodo feud. acquir. per inveſt. num.26. Ratio differentiæ in Partit. eſt expoſita, neque hîc denuò inculcanda.

Quinto, Feudum ſeculare præſcribitur ſpatio 30. annorum. Si quis enim tanto tempore rem aliquam tanquam feudum continuè poſſederit, & ſervitium interim ſemel ad minimum de ea præſtiterit, is deinceps pro vaſallo & res poſſeſſa pro feudo habebitur, etiamſi de ea nec inveſtitus ſit, nec ab initio feudalis fuerit. *c.un. §. ſi quis per 30. ann. Si de feud. def cont. ſit. Zaſ. Epit. feud. tit. Qualiter feud. conſt. num.30. Mynſ. cent. 4. obſ.29. Borch. c.7. de præſcript. n.4.* Sed Eccleſiaſtici feudi præſcriptio requirit XL. annos. *Zaſ. d. tit. n.31. Mynſ. d. obſ.29. Borch. d.c. de præſcr. n.8. Bald. de præſcr. part.4. quartæ part. pr.1. q.12.*

Porrò quia feudum continet ſpeciem quandam ſervitutis, adjungamus hac occaſione etiam quidpiam ſimile, in quo item differt Jus Can. à civili. Illo namq; jure licet alicui tranſeunti per agrum alienum, etiamſi jure ſervitutis id non faciat, avellere ſpicas vel defringere uvas, ac comedere ob neceſſitatem famis, dum ne quid inde ſecum aſportet. *c.1. diſt.1. & c.26. diſcipulos. De conſecr. diſt.5.* ubi allegatur exemplum diſcipulorum Chriſti, quorum factum ſummus cœleſtis magiſter defendit à crimine. Jure autem civili hoc non licet, niſi ei qui ſervitutem ſibi conſtitutam habeat, *l. per agrum. C. de ſervit. & aqua & probatur in d.c.1. Diſt.1. in fin.* Tranſire per alienum agrum fas eſt (id eſt, juris divini eſt) jus non eſt, id eſt, lege humi permiſſum *ex Iſid.5. Etymol. vid. Bapt. de S. Blaſ. in Tr. de diff. Iur. Can. num.33.* Ratio Juris Can. eſt poſita in humanitate, quaſi connivente ad factum ejuſmodi, quod & famis neceſſitas excuſat. Unde & aliàs volunt furtum nonnihil excuſari poſſe.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBRI QUARTI.

CAPUT I.

DE VLTIMIS VOLVNTATIBVS: ET PRIMVM DE teſtibus in teſtamento adhibitis.

NUnc à contractibus ad ultimas voluntates abeamus, & differentias, quæ circa eum Juris articulum ſunt, colligamus: quarum hæc ſit prima, in numero Teſtium teſtamenti. Jure civili conſtat, in omni teſtamento ſolenni VII. requiri teſtes, eoſq; puberes, cives Romanos, mares, non fœminas: rogatos, non fortuitos *§. ſed cum paulatim. I. de teſt. ord. l.21. hac conſultiſſ. & l.30. noſtram. C. de teſtam. l. heredes palam. ff. eod.* In aliis verò ultimis voluntatibus, ut Codicillis, ut donatione cauſa mortis, &c. V. teſtes neceſſarios eſſe. *l.ult. C. de codicill. l. ult. C. de don. cauſſ. mort.* Ratio ejus juris redditur *in l.ult. C. de fideicom.* nempè idcircò plures requiri teſtes, ut per amplio-

ampliores, id eſt, plures homines perfectiſſimè veritas reveletur, & ne quid falſitatis committatur circa ultimas hominum voluntates, quas exitum habere publicè utile eſt. *l. 1. C. de SS. Eccleſ. & l. 5. ff. teſt. quem aper.* Nam cum omne falſum ſeverè leges puniant, tum vel maximè id quod in teſtamentis committitur: unde & de falſo teſtamento primò l. Cornelia lata, deinde etiam ad alia falſi genera producta eſt. Si igitur minor ſit numerus teſtium hæc juſta eſt cauſſa impugnandi teſtamentum jure civili: exceptis paucis caſibus, ut ſi ſit teſtamentum inter liberos: ſi militare, ut ſi ſit teſtamentum actis inſinuatum, ut ſi tempore peſtis factum, ſecundum Dd. ut ſi ruri factum à ruſticis.

Jure autem Canonico valdè eſt imminutus hîc ſeptenarius numerus. Cautum eſt enim ſub pœna anathematis, ne quis auſit teſtamentum reſcindere ſub hoc prætextu, quod non habeat ſubſcriptionem VII. vel V. teſtium. Ac firma jubentur permanere teſtamenta facta à paræcianis coram presbytero & tribus vel duabus aliis idoneis perſonis. *Alex. 3. c. 10. cum eſſes De teſtam.* Nititur Pontifex *in d. c. ut & in c. ſeq. relatum eod. tit.* ratione ſumpta ex dicto ſacrarum literarum: In ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum. *Deut. 12. Matth. 18. Luc. 17. & Ioan. 8.* Sed reſponderi poteſt. I. Illud dictum eſſe intelligendum de teſtibus judicialibus alicujus facti, cui fortè adfuerunt, vel intervenerunt, quod viderunt vel audiverunt: non de teſtibus ad teſtamentum rogatis & adhibitis.

II. Illam generalem regulam de duobus vel tribus teſtibus eo caſu valere, quo numerus teſtium non ſit definitus aliqua lege ſpeciali. *l. 12. ubi numerus. ff. de teſtibus.* hîc autem numerus teſtium teſtamenti eſt definitus, nempe ſeptenarius, & quidem non fruſtra, ſed gravem ob cauſam definitus. *ut ſupr. d. ex l. ult. C. de fideic.* Non eſt igitur exiſtimandum, quaſi Deus ſalutares hujuſmodi leges voluerit ſua generali regula improbare & rejicere: ſed potius dicendum, ut aliàs in toto jure generi per ſpeciem derogatur, ita hîc quoque fieri, & id potiſſimum ſumendum quod ad ſpeciem directum eſt. *l. in toto jure ff. de R. I.* Præterea Jus Can. etiam fœminas teſtes in teſtamento admittit, quas repudiat jus civile. *§. teſtes. De teſt. ordin. l. qui teſtamento. §. mulier. ff. qui teſtam. fac. poſſ. dict. l. hac conſultiſſ.* Rationem reddunt Dd. hanc, quia Jus Can. in teſtamentis ſpectet Jus gentium, quo jure nulla debeat eſſe differentia inter maſculum & fœminam, *argum. l. 4. maximum vitium. C. de lib. præter. Ita poſt alios Bapt. à S. Blaſ. n. 37.* Sed dicendum eam legem agere de ſucceſſionibus liberorum utriuſque ſexûs ſublato inter mares & fœminas diſcrimine, quod erat jure civili conſtitutum. At hinc non ſequitur, omnem propterea differentiam ſexûs ſublatam cenſeri debere: cum in multis juris articulis adhuc ſit & maneat deterior conditio fœminarum quàm maſculorum. *l. in multis. ff. de ſtat. hom. & l. 2. fœmina. ubi Dd. De R. I.* quod diſcrimen maximè in actibus ſolennibus cernitur. Quærunt autem Dd. an d. Jur. Canon. diſpoſitio etiam in terris Imperii valeat & obſervanda ſit. Et plerique reſpondent eam non niſi in terris Eccleſiæ valere debere: Sed Jus Civile obtinere in imperio.

Digitized by Google

CAPUT II.

DE TESTAMENTO AD PIAS CAVSAS: & imperfecto.

EXcipiunt teſtamentum ad pias cauſſas, quod volunt non tantum in foro Eccleſiaſtico, ſed etiam civili valere & firmum eſſe, etiamſi tantum duos habeat teſtes, etiam fortuitos & non rogatos, etiam fœminas non maſculos: etiamſi non adfuerit presbyter parœcianus. *Iul. Clar.* §. *Teſtament. Q.6. n.2 &c. Wurmſ. pract. obſerv. rubr. de teſt obſerv.1. num. 1. & 2. late Did. Covarr. in repet. c.11. relatum. ext. de teſt. & And Tiraq. De privil. pia cauſſa.* Huic enim teſtamento ad pias cauſſas tribuunt Dd. eadem privilegia, quæ ſunt conceſſa teſtamento inter liberos: quod tamen nullo textu probant vel civilis, vel Canonici juris. Et ſi eadem competerent hîc privilegia, tum valeret etiam Schedula quævis manu teſtatoris ſcripta reperta, nec coram teſtibus publicata, continens diſpoſitionem aliquam ad pias cauſſas: quod tamen falſum eſt, ut docet poſt *Iul. Clar.* §. *Teſtament. q.7. & Iac. Toming. Dec.4. etiam And. Fachin. lib.4. controv. c.3. ſub fin.* Quod ſi Juſtin. religioſiſſ. Princeps, & qui piis cauſſis ſemper maximoperè favit, hoc voluiſſet, ut in iis idem valeret, quod in teſtamento inter liberos, profectò rem tanti momenti ſilentio non prœteriiſſet in ſua Nov. de teſt. imperf. in qua nullum verbum de piis cauſſis reperias. Erubeſcamus igitur hîc nos quoque ſine lege loqui. Sic etiam teſtamentum imperfectum ratione voluntatis, v. g. quod cœpit teſtator condere, ſed fortè impeditus non abſolvit, nec pro abſoluto habuit, nullas habet vires, ne quidem quo ad pias cauſſas, quibus aliquid in eo eſt relictum. *Nic. Boer. Deciſ 93 n.10. & Deciſ.240. nu.4 & ſeq. pro qua ſententia in Camera quoq; judicatum refert Myn ſ. cent.5. obſ. 28. n.3.*

CAPUT III.

DE TESTAMENTO NVTV FACTO: ET AD INTERROgationem alterius, & de captatoria inſtitutione.

SEquitur alia differentia. Jure Canonico etiam nutu factum teſtamentum valet. Etiamſi enim teſtator obmuteſcat, tamen ſufficit eum ad interrogationem alterius annuere præſentibus teſtibus. *gl in c cum tibi 13. in verb. diſpoſitionem. de teſta Bapt. de S. Blaſ. n.193. quam gl. ſingularem dicit Bald. in l 1. C. de SS. Eccleſ.* Cujus ratio eſſe poteſt, quia etiam nutu declarari poteſt voluntas. Et quia Jus Can. in teſtamento ea potius ſpectari vult, quæ ſunt jurisgentium: ut notant omnes ad *d. c. cum eſſes. eod. tit.* Jure autem civili tametſi quædam ſint, quæ nutu relinqui poſſint, ut fideicommiſſa. *l. nutu. ff. de leg.3. in epiſtola. C. de fideic.* tamen ipſa heredis inſtitutio, quæ eſt caput & fundamentum teſtamenti. §. *ante heredu. I. de legat.* nutu fieri nequit. *l heredes palam l. ſi is qui & ibi Paul. caſtr. ff. de teſt. l diſcretu.10. C. qui teſt. fac.* § *item ſurdus. ubi Schneid. n.3. Inſt. Quib. non eſt perm: ff fac. teſt. Wurmſ. in obſ. pract. tit. De teſtam obſ.5. n.6.7. & 8.* Excipiunt hic quoq; teſtamentum factum ad pias cauſſas, quod volunt etiam nutu fieri poſſe. *Iul. Clar* §. *Teſtamentum. q.6. nu.7. Wurmſ. d. obſ.5. n.8. & 9.* ubi tamen hoc notabiliter reſtringit & limitat. Diverſa quidem

Digitized by Google

quidem nonnihil, huic tamen vicina, eſt quæſtio illa de teſtamento ad alterius interrogationem facto, nō quidem ab annuente tantum, ſed aliter ſuam voluntatem & conſenſionem declarante, an id teſtamentum valeat: & illa, an prius ſolenniter factum per id infirmetur ac tollatur. Ad utramque quæſtionem affirmativè reſpondet *Fach. lib. 5. controv. c. 69. & ſeq.* diluens etiam argumenta, quæ ei ſententiæ objici poſſunt.

Sequitur nova differentia. Jure civili non valet inſtitutio captatoria, i. e. in arbitrium alterius collata, ſive, ut JC. loquuntur, in ſecretum alienæ voluntatis. *l. illa inſtitutio l. ſi quis Sempronium. l captatorias. ff. de her. inſt. l. 11. captatorias. C. de teſt. milit. l. 46. captatoria ff. de leg. 1.* Jure autem Canonico voluntas teſtatoris, maximè quoad pias cauſſas, poteſt committi in alterius arbitrium ſive diſpoſitionem, nec ob id captatoria cenſetur. *c. 13. cum tibi. De teſtam. Bart. in diff. Iur. Civ. & Can. n. 105. Bapt. de S. Blaſ. eodem Tr. n. 126.* Ratio eſſe videtur favor piæ cauſſæ, & quia hîc non videtur metuenda eſſe talis fraus qualis in captatoria inſtitutione aliàs timetur. *vid. omninò ad illud cap. cum tibi Pariſ. conſ. 58. vol. 3. & A. Fach. 5. controv. jur. c. 57.* ubi integram ponit Innoc. epiſtolam: & vult id c. nullam continere differentiam, ſed omninò conſentaneum eſſe Juri civili.

CAPUT IV.

AD C. VLT. EXTR. DE SVCCESS. AB INT. REFVTATIO falſæ differentiæ cujuſdam inter utrumque jus de hereditate pactis danda.

PORrò quod hereditas pactis dari non poſſit, neque adimi, ſupr. jam vidimus, cum ageremus *de c. quamvis de pact. lib. 6. quib. addantur tradita à Fachin. lib. 8. controv. Iur. c. 69. & 2. ſeqq.* Quod autem Bapt. S. Blaſ. inter ſuas differentias, *n. 171.* etiam hanc ponit, Jure Can. hereditatem pactis dari poſſe, cum non poſſit Jure civili, niſi inter milites *l. licet inter privatos. C. de pact.* & allegat in eam rem *c. ult. ext. de ſucc. ab int.* Sciendum eſt id c. impertinenter allegari. Neq; enim ibi quæritur, An pactis dari poſſit hereditas, ſed an oblatio ſui & bonorum ſuorum, quibuſdam rebus uſui ſuo reſervatis, facta monaſterio ab Archipresbytero quodam, de qua tamen non ſatis conſtabat liquidò, & ab eodem poſt 20. annos in ultima voluntate confirmata valeret. Hac enim de re controverſia erat inter Abbatem ejus monaſterii & inter Epiſcopum Edunenſem, qui ſibi ea bona vindicabat poſt mortē Archipresbyteri. Reſpondet Pontifex, valere hanc ultimam voluntatem, ſi mentis compos eam expreſſerit: non valere, ſed potius inteſtatum deceſſiſſe archipresbyterum, ſi alienata mente fuerit cum talia diceret. Prius præſumi pro Monaſterio: poſterius probandum eſſe ab Epiſcopo affirmante. Quæ omnia juri civili ſunt conſentanea nec ullam cōtinent differentiam: quod erroris cavendi cauſſa hîc obiter inter veras monere volui. An autem pactum de futura ſucceſſione viventis ſine ejus voluntate & conſenſu poſſit jurejurando paciſcentium confirmari *vid. Fachin. d. lib. 8. c. 72. poſt A. Gail. lib. 2. obſ. 126.* & alios ab ipſis allegatos, ubi concludunt, non confirmari, contra quam Zaſ. putabat *lib. 2. conſil. 1. nu. 38.*

Digitized by Google

Caput V.

De remediis legatario ad conſequendum legatum competentibus.

SEquens differentia pertinet ad remedia legatario ad conſequendum legatum competentia. Jure civili notum eſt, Legatario tres dari actiones pro legato: videl. 1. actionem in perſonam ex teſtamento. 2. Rei vindicationem. 3. hypothecariam. §. *ſed olim. I. de leg. l.1. C. com. de legat.* In perſonam quidem, quia heres adeundo hereditatem videtur cum legatariis quaſi contrahere, ipſiſq; ſe ad præſtanda legata quæ defunctus reliquit, obligare. §. *heres. I. de oblig. qua quaſi ex cont. naſc.* Et ex illa obligatione, quæ ex quaſi contractu deſcendit, actio in perſonam naſcitur. Obligatio enim cum ſit vinculum perſonæ, *init. tit. I. de Oblig.* ſolet eſſe mater actionum perſonalium, *l. licet.* §. *ea obligatio. ff. de procur.* Rei vindicationem verò, quia dominium rei legatæ vi & poteſtate legis recta via tranſit à teſtatore defuncto in legatarium, etiamſi nondum poſſeſſionem ejus apprehenderit. *l. à Titio in fin ff. de furt. l. 80. Legatum. ff. de leg. 2.* Hypothecariam denique, quia legatarius, quamdiu caret re legata, habet omnia bona hereditaria interim ſibi tacitè obligata pro rei legatæ præſtatione. *vid. de his. 3. remediis poſt Dd. in l. 2. C. comm. de leg. etiam Hart. Hartm. pract. obſ. tit. de legat. obſ. 1. n. 12. & 3. ſeqq.* Jure autem Can. acceſſit etiam quartum remedium, nempe condictio ex canone, ſive imploratio officii Epiſcopi: quod & Speculator monuit *in tit. De act. ſeu petit. §. ſequitur. n. 36. & Hart. d. obſ. n 23. per textus in c. 3. c. 6. ſi heredes. c. 17. tua. c. 19. Ioannes. ext. de teſt.* ubi cura exequendi legata & ultimas voluntates injungitur Epiſcopis ejus loci ſive Diœcœſanis, ſi implere ceſſent heredes vel executores, ut ita vota defuncti adimpleantur. *vid. & Io. Oldend. De Execut. ult. vol. c. 2. n. 11. & c. 7. num. 7. cum ſeqq.* Obſervandum tamen, pleraque omnia capitula jam hac de re adducta loqui non de quavis ultima voluntate per Epiſcopum exequenda, ſed tantum de piis voluntatibus ſive de legatis, quæ venerabilibus & piis locis ſunt relicta. Sicut & *l. 28. nulli licere,* quæ ſimiliter eam curam delegat Epiſcopo, *ut & Auth. ſeq. licet teſtator. C. de Ep. & cler.* loquuntur de legatis & fideic. ad redemptionem captivorum relictis, quæ item eſt pia cauſſa. Quamvis fatear *c. 6.* quod ex Concilio Maguntino ſumptum eſt, generale eſſe, loquens ſc. ſimpliciter de juſſis teſtatoris & votis defuncti quibuſvis adimplendis. Hîc obiter moneo etiam aliud quoddam pro legatis à Dd. excogitatum eſſe remedium, quod vocant Executivum: quo legatarius, nullo exhibito libello & ordinaria via actionis prætermiſſa, poſſit ſimpliciter impetrare præceptum ſive inter locutionem judicis contra heredem, ut de legato ſatisfaciat: quod remedium in Camera probatum fuiſſe teſtatur. *Mynſ. cent. 5. obſ. 61. n. 6* ubi tamen adjungit hujus ſententiæ quaſdam limitationes neceſſarias. Memini autem aliquando Præceptorem meum Dn. Giph. totam hanc viam executivam gloſſographorum ſeu pragmaticorum improbare, quod hæc duo ſibi invicem adverſentur, Actio & juſſus ſive præceptum judicis *arg. l. 3. ff. Ne vis fiat ei qui in poſſ.* Illud ſcil. remed. ſit ordinarium, hoc extraordinarium.

Digitized by Google

CAPUT VI.

DE HEREDE NON IMPLENTE ULT. voluntatem defuncti.

SEquitur alia differentia quoad heredem qui non implet voluntatem defuncti. Jure quidem civili diſtinguitur hoc caſu inter heredem extraneum & filium: ut extraneus non implens ultimam voluntatem defuncti, omni penitus ſucceſſione privetur, & perdat omnia ſibi in eo teſtamento relicta: Filius autem heres inſtitutus ſi non pareat ultimæ voluntati defuncti, non planè omni ſucceſſione privetur, ſed legitimam retineat ſalvam. *l. ult. & auth. hoc amplius. C. de fideicom. Nov. 1.*

Ratio hujus differentiæ quam conſtituit jus civile inter heredem extraneum & filium, evidens eſt, quia legitima cum ſit natura debita filio, non tàm facilè eam perdere poteſt. Neque enim tam ex judicio teſtatoris, quam ex ipſius diſpoſitione legis, unde nomen quoque accepit, illam conſequitur. At extraneus heres totum ex judicio & beneficio teſtatoris conſequitur: erga quem cum videatur eſſe ingratus non impleta ejus ultima voluntate, nihil miri eſt, ſi ob hanc cauſſam totum amittat, quod alias habiturus fuiſſet, ſi voluntati defuncti obtemperaſſet. Ita inquam res habet Jure Civili. At Canonico nullum ſervatur diſcrimen inter heredes, ſed æquè filio atque extraneo, ſi non impleverit voluntatem defuncti, omnis res ei relicta cum fructibus & cæteris emolumentis interdicitur & aufertur. *d. c. ſi heredes. ext. de teſt. c. 13. Sylveſter. 11. q. 1. c. 6. licet univerſis. ext. de voto & voti redempt.* ubi Innoc. 3. reſcribens Andreæ Duci, Regis Hung. filio & fratri, inter alia his utitur verbis: Ne ſi onus tibi à patre injunctum & à te ſponte ſuſceptũ, occaſione qualibet detrectaveris, paterna te reddas ſucceſſione indignum, & hereditatis emolumento priveris, cujus recuſaveris onera ſupportare. Erat autem illud onus, votum ultra marinum de expeditione Hieroſolymitana, quam pater morte præventus, ſicut voverat ſuſcipere non potuit, & filio ſecundo genito injunxerat ſub interminatione maledictionis paternæ. Ratio autem Jur. Can. eſt æquitas & favor ſummus. Differentiam hanc Juris utriuſque annotarunt etiam *Bart. num. 67. & Bap. à S. Blaſ. num. 106.* Quæri hoc loco poteſt, cum ſimpliciter dicatur Jure Can. poſſe heredes quoſvis cogi ab Epiſcopo adimplendam voluntatem defuncti, *d. d. cc. 3. 6. 17. 19. De teſt.* an igitur eo jure facultas detrahendi retinendique vel legitimam, vel Falcidiam, vel Trebellianicam cenſeri debeat ſublata & adempta? Quanquam non deſint qui hoc putent, ut etiam in iis eſt Joan. Emericus à Rosbach. *tit. 5. num. 4. & 5. de comp. Iur. Civ. & Can.* tamen hanc ſententiam probare minimè poſſum. Neque enim veriſimile eſt voluiſſe quenquam Pontificum Jura illa quattarum tot vigiliis excogitata à JCtis & LL. latoribus tam leviter & generalibus verbis abrogare & abolere. Quod igitur dicitur in memoratis ante locis, heredem cogendum implere voluntatem defuncti, id cum grano ſalis accipere oportet, nempe ſalva ſive detractione legitimæ, Falcidiæ, vel Trebellianicæ, niſi eam aut prohibuerit teſtator, aut ea ſe fecerit indignum vel nimia dilatione, vel etiam recuſatione illius implementi voluntatis:

Digitized by Google

ſicut in legatis ad pias cauſas heres fruſtrator & morator qui ea præſtare diſtulerit, falcidiam perdit *ex Nov.131. De Eccleſiaſt. titulo, ſecundum quam intelligenda eſt etiam Auth. ſimiliter. Cod. ad l. Falc.*

CAPUT VII.
DE POENA HEREDIS CONFECTIONEM *Inventarii omittentis.*

SEquens differentia pertinet ad pœnam heredis omittentis confectionem Inventarii. Quæ res ut intelligatur, illud repetendum eſt primo *ex l. ult. C. de Iur. delib.* Heredem teneri ad ſolvendum omne æs alienum defuncti etiam ultra vires hereditatis, niſi adierit hereditatem cum beneficio Inventarii: cujus etiam mentio fit *in §. ultim. I. de her. qual. & differ.* Cur teneatur etiam ultra vires hereditarias, ratio eſt poſita in repræſentatione perſonæ defuncti, quam ſuſtinet heres: & hereditas eſt ſucceſſio in univerſum jus quod defunctus habuit: unde fit ut in hereditate multa ſint onera, quæ ipſam faciant damnoſam. *l.32. ff. mand. argum. l.1. ff. de bon. poſſ.* Inventarii autem beneficium ex favore & commiſeratione erga heredem indultum eſt ab Imp. ne ei officium adeundi damnoſum eſſet, eumque gravaret ſolvendo aëre alieno defuncti ultra quam ab eo accepit. Cum enim triſte ac miſerabile ſit, nec ignominia quoque careat, decedere ſine herede, & bona alicujus diſtrahi ſub ipſius nomine, intelligimus facilè, quam non vulgare beneficium & officium defuncto præſtet heres cum hereditatem alicujus adit: quod iniquum & grave foret, ipſi damnoſum eſſe. Itaque Inventarii hic eſt inſignis effectus, quod præſtet adeuntem heredem tutum ac ſecurum, & ſalva ei conſervat omnia ſua jura, ut actiones non confundantur, & reddit eum ſine damno. *Pariſ. conſ.63. n.25. vol.1. & conſ.69. num.161. vol.3.* Si quis igitur heres confectionem Inventarii omiſerit, Jure Civili non ſolum perdit detractionem Falcidiæ vel Trebellianicæ (legitima tamen à filio ex hac cauſa non amittitur ſecundum quaſdam. *Gail. d. obſ. num.14.* tametſi contrarium doceat *Giph. ad l. ultim. C. de I. delib. in quæſtionibus*, etiam legitimam omiſſione Inventarii amitti.) verum etiam ultra vires hereditarias in ſolidum tenetur creditoribus & legatariis, ut communiter notant *Dd. in l. ult. C. de I. delib. vid. & A. Gail. 2. obſ.118. ubi tamen de Trebellianica diſſentit.* Jure autem Can. perdit quidem etiam illud jus detrahendi quartam. *c. Reinaldus. ext. de teſtam.* Sed tamen ultra vires hereditatis non tenetur. Cujus juris rationem aſſignant æquitatem. Ita *Baptiſt. de S. Blaſ. num.191. allegans Angel. in d. l. ult. §. ſi vero poſtquam C. de Iur. de ib.* Bart. tamen *num.178.* ait, Jure Canonico, ſolennitatem illam Inventarii non videri attendi, ſed ſemper heredem teneri in ſolidum tàm in delictis, quàm in contractibus defuncti, ſive aliquid ad heredem pervenerit, ſive nihil, & ſive lis cum defuncto fuerit conteſtata, ſive non. *allegat c.3. ſi Epiſcopum. 16. q.6. c. 5. in literis. ext. de raptor. & c.34. Epiſcopus. 12. q.2.* quibus locis omnibus indiſtinctè jubentur heredes conſulere indemnitati ejus, cui defunctus nocuit, & obligatus manſit cum decederet. Qua de re, & hujus juris ratione, dicam infra cum de differentiis in criminalibus agam.

Caput VIII.

DE LEGITIMA LIBERORVM.

SUccedit una atque altera differentia ad Legitimam liberorum pertinens. Primò igitur Jure civili alienata à parentibus in fraudem legitimæ liberorum revocare poſſunt filii uſque ad legitimam non ex quavis cauſa, ſed tantum ex lucrativa, puta titulo donationis. Ex oneroſa autem cauſa puta venditionis titulo aut permutationis, alienata revocare non poſſunt, *tot. tit. C. de inoff. donat. l. 2. non uſque adeò. ff. ſi à par. quis man. ſit.* Sed Jure Can. non diſtinguitur inter cauſas alienationis, lucrativæ ſint, an oneroſæ: ſed alienata ſemper & abſque diſcrimine pro conſequenda liberis legitima revocari poſſunt. *c. Rainutius ext. de teſtam. ubi Hoſtienſ. not. Bart. Bald. & Caſtr in l. ult. C. ſi in fraud. patr. alien. à libertis facta ſit. Bapt. à S Blaſ. n. 41.* Deinde quod ad tempus petendæ legitimæ attinet, Jure Civili filius nullum jus in legitima habet vivo patre, nec eam ab ipſo petere poteſt quãdiu pater vivit: mortis tamen tempore debetur. *l. cum quæritur. C. de inoff. teſt. l. 1. §. 21. ſi impuberi ff. de collat. bon.* ac ne quidem eo caſu quo pater in monaſterium ingreditur, *auth ſi qua mulier. ubi gl. in verb. moriatur. & Bart. C. de SS. Eccleſ.* Jure verò Can. patre monaſterium ingrediente poteſt filius etiam vivo patre legitimam ſuam petere à monaſterio, in quod bona pater per monachiſmi profeſſionem tranſtulit. Monachus enim, perinde ut ſervus, nihil proprii habere poteſt. *c. 14. cũ ſimus. ubi gl in verb. bona paterna extr. de Regularibus.* Cujus Juris hæc eſt ratio, quia monachus factus pro jam mortuo habetur: cum renuntiârit ſeculo & mortuus ſit mundo. *c. placuit. 16. q. 1.* Panorm. tamen *in c. in præſentia. extr. de probat.* vult, filium quamdiu pater monaſterium ingreſſus vivit, alimenta tantũ à monaſterio petere poſſe, ne à patre deſertus fame pereat: ipſam verò legitimam eo demum verè ac naturaliter mortuo eum rectè petiturum, non ante. Illis verò quæ de Jure Civili diximus patrocinatur etiam Syracides, vulgo Eccleſiaſticus appellatus *c. 33. v. 20. & ſeqq.*

Neq; verò quicquam obſtat. *l. 11. in ſuis. ff. lib. & poſt.* ubi filius etiam vivo patre dominus exiſtimatur bonorũ paternorum: quo argumento aliqui putarunt eum etiam vivo patre aliquid juris in legitima habere. Non enim ſimpliciter & abſolutè dicitur ibi à Paulo filium unà cum patre eſſe dominum earundem rerum, quod abſurdum eſſet atque alienum à principiis Juris, quæ non patiuntur duos pluresve ejuſdem rei in ſolidum eſſe dominos. *l. 5 ff. commod.* Sed quodammodo quaſi dominus eſſe intelligitur filius etiam vivo patre, quibus verbis ſignificatur fictio quædam juris, non veritas: ſignificatur dominium in ſpe potius quã in re, *ut Alciat. 2. Parerg. c. 15 explicat, & probat Mynſ. 4. cent. 4. obſ. 25. ubi etiã allegat Ioan Fab in §. ſui au. em. I. de her. qual. & diff.* Deinde non obſtat quod apud Lucam *in hiſt. Evang.* dicitur de filio prodigo, qui à patre poſtulaverit ſibi dari *τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας*, i. e. partem bonorũ, quæ ad ſe pertineret, quæ eſt periphraſis ejus, quã vocamus vulgo legitimæ. Et poſtulatis filii dicitur annuiſſe pater, & cum ipſo diviſiſſe ſuas facultates. Primũ enim reſponderi poteſt, hoc eſſe exemplum fictũ non verum, aut quod verè ſic contigerit. Nam Chriſtus ibi, ut & alibi ſæpiſſimè parabolam ſive apologum proponit: nõ autem rem ita geſtam narrat.

Apologis

Apologis verò gaudere etiam ſacras literas, manifeſtum fit cum *ex lib. Iudic. c.9.* tum ex hiſtoria Davidis à Nathanæ propheta ob geminum admiſſum increpati propoſita parabola de ovicula unica pauperis à divite πολυμήλῳ erepta & trucidata. Secundo, ut maximè concedamus, eſſe illam hiſtoriam, non parabolam, ſive exemplum verum, non fictum, tamen intelligere debemus, patrem illum nullo Jure cogente illam diviſionem feciſſe, ſed ſua ſponte ſuo juri renunciaſſe, & ultrò dediſſe, quod non debebat, quod cuique licere conſtat. Quomodo & pater, cui in bonis maternis liberorum uſusfructus omni jure, quamdiu vivit, competit, poteſt ſuo jure non uti, ac liberis illa bona concedere etiam vivus, ſive id ultrò faciat, ſive petentibus liberis, ſed nullo jure petentibus, nullo etiam jure patrem ad id faciendum cogente.

CAPUT IX.

AN FILIVS FIDEICOMMISSO GRAVATVS A PATRE, gaudeat duplicis quartæ detractione.

SEquitur nobilis & inſignis differentia, ad detractionem pertinens filii ejus, qui fideicommiſſo gravatus eſt, qua quæritur, an una contentus eſſe debeat detractione, an verò duabus uti poſſit. Finge, pater filium inſtituit heredem, & gravavit eum fideicommiſſo, id eſt, rogavit eum, ut hereditatem reſtitueret alteri. Hic quæritur, quantum filius detrahat, ſibique retineat ante reſtitutionem, an legitimam tantum, tanquam filius, an verò præter, & ſupra hanc, etiam Trebellianicam, ut heres fiduciarius ſive fideicommiſſarius: Quorum prius Juris Civilis interpretes defendunt, ut juri & naturæ conſentaneum: alterum Juris Can. Dd. tenent. Quæ res ut tantò melius intelligatur, illud præmunitionis loco admonendi ſumus: Quartas in jure varias eſſe: Eſt enim primo quarta Legitimaria, ſive legitima, quæ debetur liberis ex hereditate parentum: & quam ſi ſalvam habeant, excluduntur à querela inofficioſi teſtamenti. §. *ſed hac ita.* & §. *ultim. I. de inoff. teſt. l. 8. §. quoniam. ff. eod. l. 29. quoniam Novella. cum 4. ſeqq. & l. ultim. Cod. tit.* Eſt II. Quarta Falcidiana, quam detrahit heres de legatis & fideicommiſſis ſingularibus ſupra dodrantem relictis, itemque de donatione cauſa mortis, permittente l. Falc. & Conſt. D. Severi circa eam facta: *de qua explicatur ad tit. Inſtit. de lege Falc.* Eſt III. Quarta Trebellianica, quam ex SC. Trebell. in quod transfuſum eſt Pegaſianum detrahit ac retinet, qui per fideicommiſſum rogatus eſt hereditatem reſtituere alteri: de quo explicatur *ad tit. I. de fideic. her.* Eſt denique IV. Quarta D. Pii ſive arrogati, quæ ei debetur ex bonis arrogatoris, de qua exponitur I. *de adopt.* De quibus generibus quartarum *vid. Cujac. lib. 8. obſ. c. 4. & Hotom. in diſp. de Quartis.* Multo etiam plures Quartarum ſpecies (& quidem ad XII.) recenſet. *Ioann. Schneidevv. ad tit. I. De fideic. hered. ibique addit.* Maximè autem ad hanc noſtram quæſtionem pertinent I. & III. genus quartæ. Illud quoque notandum eſt, Falcidiam ſæpè latius uſurpari, ut etiam Trebell. comprehendat. Ad noſtram verò hanc, de qua agimus, differentiam duæ hæ potiſſimum pertinent quartæ, Legitima & Trebellianica. Deinde hoc præmuniendum eſt, Filium duobus modis gravari poſſe fideicommiſſo, vel purè,

vel

Digitized by Google

vel ſub conditione aut poſt tempus. Priore modo ita, ut ſtatim poſt aditionem hereditatis (quamquam ea in ſuis heredibus non eſt neceſſaria, qui ipſo jure exiſtunt heredes) hereditatem reſtituat alteri. Poſteriore ut tum reſtituat, ſi hoc vel illud factum fuerit, vel poſt triennium v.g. vel poſt mortem ſuam. Si igitur filius (idem & in filia juris eſſe intelligendum) gravatus ſit fideicommiſſo, id eſt, rogatus reſtituere alteri hereditatem (ſi ſine liberis decedat) & quæratur, quantum detrahere, & ſibi retinere poſſit filius, differentia eſt inſignis inter Jus Civ. & Canonicum: & inter Civiliſtas ſive legiſtas, & Canoniſtas, id eſt, utriuſque Juris Interpp. Jure civili una duntaxat detractio locum habet: videlicet Quartæ Trebellianæ, quæ in legitimam ipſi imputatur. Jure Canon. duarum quartarum detractio fieri poteſt, nempe & Legitimæ (quæ ex Nov. Juſtin. ſic eſt aucta, ut pro numero liberorum vel triens ſit vel ſemis) & inſuper etiam Trebellianicæ: quæ duæ quartæ aſcendunt ad ſemiſſem hereditatis. Annotabo autem primum hujus differentiæ ſedem, & nobiliores aliquot, qui de ea agũt interpretes: Deinde utriuſque ſententiæ & Juris fundamenta præcipua recenſebo: ex quorum collatione facilè apparere poſſit utra ſit verior, & rectæ rationi convenientior. Sedes igitur hujus differentiæ collocatur *in c. 16. Raynutius. & c. 18. Raynaldus. ext. de teſtam.* quorum prius eſt Innoc. III. alterum Greg. IX. In utriuſque ſummario dicitur, Filium rogatum de reſtituenda hereditate ſub conditione (puta ſi ſine liberis moreretur, quæ conditio in fideicommiſſis frequentiſſima eſt) detrahere poſſe primò tertiam debitam jure naturæ, id eſt, legitimam, & deinde quartam Trebellianicam. Et prius illud c. Raynutius prolixis commentariis ſive Lecturis illuſtrarunt Gulielmus Benedicti & Didac. Covarruv. ejuſq; argmentum VI. Enuntiationibus breviter complexus eſt Hotom. in Diſp. contra illud habita, quam ſubjecit illuſtri quæſtioni 43. in qua diſputat in utramque partem, An filius gravatus fideicommiſſo duas quartas detrahere poſſit. Quem Hotomannum refutare conatur *A. Fachin. libr. 5. controv. Iur. c. 1. & 2.* non abſque convicio & crimine hæreſeos ex trivio arrepto: cum tamen hæc cauſa & controverſia merè ſit civilis, nec ad religionem aut fidem Chriſtianam vel gry pertineat, ut poſt Fern. Vaſq. *de fideic. ſubſt. §. 27. num. 35.* fatetur etiam Ang. Mattheac. qui de hac quæſtione agit non ſolum *in libr. 2. de via & ratione juris c. 25.* ſed etiam in Tr. de *Legatis & fideic. libr. 4. c. ult. vid. etiam Cujac. 8. obſ. 3. Gail lib 2. obſ 121. Ant. Teſſaur. deciſ. 252. Mich Graſſ. in Theſaur. com. opin. § Trebellianica q. 4. Emanuel Soarez lit. F. & lit. T. Anton. Faber de error. pragm dec. 11 errore 7. Giphan. ad l. 32 quoniam in prioribus. C. de inoff. teſtam. Donell. 7. comm. c. ultim. ubi plures Dd. allegat Oſwald. Hillig.* Multis quoque in locis conſiliorum ſuorum hac de re agit *Pariſ. Card. ut conſ 93. vol. 1. conſ. 45. & 46. & 47. vol. 2. conſ. 1. & conſ 25. 27. & conſ. 30. vol. 3. Item Iac. Mandell. conſ 7. n 6. & conſ. 17. nu. 13. cum ſeq. & conſ 41. num. 1. & 2. Angel. Mattheac. lib. 2. c. 25. de via & rat. Iur. art.*

Sed omiſſis auctoribus videamus breviter rationes: & quidem pro una detractione Juris civilis hæc faciunt. I. Quod nuſquam in toto Jure civili ulla fiat mentio duplicis detractionis, quâ filius primò de bonis reſtitutioni obnoxiis poſſit legitimam retinere, deinde etiam Trebellianam: ut meritò hîc valere

R debeat

debeat illud tritum ſermone proverbium, Erubeſcimus ſine lege loqui. II. Etiam leges & loca ſunt manifeſta in contrarium, ut *l. 6. jubemus. C. ad SC. Treb.* ubi quoties pater vel mater filio vel filia heredibus inſtitutis (æquis an inæqualibus portionibus nihil intereſt) vel invicem omnes, vel ſimpliciter quoſdam aut quendam ex his rogaverit, ut ſi prior ſine liberis deceſſerit, portionem ſuam hereditariam reſtituat ſuperſtitibus, vel uni eorum, jubet Imp. Zeno, ut quarta omnibus modis retenta, dodrans de ipſis rebus hereditariis reſtituatur. Si igitur dodrans hereditatis debet reſtitui, & quarta tantum retineri: etiam eo caſu, quo fideicommiſſum ſub conditione eſt relictum; nempe ſi ſine liberis prior deceſſerit. Ergo non poteſt filius vel filia duas quratas detrahere, alioquin impoſſibile eſſet dodrantem reſtitui: nec amplius dodrans dici poſſet, ſi plus una quarta detraheretur. III. *Novell. 39. de reſtit. & ea quæ parit in XI. menſe poſt mortem viri.* Unde ſumpta eſt *Auth. Res quæ. C. comm. de legat.* Sed cum Fachin. *c. 2.* malam fidem arguere conetur in Hotom. eam Nov. adducenti *d. quæſt. 43.* facere non poſſum, quin Cl. virum ab hac criminatione defendam. Aio igitur bona fide Hotom. recitare verba, quæ recitat quatenus ad præſens inſtitutum faciebant: tametſi quibuſdam brevius contractis. Illa quoque verba: Cæteras autem partes (nempe quæ reſtant poſt legis Falcidiæ modum in præcipuum deductum) fideicommiſſario reſtituat integras, quæ verba negat Fachin. eo loco extare quem Hotom. refert omninò extare aio. Sed animadvertere debuit Fachinæus, Hotomannum non recitare ipſa verba Novellæ 39. ſed Juliani Anteceſſoris interpretationem, quod ipſe profitetur. Quare ab omni crimine falſi alienus eſt. Quod quò fiat manifeſtiùs ipſa Juliani verba prout à Pithœo Baſileæ 1576. edita ſunt aqud Pet. Pernam p. 59. hîc recitabo, ut cum iis, quæ refert Hotom. *in Q. illuſtr. (conſt. 37. CLXIV.)* cōferantur: Si quis unum ex liberis ſuis heredē inſtituerit, id eſt, filium filiámve, nepotem neptémve, & deinceps, ſive quoſdam ex his, ſive omnes ſimul: & rogaverit eos, ut tempore quo moriantur, vel poſtquam mortui fuerint, aliis reſtituant hereditatem: primum quidem unicuique legis Falcidiæ modus in præcipuum deducatur, & non ſupponatur fideicommiſſi gravamini: cæteras autem partes fideicommiſſario reſtituat integras: ita tamen, ut ſi propter nuptias donationem uxori, vel dotem marito dare maluerit perſona fideicommiſſo gravata, liceat ei hoc facere etiam ex aliis rebus, quæ fideicommiſſo ſuppoſitæ ſunt, & reliquas res tantum fideicommiſſario cogatur reſtituere. Vixit autem hic Julianus Patricius Anteceſſor, ipſius Juſtin. tempore & illuſtri quidem loco, quod etiam ex Epigramm. Græco Antholog. didicimus (*τὺ ιον ἰυλιανον νομικῆς φάος ὄντον ἰδοῦσαι ῥώμη καὶ βερόη πάντα φύσις δύναται.*) Ut optimè Imperatoris mentem potuerit intelligere. Satis jam cuivis liquere arbitror ex his, quæ dixi, Hotom. à crimine falſæ allegationis omninò liberandum eſſe. Etſi enim in ipſa Novell. 39. totidem verba non extant, tamen ejus mentem fideliter expreſſit Julianus Anteceſſor.

Præterea etiam ab exemplo argumentari poſſumus pro hac unica deductione. Nam patronus cui æquè debetur legitima à liberto, ob ſummum manumiſſionis & quaſi novæ vitæ beneficium, heres inſtitutus & fideicommiſſis oneratus, aut legatis exhauſtus, non duplicem detrahit quartam, Legitimam & Falcidiam, ſed

ſed unam tantum. *l.1. §. pen. ff. Si cui plus quam per l. Falc.* Ergo etiam filius unam duntaxat detrahet quartam.

Accedunt etiam hæ rationes. 1. hoc Syllogiſmo concluditur: Ubicunque non eſt locus querelæ, ibi quoque non eſt locus detractioni vel petitioni legitimæ. At quando filius à patre eſt inſtitutus heres, ex aſſe vel ſemiſſe, &c. & juſſus hereditatem reſtituere alteri (qui eſt noſter caſus) querelæ non eſt locus. Ergo hîc etiam legitimæ detractio locum non habet. Major probatur *per l.30. omnimodo. & l.32. quoniam in prioribus. C. de inoff. teſtam. cum ſimilib.* Nam qui legitimam habet ſalvam à querela excluditur. Minorem probat *l. 8. Papinianus. § quarta. & §. Si quis impubes. & § meminiſſe. ff. de inoff. teſt. & Paul. 4 ſent. 5. §. Si filius.* & talis filius ideo querelam non habet, quia quartam habet, ſive ea ſit D. Pii, ſive Falcid. ſive Trebel. quæ in legitimam ei imputatur, & pro legitima ei cedit. II. Ratio ex ipſa natura aſſis, adeoq; ex ſenſu communi ſumpta eſt hujuſmodi: quadrans & triens & dodrans ſunt ex iis quæ ad aliquid referuntur. Sunt enim Aſſis partes. Semper autē hereditas ad aſſem revocatur, ut notū *ex Inſt. de her. inſt. & l. aſſe toto ff. eod.* Quare ſi quadrans de fideicōmiſſo detrahi debet, & dodrans reſtitui, ut ſupra probatum eſt *l.6. C. ad SC. Treb. & ex Iulian. in Nov. 39.* nō poteſt fieri ullo pacto, ut duplex quadrans detrahatur, aut ut ſemiſſem reſtituat talis filius, ſemiſſe ſibi retento, quemadmodum vulgo volunt: ut videre eſt apud *A. Gail. obſ. 121. num. 7.* Alii & hanc addunt rationem, cur filius purè rogatus reſtituere non poſſit duplici detractione uti, Quia tum duæ detractiones eodem tempore concurrerent, quod fieri non poſſit: cum duo ſpecialia & duæ cauſæ lucrativæ ſimul in eundem non cadant. Ita *Rosbach. tit. 7. comp. 2.* Sed hæc ratio eſt infirmior (& ex Brocardicis principiis extructa.) Et de concurſu duarum cauſarum lucrativarum reſpondet *Fachin. in fin. c. 2.* non eſſe hoc abſurdum, quando ex diverſis cauſis procedant, ut hîc. Deinde cur filius ſub conditione vel in diem gravatus reſtituere, non poſſit duas quartas detrahere, rationem afferunt à majori ad minus. Si purè rogatus reſtituere non deducit duas quartas: ergò multò minus poterit duas deducere ſub conditione vel in diem gravatus. Connexi ratio eſt, Quia purè rogatus magis eſt gravatus, alter verò minus: non ſolum quia levius obligatur, qui in diem vel ſub conditione, quam qui purè. *§. fidejuſſores. I. de fideic.* imò in conditionali obligatione tantum ſpes eſt debitum iri, ut notum eſt *ex tit. I. de oblig.* Sed etiam quia interim fructus percipit, quamvis in quartam poſtea imputentur. Ergo ſi quiſquam debebat detrahere duas quartas, is certè videbatur debere detrahere poſſe, à quo purè relictum eſt fideicommiſſum. Si verò hic non detrahit duas, neque ille multò minus, à quo ſub conditione vel in diem eſt relictum. Sed hoc argumentum tantum contra eos valet, qui diſcrimen faciunt hac in re inter fideicommiſſum purum & conditionale, ſive in diem: quæ diſtinctio ad Azonem refertur auctorem: quamvis nulla ejus idonea ratio afferri poſſit: Unde etiam ab aliis (ut & noviſſimè à *Fachin init. c. 2.*) repudiatur: In quo non attendunt, ipſi juri Pontificio ſe injuriam facere, quod hoc Azonis & Gloſſogr. diſcrimen agnovit, cum diſertè in utroque c. 16. & 18. loquatur, non de fideicommiſſo purè relicto, ſed ſub conditione, Si ſine liberis. Niſi quis dicere fortè velit, illa reſcripta ad propoſitam

Digitized by Google

facti ſpeciem accommodata eſſe à Pontificibus, ut ſolent ab Impp. leges Cod. nec propterea ita reſtringenda eſſe, quaſi tantum in conditionali, non etiam in puro fideic. locum habere velint duplicem illam detractionem: de quo ipſi viderint qui ita ſentiunt. Hotomannus quidem *d.c.43.* Ill.Q. ſophiſticam hanc conciliationem non dubitat appellare. Sed quod ſupra dicebam, Nuſquam in toto Jure civ. mentionē fieri duplicis detractionis, contra id quædā loca afferri ſolent: quæ breviter recenſebo, unde apparebit, nihil ea ad rem facere, neque Canoniſticam & gloſſaticam detractionem quicquam adjuvare, ut fruſtra glorietur Fachin. etiam Juri civ. conſentaneā eſſe: quod equidem vehementer miror ipſum ſcribere, cum vulgo plerique omnes fateantur hac in re Jus Can. à civili diſſentire, quamvis *Ant. Fab. d decis.11. err.7.* non dubitet ſcribere, duplicem illam detractionem non magis Pontificio, quàm civili juri probari. Neque enim SS. Pontifices novi juris conſtituendi, & civilis abrogandi cauſa ſic reſcripſiſſe, ut dictis capitulis reſcripſerunt, ſed quod ex recepta Interpretum ſententia non aliter perſuaſum haberent, quàm hanc eſſe Juris civilis conſtitutionem, ut filius duas quartas detrahere poſſet, nec dubitarent, quin ita reſcribendum eſſet ſalva Juris civilis auctoritate, quod paradoxum ſe in Acad. Taurinenſi non inſubtiliter defendiſſe gloriatur.

Verum age videamus loca Juris civilis, quæ pro duabus detractionibus afferuntur. 1. eſt *in l.67. quoties. ff. ad l. Falc. 2. in l.18. filiusfam. ff. eod. 3. in l.41. coheredi. §. cum filia ff de vulg. & pup. ſub. 4. in l.24. filium quem. C. fam. erc. 5. l.1. §. ult. ff. Si par. quis man. ſit. 6. l.8. Papinianus. § meminiſſe. 7. l.10. quanquā. C. ad l. Falc. 8. in l.2. in fin. & l.3. §. item Sempronius. ff. ad SC. Treb. 9. Aliqui etiam afferunt l.6. C. ad SC. Trebel. cum qua conjungi volunt l.12. Si pater. C. de inoff. teſt.* 10. *Fach. etiam affert. Novel.39. de reſt. & ea qua parit &c. in §. quamobrem.*

Sed omnia illa quàm parum ad rem faciant, patebit facilè ei, qui in rem præſentem ire, & penitiùs ea loca inſpicere voluerit. Nam ne hîc neceſſe ſit ſingulis immorari, in quibuſdam harum legum fit quidem mentio duplicis detractionis, ſed non talis, qualis eſt noſtra duarum quartarum: imò ubicunque duplex detractio innuitur, ea conjungitur in unam quartam, nec eam excedit: vel dicitur, quid in quartam debeat imputari. In quibuſdam verò locis duplicis juris fit mentio, non quidem ut utroque utatur quis, & bis idem conſequatur, ſed ut alterutrum eligat: (non cumulativè, ſed electivè, ſive alternativè, ut aliàs Dd. loqui ſolent.) In quibuſdam denique legibus ne verbo quidem unico fit mentio duplicis deductionis: ut mirari liceat, quid in mentem venerit iis, qui leges adeò impertinentes adduxerint. Sed impertinentes allegationes nonnullis Juris interpretibus, ne dicam perverſoribus, non ſunt novæ. Quare firmum ſtat illud, quod antea dicebamus, quod etiam *Ant. Faber d. loco teſtatur: & Giph. poſt Hotom.* Nullum poſſe proferri locum Juris civilis, cujus auctoritate duplex iſta detractio nitatur. Ad Nov. verò 39. quod attinet, quam pro ſe allegat Fachin. ea potius contra ipſum facit: ut tam ex contextu ejus, quàm ex Juliani epitome ſuperiùs relata ſatis intelligitur. Quod autem ajunt duplices iſti detractores (jam enim ad rationes eorum veniendum eſt) filium hîc duplicem ſuſtinere perſonā, primum enim

ſpectar

Digitized by Google

ſpectari tanquam filium, cui ex hereditate patris debetur legitima, ut naturale debitum, deinde tanquam quemlibet extraneum fideicommiſſo gravatum (quam rationem etiam indicat *Gregor. 9. in dict. cap. 18.*) hinc non ſequitur, duplicem quartam eum conſequi debere, aut quod ex una cauſa jam conſecutus eſt, iterum ex alia petere, atque ita bis idem conſequi poſſe, ac non potius contentum eo, quod accepit, imputare id vel in legitimam vel in quartam Trebel. Quod porrò metuunt, ne unâ tantum quartâ ei conceſsâ, non melioris conditionis futurus ſit filius, quàm quilibet extraneus heres fideicommiſſo gravatus: fruſtra hoc tanquam abſurdum metuunt. Nam cum fieri poſſit, ut plus ſit in quarta legitimaria, quàm in Trebellianica, eliget filius id quod eſt pinguius, aut ſi Trebellianicam acceperit, id addet, quod plus eſt in legitima. Deinde nihil abſurdi eſt, etiamſi concedamus, filium hoc caſu quoad detractionem quartæ ex voluntate patris, cui tamen jus ipſum moderatur, ejuſdem nec melioris nec deterioris conditionis eſſe, quàm extraneus quivis: cum lex ipſa inter hos non diſtinguat: ut ſupra vidimus *ex d. l. 6. jubemus. C. ad SC. Trebel.* & nos etiam diſtinctiones non debeamus comminiſci, ubi lex non diſtinguit: Salvo tamen ſemper augmento legitimæ, quod introduxit *Iuſtin. in Nov. 18. de triente & ſemiſ.* cujus novi ſui juris & alibi facit mentionem, *ut in d. Nov. 39. quamobrem.*

Afferunt & hanc rationem, Quia cum legitimæ nullum onus aut gravamen adjici poſſit, & ſi quod adjiciatur, id ipſo jure pro non adjecto habendum ſit. *l. 30. omnimodo. & l. 32. quoniam in priorib. C. de inoff. teſt.* Si igitur filius à patre rogetur reſtituere hereditatem alteri, cenſeri eum rogatum non de legitima (quando hanc ſemper præcipuam & omni onere liberam atque immunem habet) ſed de reliqua hereditate reſtituenda. De hac ergo reliqua hereditate poſſe filium, ut quemlibet alium heredem gravatum detrahere quartam, auctoritate SC. Trebel. Sed neque hoc ſequitur: Legitima debet filio relinqui ſine omni onere. Ergo filius præter legitimam poterit etiam detrahere quartam Trebellianam. Imò quia legitimam habet ſalvam, idcircò non poterit etiam Trebel. detrahere.

Denique & hanc rationem allegant: ubi duplex jus & auxilium ex diverſis cauſis alicui defertur, utrumque habet locum, niſi lex nominatim id prohibeat. Atqui hoc caſu duplex jus filio defertur, nempe Legitima jure filii, Trebelliana verò jure heredis. Ergo utrumque ſimul concurrere poteſt & locum habet. Reſpondeo, duplex quidem jus concurrere poſſe, ſed non tamen ut quis ſimul utroque utatur, & quod uno jam obtinuit, adhuc etiam altero conſequatur. Non enim ſi quid duplici ex cauſa nobis debetur, etiam duplici ex cauſa poteſt ſolidum peti & obtineri: Imò petenti ſæpius, quod jam intus habet, rectè objicitur doli exceptio: ut pulcrè Hotom.

Ex his quæ dicta ſunt facilè eſt intellectu, jus illud de duabus quartis ex errore primò natum, deinde auctoritate Pontificia confirmatum eſſe: Unde *Hotom. in fin. d. q. 43. & in Inſt de ſing. reb per fideic. vel prope finem.* ſtultum errorem Canoniſtarum vocare non dubitavit, qui tamen paſſim toto fere terrarum orbe Jus fecerit.

Sed priuſquam ab hac differentia abeamus, quædam notandæ ſunt limitationes ſeu reſtrictiones illius ex errore nati Juris Can. quas tradiderunt Dd. 8. Igitur

tur duplex illa detractio locum non habet. I. in parentibus, v.g. ſi filius patrē inſtituerit heredem, & rogaverit, ut hereditatem reſtituat alteri, pater non duas, ſed unam tantum quartam detrahet. Ratio exceptionis eſt, tùm quia dd. cc. Juris Can. tantum de filio gravato loquuntur, non etiam de parentibus; ideoq; tanquam jus novum ad hos produci non debent, ſed intra ſuos terminos ſtrictè continenda. Tùm quia non ſic parentibus liberorum, ut liberis parentum hereditas debetur. *vid. Gail 2. obſ 121. n. 11. & Bald. Iaſ alioſq; ab eo allegatos.* II. Exceptio eſt, niſi filius ex re certa ſit heres inſtitutus, ſive heres ſit particularis. *Pariſ. conſ. 17. & conſ 30. vol. 2.* Ratio quia dd. cc. tantum agunt de herede univerſali: ideoq; ſtrictè ſunt accipienda, nec ad alios trahenda. III. Exceptio eſt, niſi filius juſſus ſit à patre legitimam ſuam in Trebell. imputare: tunc enim non niſi unam detrahit quartam, idq; propter expreſſam voluntatem patris teſtatoris, quem conſtat ex noviſſimo jure Juſtiniani *Nov. 18. de trient. & ſemiſſ.* poſſe Trebellianicam prohibere. IV. Niſi filius habuerit legitimam ſuam in ſemiſſe, v.g. Si plures, quàm quatuor ſint liberi; tunc enim unam tantum detrahit. 1. Quia dd. cc. tantum de triente loquuntur: non etiam de ſemiſſe. 2. Quia ſi duas etiam hoc caſu detraheret quartas, tum verò plus conſequeretur ex ſua deductione filius reſtituere juſſus, quàm is cui reſtituere juſſus eſt: quod manifeſtè eſſet abſurdum & contra teſtatoris voluntatem, quam ferè eluſoriam faceret. Abſurda autem, & ea ex quibus abſurdus reſultaret intellectus, vitanda ſunt. V. Exceptio eſt. Niſi filius huic duplici juri renuntiarit. Hoc enim facere poteſt. *Pariſ conſ. 1. vol 3.* quod intelligo tantum poſt mortem patris, non etiam eo vivente. *argum. l. 35. Si quando. §. 1. C. de inoff. teſtam. Paul. 3. ſent.* VI. Excipiunt quidam fideicommiſſum purè relictum, in quo volunt duplicem iſtam detractionem ceſſare. Sed hanc ſententiam & diſtinctionem inter purum & conditionale fideicommiſſum controverſam eſſe, & à quibuſdam improbari, ut etiam à Fachin. jam ſuprà audiviſtis Poſtremò etiam hoc notandum ex doctrina interpretum, qui duas detractiones probant, Filium gravatum, non ſolum poſſe ipſum dum vivit, liberè de iſtis duabus quartis diſponere, verum etiam hoc ſuum jus detractionis duplicis tranſmittere ad heredem, nec tantum ſuum, verum etiam extraneum. *vid. Pariſ. Card. conſil. 81. volum. 2. conſ. 93. vol. 1. & conſ. 27. vol. 3.*

CAPUT X.

DE VLTIMA VOLUNTATE IMPERFECTA RATIONE ſolennium, an ab herede ſit implenda.

NOn eſt aliena ac hoc tractatu differentiarum etiam illa quæſtio, de ultimâ voluntate imperfectâ ratione ſolennium, an ab herede implenda ſit, nec ne? Summa reſponſionis huc redit, poſſe heredem pium etiam imperfectam ejuſmodi voluntatem adimplere, ſi velit: ſi nolit jure judicioq; cogi non poſſe. Quod vulgò ita Dd. efferunt, Heredem tametſi Jure civili non obligetur ad hujuſmodi præſtationem, tamen Jure naturali, ex conſcientia, & in foro animæ omninò eum teneri, ſi ſciat, voluntatem teſtatoris hanc fuiſſe, quamvis ſolennitatibus juris deſtituatur, quamvis jure ſubnixa non ſit. Idq; hoc argumento, quia quod ex minus ſolenni

ſolenni teſtamento ſolutum eſt, non poteſt repeti ſive condici. *l.2.C.de fideic.l.non dubium.C.de teſtam.* Ex quo intelligitur, ſaltem naturaliter id fuiſſe debitum: quæ naturalis obligatio impedit condictionem indebiti. Nam indebitum eſt, quod nullo jure neq; civili, neque naturali debetur. *tot. tit. ff. de cond.indeb.* Naturalis autem illa obligatio naſcitur ex ipſa æquitate & pietate defuncto ab herede debita. Ferè enim impium & ingrati hominis eſſe videtur ſupremum judicium defuncti contemnere hoc ſolo prætextu, quod jure non ſit ſubnixum, ſive quod ſolennitas juris ipſi deſit. *argum.l.5.militis.C.de relig. & ſump.fun.l.ult.C. de legat.* Sic Plin. Jun. *in ep.* de ſe ſcribit, quod voluntatem ultimam ultrò ex pietate quadam præſtiterit & impleverit, cum jure cogi non poſſet. Agit de hac quæſtione *Covarr. ad c.cum eſſes.extra.de teſtam.& poſt eum aliosq; Dd. à Fachin.lib.4.c.5.* ubi inter alia etiam allegat *l.38.in teſtamento. ff.de fid.libert.* cujus ſpecies talis eſt. Pater in teſtamento imperfecto libertatem & fideicommiſſa quædam reliquerat alumnæ ſuæ. Filii teſtatoris omnia ab inteſtato gerentes, manumiſerant illam, tanquam ex cauſa fideicommiſſi, quamvis pater ab inteſtato nihil petiiſſet. Directò quippè manumiſerat, v. g. Pamphila alumna mea libera eſto; non per fideicommiſſum: Rogo vos mei filii velitis alumnam meam libertate donare. Manumiſerant inquam illam filii ultrò, utpote patri ſuo dilectiſſimam. Sed fideicommiſſa ut in teſtamento imperfecto relicta, & proinde quaſi indebita ſolvere detrectarant. Ait Paulus, Imp. Antoninum per decretum interlocutum eſſe & pronuntiaſſe, ſicut rectè manumiſſa ſit alumna à piis filiis, ita etiam fideicommiſſa à patre ei relicta denegari non debere. Ex quo Imp. decreto colligimus, heredem, qui voluntatem defuncti minus ſolennem ex quadam pietate implevit in uno, cum ſtricto jure cogi non poſſet, poſtea cogi poſſe eidem parere etiam in aliis capitibus. Atque ita quod ab initio erat meræ voluntatis, poſtea converti etiam in neceſſitatem præſtationis. Sed quamdiu res integra eſt, id eſt nihil dum ex tali imperfecta voluntate ultima præſtari cœpit, certum eſt heredem judicio conventum poſſe ſe defendere, oppoſita exceptione, nec ad ſolutionem unius vel alterius rei urgeri. *l. ſi creditoris.& l.ſi veritas.C.de fideicom.* Quod tamen limita, ut tantum in iis, quæ connexa ſunt procedat, quæq; à ſe invicem dependent, non de quibuſvis aliis etiam ſeparatis. Unde ſi heres ex teſtamento non ſolenni aliquibus præſtiterit legata vel fideicommiſſa, cæteris tamen propterea etiam ſua præſtare non tenetur. *gl.d.l.non eſt dubium.in verb.agnoverit.verſ ſed nunquid.C.de teſtam.* Quod autem *ex Bald.ad L. 1. n.5.C.de teſtament.& Iaſ ibid n.8.& ad l.cum quis.C de juris & facti ignorantia. & in §.furtum.de obligat.quæ ex delict.naſc.& ex Bart.ad l.nemo poteſt num.18. ff. de leg.1.* quidam probant, poſſe quem in teſtamento non ſolenni ſibi relicta, cum ea per viam juris, id eſt, legitimis remediis conſequi non poſſit qualicunq; machinatione ad ſe pertrahere, idq; omni peccato & vitio carere: id mihi profectò periculoſum dictu videtur, ut quod viam ad delinquendum aperiat. Illud igitur potius tenendum exiſtimo, Quod juſtum eſt, juſtè perſequendum eſſe, & à machinationibus ejuſmodi abſtinendum, cum fieri per eas poſſit, ut quis etiam jus ſuum amittat, *arg.l.13.extat. ff.quod met.ca.* quæ traduntur ad *tit.l.vi bon.rapt. & ad init.tit. de Actionib.item ad tit.de interd.*

CAPUT

Caput XI.

DE VSVRIS.

HActenus fuerunt præcipuæ differentiæ utriuſque Juris, quæ ad contractus, quæq; ad ultimas voluntates pertinent. Quia verò tàm in his quàm in illis celebertima eſt uſurarum præſtatio: ut videre eſt *tot. tit. ff. & C. de uſur. & tit. C. de uſur. & fructib. leg. & fid.* imò etiam in rebus judicatis, *argum. tit. C. de uſur. rei jud.* quas etiam ad contractus referre poſſumus, cum in judicio quaſi contrahatur. *l. 3. §. idem ſcribit. ff. de pecul.* Rectè atque ordine me facturum arbitror, ſi hoc loco de uſuris quoque pauca attingam. Eſt autem hæc decantatiſſima ſententia, Uſuras quidem Jure civili permiſſas eſſe, dummodo legitimũ modum non excedant: Jure autem Canonico, quod hac in re magis ſequi & civili præferre debeamus, eaſdem prohibitas eſſe: & in eo utrumque jus inſigniter differre.

Sed ut hæc differentia tantò rectiùs intelligatur, præmunienda & huc afferenda ſunt pauca: Qualis eſt in primis illa diſtinctio inter Fœnus & Uſuram. Uſura enim, ab uſu pecuniæ vel rei dicta, in genere accepta dividitur in fœnus & uſuram in ſpecie dictam. Et fœnus quidem eſt, quod datur pro uſu mutui, ſive acceſſio ad mutuum ſeu pecuniam creditam: Unde pecunia fœnebris dicitur, quæ fœnori collocatur. *§. cæterum. l. quod cum eo qui in al. l. 3. quamvis. C. de uſur. & alibi.* Uſura verò in ſpecie dicta eſt, quæ in aliis contractibus & negotiis ad ſortem accedit, vel ex morâ tardiùs ſolventium, vel ex pacto in bonæ fidei judiciis in continenti adjecto, eiq; augmentum præbet: v. g. in emptione venditione: in locatione cond. in mandato, in ſocietate, in legatis, in rebus judicatis. Inter quæ duo genera acceſſionum plurimum intereſt: Nam prius ferè lucrum creditoris continet: alterum verò pœnam debitoris: & efficit, ne creditor ob tardiorem hujus ſolutionem in damno verſetur, ſed quanti ſua intereſt maturè & ſuo tempore ſolutum eſſe, à debitore conſequatur. Unde Dd. vulgò uſuram aliam lucratoriam eſſe dixerunt, aliam punitoriam: illâ appellatione ſignificantes fœnus, hâc uſuram in ſpecie dictam. Et hoc diſcrimen eleganter etiam Scævola indicavit *in l. 17. cum quidam. §. ſi pupillo. ff. de uſur.* cum ait: uſuras non propter lucrum petentium (q. d. ut fœnus) ſed propter moram non ſolventium infligi. Idem quoque diſcrimen inter uſuram & fœnus, ſive inter lucratoriam & punitoriam ſive compenſatoriam uſuram agnovit Imp. Leo *Nov. 83. in verb.* Quæ vocantur pecuniæ creditæ uſuræ, ubique à ſpiritûs decreto condemnantur. Intelligit enim his verbis id, quod nos fœnus diximus. De qua differentia præter alios conſuli poteſt *Ioan. Borchold. in Tr. de uſur. c. 1. & 2.* Sed quid eſt, quod S. Cyprian. ſermone de lapſis dicit, uſuris multiplicantibus fœnus augere? Et videtur mihi ſic dicere anatociſmum, ſive quando uſuræ uſurarum percipiuntur, contra *l. 20. improbum fœnus. C. ex quib. cauſis. inf. a. irrog.* Jure igitur certum eſt utrumq; genus permitti, ſub certa tamen quantitate ſive modo, quem præſcripſit *Iuſtin. in l. 26. eos. C. de uſur. & Nov. 32.* Unde ſumpta eſt *Authent. ad hæc. C. d. t.* quem modum qui excedit, is improbum fœnus exercere dicitur, & infamia notatur. *l. 20. improbum fœnus. C in quib cauſ. infam. non irrog.* Olim quadruplum reſtituere cogebâtur. *l. 2. C. Th. de uſur.* Imò fuit cum etiam ſortis petitionem

tionem amitterent *ex l.Gabinia*: cujus meminit *Cic.5.ad Att.* Nec obſtat *Nov.de Eccleſiaſt.tit.* Imp. Juſtin. approbat Canones ut aliorum Conciliorum ante ſe habitorum, ita etiam Concilii Nicæni Canones, quorum unus uſuras omninò prohibet. Quo argumento quidam putant, uſuras etiam Jure civili noviſſimo Authenticorum ut vocant, ſive Novellarum interdictas & improbatas eſſe, ſi non expreſsè, at ſaltē implicitè & tacitè. Qua in ſententia multos eſſe, videre licet apud Fortunium Garziam *in Tr.de ult.fin.jur.civ.& Can.n.91.& apud Octavian.Cacheran.deciſ.Pedem.137.n.9.quibus recens acceſſit etiam Fachin.lib.9. controv.c.30. verſ.movet autem me.* Sed illis non aſſentior: quin potius ſic exiſtimo, Uſuras omni jure civili, etiam noviſſimo, permitti atque approbari. Nam primò illud animadvertendum eſt, Canonem illum celeberrimi & antiquiſſimi Concilii Nicæni, quod ſub Conſtant.Magno à 318.SS.Patribus habitum eſt, non loqui de quibuſvis uſuris, ſed tantum de fœnore, quod exercent clerici: ut patet ex can.2. quoniam multi ſub regula conſtituti. *diſt.47.& ex c.8.quoniam multi clerici.14 q.4.* Clericis, inquam, ille Canon concilii interdixit fœneratione, ſub pœna dejectionis à clero ſive degradatione. Hoc nihil ad Laicos pertinet. Deinde jus novum & correctorium directò non per cōſequentias, expreſsè nō tacitè, ex profeſſo non obiter introduci debet. Quis autem credat, Juſtinianum tot leges, tot reſponſa cùm aliorum & Impp. & JCtorum, tum ſua, tot vigiliis excogitata, ſic obiter & tacitè prorſus abolere voluiſſe? Nunquam hoc in mentem ibi venit Imperatori. Quinimò in iiſdem Nov. paſſim probantur uſuræ. Atque in hac ſententia eſſe video etiam acutiſſimos Hiſpanos. *Covarruv.3. var. reſol.cap.2. ſub num.6.verſ. Ego ſanè & Fortun. Garziam d. tr.de ult. fin. Iur.civil. & can. n.92.* Tametſi Covarruvias tales leges de uſuris improbas eſſe cenſeat, ut quæ juri naturali & divino refragentur. Quomodo fœnus ſit contra naturam, explicatur prolixè à Cacherano. *d. deciſ.137.num.7. & Hotom. illuſtr. quæſt.* qua quærit, utrum in benè morata civitate permittenda ſit fœneratio. *Item à Borch.c.1.de uſur.n.6.cum 10.ſeq.* Unde argumenta peti poſſunt, quæ hîc recenſeri à nobis nimis longum eſſet futurum. Sed non eſt novum, ut Jus civile à naturali deflectat, utilitatis civium cauſa. *arg.l.6. Ius civile.ff.de juſt & jur.* Quod prolixè docet Lactant. *lib.6. Divin.Inſtit.c.8 & 9.* Ubi Jus civile, quod moribus ubiq; variatur, à vera juſtitia diſcernit, quam uniformem ac ſimplicem propoſuit Deus. Quanquā enim optabile eſſet, πάντας τὺς ἀνθρωπίνους νόμους τρέφεσθαι ὑπὸ ἑνὸς τοῦ θείου, ut ex Heraclito retulit Jo.Stobæus: tamen id in perverſitate hominum (non enim cum perfectis vivimus) obtineri non poteſt. Illud igitur poſitum ſit, Jure civili uſuras, etiam fœnus permitti: quam benè aut ſalubriter aut juri divino ac naturali convenienter, nunc non diſputo: ſed tamen ſimpliciter permitti. Supervenit Jus Can. poſterius, quòd uſuras omninò prohibuit, non ſolus vitis Eccleſiaſticis, ſed etiam quibuslibet aliis: & quidem propoſita pœna. 1. remotionis à ſacra communione. 2. Chriſtianæ ſepulturæ privationis. 3. reſtitutionis iniquè ex tali cauſa acceptorum, faciendæ vel ab ipſo uſurario ſuperſtite, vel ab ejus herede, ſive is filius, ſive etiam extraneus ſit, ad quem bona ea pervenerint: & faciendæ quidem non ſolum ipſis à quibus extortæ ſunt uſuræ, ſed etiam heredibus eorum: vel his non extantibus, ut ea bona in pauperes erogentur. 4. Ut etiā appellatio uſurariis

S denege-

Digitized by Google

denegetur, ſi de reſtituendis uſuris conveniantur. Quibus accedat 5. quod uſurarii manifeſti, nec teſtamentum facere, nec teſtes eſſe poſſunt. Qua de re *vid. tot. tit. de uſur. 5. Decr. 19. & in primu c. 3. quia in omnibus. & c. 5. cum tu manifeſtos. & c. 11. quam pernicioſum. eod. tit.* Inprimis autem nobile eſt hac de re Concilium Lateranenſe, ſub Alex III. habitum: quo jubentur reſtitui etiam illæ uſuræ, quæ ante illud Concilium fuerant perceptæ. *d. c. 5.* cùm aliàs regulariter leges & Canones in futurum condantur, & futuris ſoleant formam dare negotiis: niſi nominatim hoc addatur, ut etiam in præteritum, & in negotiis adhuc pendentibus valeant: *l. 7 leges & conſt. C. de LL. c. 2. & ult extr. de conſt.* Ex quo apparet, uſurarum exercitium ſive fœnerationem illo jure etiam pro crimine haberi in tantum, ut ſi quis pertinaciter affirmare præſumat, uſuras exercere non eſſe peccatum, is pro hæretico habeatur, & contra eum, ut quemvis alium hæreticū, procedatur. *Clement. un. §. ult. de uſur.* In tantum autem prohibentur illo jure omnes uſuræ. I. Ut ne quidem ob piam cauſam, v. g. redemptionis captivorum, licitæ ſint. *c. 4. ſuper eo ext. de uſur.* II Ut ne jurejurando quidem, de non repetendis uſuris à debitore præſtitis confirmari poſſint. Nam tunc quoq; officio judicis compelli poteſt uſurarius ad reſtitutionem, non obſtante jurejurando, quod non debet eſſe vinculum iniquitatis *c. 13. tuas dudum. extr. de uſur.* Cum quo cap. conjungo *c. 6. debitores. extr. de jurejur.* Ibi debitor aut injuratus promiſit creditori uſuras: aut juratò. Priore caſu non debet cogi ad eas ſolvendas. Poſteriore debitor cogendus eſt domino reddere juramentum, ſola videlicet conſcientia & jurisjurandi religione cogente Sed creditor Eccleſiaſticus ſeveritate, id eſt, per excommunicationem compellitur quas accepit reddere. Quod tamen conſilium commentitium, & cautelam nihili vocare non dubitat *Cujac. ad d. c. 6.* quo videl. contineatur luſus quidam & deriſio Dei: præſtare enim non ita Deo ſatisfacere dicis cauſa, ſed pœnitentiam dejurii agere. Vera enim illa demum eſt ſolutio, quæ rem irrevocabiliter facit accipientis. Quare qui ſic dicis cauſa ſolvit, ut ſolutum mox recuperet, nec ſolviſſe dicendus eſt. III. Ut nec diſpenſatio accedere poſſit. *d. c. 4. ſuper eo. de uſur.* IV. Ut etiam Judæis fœnore interdicatur. *cap. 12. poſt miſerabilem. & c. 18 quanto amplius. de uſur.* Ratio porrò Juris Can eſt: Quia vitium & crimen uſurarum (ſic enim appellatur à Pontificibus) utriuſque teſtamenti tam novi quàm veteris pagina condemnetur. *c. 3. 4. & 11. ext. de uſur.* Unde & deteſtanda uſurarum lucra dicuntur *in c. 1. eod. tit.* & uſurarum crimen deteſtabile & horrendum valdè pronuntiatur in antiqua decretali, quam refert *Cujac. ad c. 7. ad noſtram. extr. de jureiur.* Loca porrò utriuſque Teſtamenti breviter annotabo, ut quiſque domi poſſit abſque mora inquirere. *Exod. 22. Levit. 25. Deut. 23. Nehem. 5. 2. Eſdr 5. Pſalm. 14. & 55. Ezech 18. & 22. Amos. c. 8. Prov. 22. & 28. Ierem. 15. Luc. 6. & 19.* SS. quoque Patres utriuſque Teſtamenti Interpretes & Tractatores, paſſim totis orationibus & homiliis diſertiſſimis in fœneratores acerrimè invehuntur: ut apud *Baſil. M. Greg. Nyſſenum Chryſoſt. Ambroſ.* alioſq; tam Græcos, quàm Latinos videre eſt. Ac memorabile eſt, quod Hebræi docti obſervarunt. In lingua ſancta uſuram à morſu infauſtum nomen habere, ut Neſech dicatur: quod videlicet tanquam vipera morſu ſuo hominem enecet. *vid. Bodin. 5. de rep. c. 2. Pet. Greg.*

22. *Synt.*

Digitized by Google

22. Synt. Iur. univ. c. 3. Benedict. Aret. problem. part. 1 loco 50. Pet. Frid. Mindan. lib 2. c. 72. & 73. Atque hæc divinæ prohibitionis ratio eſt, nempe, quia nihil tantopere adverſetur caritati hominum inter ipſos, quam ſic exugere atque opprimere alterum: ut latè demonſtrant *SS. Patres, inprimis Baſilius Magnus, Gregorius Nyſſenus & Ambroſius, & ante ipſos Philo Hebræus lib. de Caritate.*

Quod autem aliqui exiſtimarunt illa ſacrarum literarum loca, uſurarum prohibitoria, continere conſilium potius quàm præceptum, id tanquam nugatorium & frivolum effugium rectè ab aliis eſt repudiatum. Porrò Juris civilis uſuras permittentis ratio hæc eſſe videtur, quia lex humana, quæ data eſt populo, conſideravit tantum utilitatem, quæ ex negotiatione provenit: & ne hujuſmodi utilitates impedirentur, permiſit uſuras, non quidem tanquam juſtas ſecundum legem divinam, ſed tanquam utiles ad humanam communionem ſuſtinendam: ſicut in pluribus lex humana relinquit multa peccata impunita, & ſuſtinet tanquam licita, quæ lex divina prohibet, tanquam injuſta. Quam rationem ex D. *Thoma Aquinate* 2ª. 2æ. *q* 77. repetiit ac reddidit etiam *Ferrarienſ. pract. in form. lib. in act. hypothec. in gl. verb. ſine aliqua uſurarum conventione.* Ubi initio memorabili utitur exclamatione in hæc verba: Mundus hodiè non ſuſtinetur, nec regitur, niſi de uſuris. Nam caritas mortua eſt & dilectio proximi. Alii cauſam permiſſionis uſurarum ponunt in improbitate hominum, qui denegata ſibi illa ſpe lucri fœneratitii omninò etiam à mutui datione reſilirent: Unde ſequeretur ſæpè commerciorum ceſſatio & jactura conjuncta cum Reipub. damno ac pernicie. Etſi igitur boni legislatores agnoſcunt, longè præſtabilius eſſe, ut uſura & fœnus omne à Rep. exulet, & qui mutuum dant gratis dent, nihil inde ſperantes, ut Chriſtus. *Luc. 6.* præcipit: quia tamen vident hominum avaritiam & improbitatem id non permittere, ne hominum ſocietas intercidat jacentibus rerum commerciis, quæ mutuo fœneratitio ſæpè multumq; adjuvantur & expediuntur, permittere coguntur fœnoris exercitiũ, non aliter quã quondam Moſes populo Judaico propter duritiem cordis eorũ, quamlibet invitus, permiſit repudia, & legem tulit de libellis repudii, ne denegata facultate iſta repudiandi uxores, quæ diſpliceren, graviora ſequerẽtur incõmoda. Atq; hoc modo etiam Juſt. noſtrum victũ improbitate uſurariorum & querelis ſubditorũ, & illis permiſiſſe uſuras, & in horum tamen gratiã certas metas ac limitationes eis poſuiſſe putat *Bened. Aretius d. loco 50. part. 1. problem.* Et poſt Juſtin. eandẽ ob cauſam Leo Imp. cognomento Philoſopus in uſum revocavit uſuras. *Nov. 83.* quas paulò ante pater ſuus Baſilius Macedo velut rẽ Chriſtiana Rep. planè indignã, averſandam & exectandam cenſuerat: *cujus conſt. refert Conſtantinus Harmenop. Iudex Theſſalonic. lib. 3. Epit. jur. t. 7.* Incõmoda, quæ ex prohibitione uſurarũ, quamvis juſtiſſima atq; ſanctiſſima in Remp. redundarint, ibi Leo Imp. cõmemorat, quæ apud eũ videre eſt.

Sed contra hæc I. graviſſima eſt objectio, quod inferior non poſſit tollere legem ſuperioris, nec ſervus legem domini ſui *arg. l. 3. ſervus. C. de pact.* Sunt autem proculdubio omnes leges poſitivæ inferiores lege divina, ex qua, tanquam ex fonte rivuli promanarunt. Sunt etiam omnes magiſtratus inferiores illo, qui eſt Rex Regum & Dominus dominantium: per quem Reges regnant, & Principes

Digitized by Google

juſta decernunt, à quo etiam hoc habent, ut Dii vocentur, ut ſacratum literarum verbis utar. Deinde ex permiſſione uſurarum non minora neque pauciora, ſi non plura & majora gravioraque videntur ſequi incommoda & mala, quam ex prohibitione earundem. Uſuræ enim exhauriunt familias privatas, & multos ad egeſtatem redigunt: agros & prædia intolerabili exactione onerant: & qui eas exercent, à laboribus & exercitiis honeſtis, quibus dediti eſſe debebant, avocantur & otio aſſueſcunt: qui uſuras dant ſæpè ita exſuguntur, ut nec ſortem, nec uſuras ſolvere poſſint: inde uſuræ uſurarum, aliæque fraudes excogitantur: hinc odia inter cives, hinc ſimultates & æmulationes, hinc inſidiæ, ſeditiones contra magiſtratum: cujus rei non deſunt exempla, quæ ſuppeditant hiſtoriæ quà veteres, quà recentes. Unde *Appian. lib. 1. ἐμφυλίων* ait: fœnerari, Perſis, Græcis & Romanis jam olim viſum fuiſſe δύσηρι & ἐχθροποιόν. Ut deniq; taceam quod abſurdum ſit dictu, Deum aut non prævidiſſe illa ex prohibitione uſurarum ſecutura incommoda, aut cum prævideret, avertere noluiſſe à ſua Republ. quam tamen inſtitutis optimis ſanctiſſimiſq; fundatam & informatam eſſe volebat: quorum illud à ſapientia ipſius, iſtud à bonitate eſt remotiſſimum atque alieniſſimum. Quæ cum ita ſint, Conſtitutiones Imperii aliquoties repetitæ ac renovatæ omninò uſuras prohibuerunt, nec ſuper illis jus dici voluerunt. *vid. Act. ſive Receſſus Comitiorum Auguſtæ habitorum, & Pol. ord. Anno 30. & 48. & Ratisbon. Anno 32. & 77. And. Gail. 2. obſ. 4. & 5. Pet. Frid. Mind. lib. 2 de proceſſ. & mand. Cam. c. 72. & 73.*

Hîc tamen obſervandum eſt, etiam Jure Canonico uſuras tanquam intereſſe honeſtum, quod in earum locum ſuccedit, peti poſſe: ut teſtantur *Panorm. ad c. conqu. ſtus. extr. de uſur. Pariſ. Cardin. conſ. 126. n. 20. vol. 1. Ioan. Sichard. ad l. 2. n. 1. C. de dot. prom. & nud. pollic. Hart. Harm in obſer. pract. forenſ c. 1. Miſcell. nu. 17. P. Coſtal. in Adverſ. ad l. 1. ff. de uſur. Cujac. in Recit. Decretal. c. 7. ad noſtram. de jurejur.* ut fit, quando moram in ſolvendo fecit debitor, & ob id creditor in damnum aliquod incurrit. *vid. & gl utriuſq; jur. ut in c. 8. conqueſtus. de uſur. in l. fin. C. de uſur. & in l. 5. C. de act. empt. Fr. Iunius quoq; vir doctiſſimus in Append. analyt. explic. Levitici:* uſuram non omnem lege divina prohiberi ſcribit, ſed eam ſolum, quæ pauperes egentes opprimat, aut pauperes faciat: quod probat ex ipſis textibus Moſaicis, proindeque uſuras planè tolli nec poſſe nec debere judicat, ſed eatenus permittendas, quatenus ea res æquitate, caritate, honeſtate & fide piè prudenterq; fuerit cõtemperata. Quod ibidem latiùs per neceſſarias cautiones munitum exponit, ſimulq; contrariis argumentis reſpondet, ita ut nihil in hoc genere breviùs & ſolidiùs vidiſſe me fatear. Videri quoq; utiliter poſſunt, quæ ſcripſit optimus & doctiſſimus Juriſcõſultus *Petr. Heigius. 2. q. 1. part.* Ad extremũ quæri hîc obiter poteſt, rectène principes Chriſtiani faciant permittentes Judæis ſive Hebræis exercitium uſurarum ſeu fœnoris: de qua quæſt *vid. deciſ. 57. A Teſſaur. & conſilium filij ejus, quod ibid. ſubjicitur.*

CAPUT XII.

DE EMPTIONE ANNVORVM REDITVVM, VEL ad dies vitæ, &c.

Emptionem tamé redituum annorum, vel etiam ad dies vitæ, qui incerti ſunt,

ut

ut Jus Pontificium,ita& Conſtitutiones Imperii permittunt:de qua emptionereдituum videre licet,quæ*Gail.ſcripſit d.lib.2.obſ.7.8.9.&10.*Et requiſita ejus contractus tria diligenter recenſet *Frid.d.c.72.n.4.* nempe I. ut emptor reddituum ſive penſionũ talium annuatim ſibi inferendarũ à venditore, pretium det venditori, nec habeat facultatem ejus repetendæ, ſed cogatur pecuniam relinquere penes ipſum,quamdiu ſolvit & infert penſiones venditas. II. Ne penſio,ſive cenſus, ſive reditus excedat juſtam quantitatẽ ratione pretii,id eſt,ultra rationem 20. pro 1.fl. ſive 5.pro 100: (quanquam Jus Pontificium in Extravag.de empt.& vend. permittat 1. pro 10.fl.) III. Ut venditor idemque debitor reddituum pro ſuo libitu & commodo poſſit,reſtituto pretio,illa obligatione præſtationeq; cenſuum ſeſe liberare. Quas res conditiones & tria,ut loquuntur,requiſita hujus contractus ibidem latiùs explicat. Quanquam autem,ut modò dictum,conſtitutionibus Imperii,& prohibitæ ſint uſuræ, & contra permiſſa emptio reddituum ſive cenſuum, ſicut eadem etiam Jure Pont. comprobatur à Mart. V. & Calixto III. *in c.1. & 2. Redimini in extrav. de empt. & vend.* tamen Friderus & uſuras ibidem defendit, ſi debito modo & ſervatis ſervandis dentur & accipiantur:& emptionem illam impugnat, ut ſub cujus ſpecie tegantur uſuræ & colorentur uſuræ, cum illiuſmodi emptione revera ab uſuris nihil differant, nihilq; ſint aliud, quam ſtipulationes uſurarum,poteſtate reluendi in ſolum debitorem collata,idq, in fraudem ſaluberrimi contractûs mutui,& in præjudicium creditoris. Similiter & ante ipſum contra illas reddituum emptiones diſputavit *Hotom.2.obſ.1.& in comment.ff.de uſur.* docens, tres ſub eo contractu latere occultiſſimas fraudes quaſi viperas, aut vulpeculas,ſic enim loquitur. Eæ fraudes quænam ſint apud ipſum videri poterit. Quicquid ſit, illo tamen jure utimur, ut Emptio ejuſmodi licita & juſta habeatur: de qua etiam conſuli poteſt *Ant.Teſſaur. deciſ.154. Pet. Coſtal. in Adverſ. Pand. ad l.1. de uſur. A.Fach.lib.2. controv. c.42. & 43. ubi diſputat* I. de juſto pretio in emptione cenſuum,& relatis aliorum diverſis opinionibus tandem concludit cum Menoch. &c. æſtimationi rei, ſuper qua conſtituitur cenſus,& fructibus: qui inde percipiuntur,pretium reſpondere debere:poſſe tamen etiam excedere. II. An cenſus debeat neceſſariò conſtitui ſuper rebus frugiferis. Miror autem ipſum Hotomanni rationibus nihil prorſus reſpondiſſe: Imò ne mentionem quidem ejus facere eo loco. Sed poſtea vidi,quod ex profeſſo contra eum diſputet alibi. *vid. lib.8. c.2.* ubi acerbiſſimè in eum maledictis invehitur.

Differentias autem inter annos reditus & uſuras collegit & expoſuit diligenter *Borchold.in tr.de uſur.c.4.* à quo peti poſſunt. Denique de uſuris chirographariis videri debet *Ant Faber decad.1.erro.2.* & de legitimo uſurarum modo *idem dec.10.err.1.* De crimine verò uſurarum (ut cum Canoniſtas loquar) an pertineat judicium Eccleſiaſticum,an ad civilem judicem,an ſit fori mixti,id eſt,quod æquè in foro civili atque in Eccleſiaſtico judicio poſſit diſceptari. vid. de hac controverſia *Fachin.lib.9. c.30. Item P.Coſtal. ad l.1. ff.de uſur.* Quamvis Carolus Molineus graviter reprehendat Canoniſtas & Theologos,qui quæſtiones de uſuris ad ſe ſolos pertinere contendunt. *vid. eum Tr.de uſur.q.2.n.70. & ſeqq uſque ad 87.* Atque hæc hactenus de uſuris quantum pro inſtituti noſtri ratione ſatis ſit attuliſſe.

S 3 Niſi

Digitized by Google

Niſi fortaſſis hoc etiam addendum, in quo differentia continetur. Jure civili regulariter Reus non eſt cogendus edere actori, quæ contra ſe faciant: cùm actor ipſe debeat eſſe inſtructus probationibus, cui nimis crudele eſſet reum ſuppeditare velut arma, quibus conficiatur. *l. 4. qui accuſare. C. de edend. l. 6. nimis grave. C. de teſtib. c. 1. extr. de probat. c. qui intendit. 4 q. 3.* Excipiuntur tantum cauſæ dotis & fiſci, quarum favor facit, ut cogatur reus contra ſe edere inſtrumenta: niſi cauſa criminis agatur. *Iaſ. ad l. 3. Senatus & ibid. P. Caſtal. ff. de edend.* Sed Jure Pont. introductum eſt à Clem. V. ut fœneratores ſive uſurarii cogantur libros Codices rationum & adverſaria ſua contra ſeipſos edere. *Clem. un. §. cæterum. de uſur.* Ratio Juris Can. eſt odium fœneratorum, & quia fraudes eorum vix aliàs detegi, ipſiq; de uſuraria pravitate convinci poſſint: cum ſoleant utplurimum occultè & doloſè contractus ſuos uſurarios inire. De Antichreſi quæ uſuræ vicina, ac gemina eſt, jam ſupra d. cum de Pactis ageremus.

Caput XIII.

De Praescriptione.

Nunc de Præſcriptione videamus: circa quam etiam occurrent aliquot inſignes inter utrumque Jus differentiæ: quas priuſquam exponere incipiamus, illud de verbo admonendi ſumus, Præſcriptionem propriè idem valere, quod Exceptionem: Unde *Rubr. ff. & C. ſic concipitur. De Exceptionib. ſive Præſcript. vid. Chariſ. lib. 2. Inſt. Gram. Cujac. init. comm. de diverſ. temp. præſ. & term. & init. tit. Decret. de præſcript. Schneidevv. init. tit. 1. de uſuc. n. 7. Donel. in com. lib. 5. c. 4.* Deinde præſcriptionem in ſpecie reſtrinxerunt ad materiam uſucapionis & acquiſitionis rerum aut juris per tempus lege definitum, puta quadriennii, 10. 20. 30. 40. 100. annorum vel etiam temporis immemorialis. Sic uſurpatur *in tit. C. de quad. præſc. Item in tit. de long. temp. præſc. & in tit. de præſc. 30. vel 40 annor.* Et ſic etiam *in Inſt. habet vulg. ed. tit. 6. lib. 2. de uſuc. & long. temp. præſc.* tametſi Cujac. aliiq; teſtentur in vet. Cod. eſſe: *de long. temp. poſſeſſion.* Sed parum intereſſe, hoc an illo modo legamus, docui ad Inſt. Ex quibus etiam hoc præviæ cognitionis loco afferendum eſt, Inter V. conditiones, ſive requiſita præſcriptionis ſive uſucapionis (Jam enim promiſcuè ſanè cum vulgo his duobus utamur) etiam eſſe bonam fidem, id eſt, ut poſſidens rem alterius habeat bonã & illæſam conſcientiam quoad illam rem, quam ſcil. credit ſe accepiſſe à domino habente poteſtatẽ ac jus diſtrahendi vel alienandi: ac proinde ſe quoq; dominum factũ eſſe. *l. 109. bonæ fidei emptor. ff. de V. S. l. 136. de R. I.* Contra verò cum mala fide non procedere uſucapionem, id eſt, ſi quis conſcientiam habeat læſam, non ignarus videlicet, ſe ab eo rem accepiſſe, qui non erat ejus dominus, vel poteſtatem alienandi non habebat. Nam quod vulgò definiunt malam fidem, ſcientiam rei alienæ, id non per omnia verum eſſe docet Cujac. *in obſ.*

Pluribus autem modis id accidere poſſe, ut quis rem alienam per errorem tanquam ſuam vendat, aut donet, eaq́; res à b. f. poſſeſſore uſucapiatur, demonſtrat *Cajus in l. 36. poteſt plurib. ff. de uſuc.* In dubio autem ſemper præſumitur potius bona, quam mala fides in poſſeſſore. *l. pen. C. de evict.* Mala fides eſt ſpecies

quædam

Digitized by Google

quædam delicti & delicta non præſumuntur, ut nec dolus. *Alciat. de præſum. reg. 3. præſ. 5. Fr. Balb. ad l. Celſus. part. 5. nu. 2. ff. de uſuc.* Ac ſufficit Jure civili, ſi adſit bona fides initio præſcriptionis, id eſt, à tempore traditionis: exceptâ emptione, in qua requiritur bona fides non tantum tempore traditionis, ſed etiam contractûs. *l. 2. in pr. ff. pro empt. l. 10. ſi aliena. in pr. ff. de uſuc.* Etiamſi poſtea superveniat mala fides, id eſt, incipiat quis habere conſcientiam rei alienæ, vel ſe accepiſſe rem à non domino, & eo qui poteſtatem alienandi non habebat, hoc nihil nocet aut impedit, quo minus ſemel rectè cœpta præſcriptio procedat & compleatur.

Deinde Jure civili in præſcriptione longiſſimi temporis, i. e. 30. vel 40. annorum (quæ vett. JCtis ignota per Imp. Theodoſ. & Anaſtaſ. introducta fuit ut communiter receptum teſtatur *Corn. conſ. 38. n. 10. lib. 1.*) non requiritur bona fides, ſed ſufficit ſolus curſus temporis ad poſſeſſionem, quamvis cum mala fide conjunctam, accedens *l. 3. ſicut. l. omnes. 4. l. cum notiſſimi. 7. C. de præſc. 30. vel* 40. *ann. quod Nic. Boër. communiter receptum ſcribit Deciſ. 42. n. 35.*

Hîc igitur duplex occurrit Jure Canonico diſcrepantia, quam ſummam vocat *Cujac. ad c. 5. vigilanti. extr. de præſcr.* quæq; paſſim ab omnibus Dd. prædicatur. I. hæc eſt, quod Jure Canonico non ſufficit in poſſidente ac præſcribere volente bonam fidem ab initio fuiſſe; ſed eandem uſq; ad complementum ac finem perſeverare & continuari oportet. Si mala fides quocunq; tempore ſuperveniat, jam interrumpitur præſcriptio, ut procedere amplius non poſſit, quamvis rectè cœpta fuerit: Imò Jure Can. qui malâ fide poſſidet, non dicitur poſſidere, ut notat *Br. Tr. differ. n. 133.*

II. Differentia eſt, quod Jur. Can: non ſolum in præſcriptione longi temporis, id eſt, X. vel XX. annorum, ſed etiam in præſcriptionibus longiſſimi temporis, i. e. XXX. vel XL. annorũ, imò etiam in immemoriali, i. e. cujus initium excedit omnem memoriam, requiratur continuò & ſemper b. f. *c. 3. in verb.* ſincerè, argumento à contrario ſenſu. *c. 5. vigilanti. c. pen. & ult. ext. de præſc. & ibi poſt Panor. & alios vett. Cujac.* Sunt enim verba ejus prohibitionis generalia, proindeq; generaliter, de quavis ſpecie præſcriptionis intelligenda: cum is qui omnia dicit nihil excludat vel excipiat. *vid. hac de differentia etiam Fr. Balb. Tr. de præſcr. & Ioan. Schneidevv. ad tit. I. de uſuc. par. 1. num. 16. uſq; ad 21. Dyn. Did. Covarr. & P. Peckium ad c. 2 poſſeſſor. De R. I. in 6. Mynſ. cent. 4. obſ. 6. Alciat. rubr. extr. de præſcr.* Ratio Juris Civilis eſt, ut ſit aliquis litium finis, quem afferunt præſcriptiones & uſucapiones, quæ proinde bono publico introductæ dicuntur. *l. 1 ff. de uſucap l. ult ff. pro ſuo.* Unde & *Caſſiod. in variis* præſcriptionem tricenariam vocat eleganter patronam generis humani, quia videlicet ſecuritatem præſtet hominibus. Anaſtaſius quoq; eandem ob cauſſam ſaluberrimam legem ſuam appellat *l. 4. omnes. in f. C. de præſcr. 30. vel 40. ann.* Cur autem ſuperveniens mala fides eo jure non noceat poſſidẽti, nec præſcriptioni ſemel rectè cœptæ ullum afferat impedimentũ, ratio eſt, quia initium aut aliàs in jure ita hîc quoq; ſpectandum ſit, non autem quæ ex poſt facto ſuperveniunt: Deinde uſucapiones & præſcriptiones ſunt juris: bona autem malavè fides ſunt facti, per ea autẽ, quæ ſunt facti, non debent ea tolli,

quæ

quæ ſunt juris. Quà de re explicatur *ad l.un.C. de uſuc. transfor.* Tertiò in præſcr. longiſſimi temporis, quare Jus civile bonam fidem non requirat, ratio poſita eſt in temporis diuturnitate & odio negligentiæ ejus, adverſus quem præſcribitur, & qui tàmdiu tacuit, nec jus ſuum perſecutus eſt. Denique de immemorali præſcriptione, cujus initii memoria non extat, cur in hac Jure Civili dicamus non requiri bonam fidem, ratio præter longinquitatem temporis eſt etiam hæc, quia talis præſcriptio habet vim privilegii cujuſdam. *Dd. ad l.2. in pr. ff. de aq. pluv. arc. ubi ait Paul.* Vetuſtas ſemper pro lege habetur, minuendarumq; litium cauſſâ. *vid. Gabriel. lib 5. Com. concl. tit. De præſcr.* Ratio autem Jur. Can. hac in parte abrogantis jus civile hæc ferè unica eſt, quæ redditur *in d.c ult. extr. de præſcr.* Quia qui mala fide rem detinet alienam, is contra conſcientiam facit, atque ita peccatum committit mortale: quod non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum, ut alibi ex Auguſtini ep. 54. ad Maced. refertur inter Reg. Jur. Pontif. Et alibi dicitur, ad gehennam ædificare quicquid fiat contra conſcientiam. *c. 13. literas. extr. de reſt. ſpoliat.* Nec diſtinguitur aut refert, quo tempore quis malam fidem, ſive conſcientiam rei alienæ habeat, in ea quæ eſt longi, vel longiſſimi, vel immemorialis temporis. Quò pertinet, quod ait Auguſtin. *lib. de fid. & oper. c.7. & refertur in c.8. ſi virgo.34. q.1. & 2.* In jure, inquit, prædiorum tàmdiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſ. dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat alienum: cum verò ſcierit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit, tunc malæ fidei poſſeſſor perhibebitur, tunc juſtè injuſtus vocabitur. Utitur etiam ad hanc rem Innocent. 3. in concilio generali dicto Apoſtoli *ad Rom. 14.* Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt: quod *Weſenb. quidem in addit. ad Schneidevv. d. loco num. 20.* nihil huc pertinere, nec à Pontifice & Canoniſtis intellectum putat: Sed mihi id non videtur: qui potius amplector illam interpretationem ejus dicti Apoſtolici, quam & antecedentia ſuppeditant, & probat *Cujac. ad d.c. ult. De præſcr.* nempe, ut non ex fide factum intelligamus, id quod fit contra animi noſtri conſcientiam, contra bonam & ſinceram fidem, ut ſi quid faciamus, quod intelligamus aut exiſtimemus fieri non oportere, aliud quippe dictante & reclamante conſcientia, quem τὸν ἔσω λόγον appellat Ariſtoteles, conſcientia pulſante animum, ut loquitur idem *Innoc. 3. in c. 44. inquiſitioni. ext. de ſent. excom.* Ut ſi quid poſſideamus quod noſtrum non eſſe, ſed ad alium pertinere ſciamus, nec tamen reſtituamus ſuo domino. Quæret aliquis, quid ergo, ſi mala fides ſuperveniat poſt completam præſcriptionem, id eſt, ſi quis tunc demum reſciſcat rem alienam fuiſſe, an poterit bona, atq; illæſa conſcientia eam retinere? an cogetur reſtituere? Hanc quæſtionem movent Canoniſtæ *poſt gl. in c.5. vigilanti. & c. fin. ext. de præſc.* Et reſpondent, perfecta jam uſucapione vel præſcriptione ſupervenientem ſcientiam rei alienæ ſive malæ fidei non nocere, neque tollere præſcriptionem completam, ſed poſſe eum, qui præſcripſit vel uſucepit, eam rem etiam in foro conſcientiæ (ut loquuntur) retinere, i.e. abſq; vitio. *vid. Wurmſ. Pract. fori obſerv. tit. 45. obſ. 15. ubi & Innoc. & Bald. allegat. Videatur quoque Balb. de præſc. 2. p. 3. pr. q. 9. Tiraq ceſſante cauſſa &c. limitat. 1. n. 16. & Menoch De recup poſſ. remed. 16. n. 17. Item Ari. Pinell. ad auth. niſi tricennalis. C. de bon mat. num. 56. Schneid. de uſuc. part. 1. n. 18. ubi præter Canoniſtas etiā allegat Phil. Mel. idem tenentem in Ethic.*

Digitized by Google

in Ethic. P. Peck. ad c. poſſeſſor. De R. I. in 6. num. 13. hanc quæſtionem omnium maximam vocat, & allatis primum aliquot rationibus dubitandi, aliorumq; diverſis opinionibus tandem concludit cum communi, quod talis poſſit rem retinere: idque ideò, Quia ſi juſtè poſſidet, qui auctore prætore poſſidet. *l. juſtè. ff. de acq. vel am. poſ.* multò majore nitetur juſtitiâ, qui auctoritate legis poſſidet, cum lex ſit rerum noſtrarum domina magis, quàm nos ipſi, eaſq; cui, & quando, & quia ex cauſſa ipſi placet vel adimit, vel attribuit: tùm quia in tanta incertitudine rerum humanarum fuerit conſtituendum aliquod extremum, in quo boni publici cauſa conquieſcere poſſemus. Sed hæ rationes, quibus tamen inter alias etiam Schneid. utitur, non tàm ad hanc noſtram quæſtionem pertinent, quàm generaliter ad omnem uſucapionem, & præſcriptionem bono publico introductam: Neque ex his rationibus adhuc ſatis apparet differentia inter eum, qui cœpit eſſe in mala fide ante completam præſcriptionem 30. annorum, & qui poſtea, cur de altero dici debeat, eum debere rem reddere domino, nec poſſe ſalvâ conſcientiâ ſibi retinere, de altero autem contrarium ſit ſtatuendum. Quare mihi magis probatur, ut hac in re quiſque ſequatur conſcientiæ ſuæ judicium & dictamen, à quo nefas ſit vel latum unguem diſcedere, ut & Attico ſuo ſcripſit graviſſ. Cicero. Connanus inter cauſam lucrativam & oneroſam diſtinguendum putat. *lib. 3. c. 13.* Succedit alia quæſtio, cum igitur tanta ſit inter Jus Can. & civile diſcrepantia, ut major eſſe non poſſit, utrum ex his ſit præferendum: Vel an utrumq; in ſuo foro ſit ſervandum, Civile in foro civili, Canonicum in Eccleſiaſtico: quod poſterius quidam exiſtimarunt: quam opinionem *gl. in cap. fin. ext. de præſcr.* tanquam veriorem ſequi communiter practicam teſtatur de ſuo tempore *Ferrar. in form. Reſp. rei conventi. in verb. præſcriptionis: in eamq; ſententiam inclinat etiam Weſenb. conſ. 5. num. 31.* Alii contrà etiam in foro Laicorum dicunt ſervandum eſſe Jus Canonicum, idq; propter periculum animæ, quod hîc verſetur, ſive propter materiam peccati, quæ hîc ſubſit. Verum hanc rationem *Ferrar. d. loco.* non dubitat appellare, ſalvâ reverentiâ multum fatuam, ut per quam infinita ſequerentur abſurda, & totaliter deſtrueretur legum poteſtas & auctoritas, & per conſequens attenuarentur vires imperii, imò & funditùs annihilarentur. Hæc enim ſunt ipſius verba: Pergit idem hac evidentiſſ. ratione demonſtrare. In contractibus emptionum & venditionum, locationum & conductionum, permutationum, depoſiti, commodati, mutui & ſimilibus, non minus verſatur animæ periculum ut plurimum, nempe ſi interveniat aliqua deceptio vel in pretio, vel in re, & ſic committitur peccatum: Itaque ex Pontificum & Canoniſtarũ ſive poſtulato ſive hypotheſi ſequeretur, etiam de hujuſmodi contractibus aliiſq; infinitis commutationibus & commerciis diſceptandum eſſe in foro clericorum, ſive in judicio Eccleſiaſtico, & ſecundùm jus Can. judicari debere, quo (inquit) nihil abſurdius dici poteſt, & ideò nullatenus id tolerandum. Addit poſtea: Quia bono publico inductæ ſint præſcriptiones Jure civ. & concernant ac diſponant ſuper bonis Laicorum quærendis vel amittendis, Papam non poſſe ſuper eis quicquam diſponere, quia mitteret falcem in meſſem alterius. Tandemq; concludit: Servetur ergo Jus Canon. inter clericos, qui portant conſcientiam in capucio, quo abjecto eorum conſcientia abjicitur. Sed

T quic-

Digitized by Google

quicquid dicat Ferrarienſis,& de communi practica ſui temporis ac loci teſtetur, eam ſequi jus civ.noſtris moribus ac temporibus contrarium eſt receptum, nempe ut in materia præſcriptionum ſequamur jus Can.etiam in foro civili: Atque ita etiam in Camera obſervari ac judicari teſtis eſt *Mynſ.cent.4 obſ.6.& A.Gail.2.obſ.18. n.6.& 10.Idem Mynſ.Reſp.41.n.13. & reſp.3. Dec.14.n.6. vid.& Rol à Vall.conſ.6.n.42.& 43 vol.2.& Pariſ conſ 92.n.6.vol.3.& Modeſt.Piſt.conſ.27.n.53.cum 2.ſeqq.nec nõ in conſ. colleg.Iurid.Ingolſt.ibidem ſubjecto n.57.& 59.& conſ.49.n.11.eod.lib.1.& conſ.25.Acad. Franc.n.23.cum aliquot ſeqq.vol.2.inter conſilia Modeſt.ut alios nunc omittam.* Hic tamen notandum, Jure Saxonico præſcriptionem etiam abſq; bona fide procedere poſſe: quia ſtatutaria illa præſcriptio, quâ omnes actiones indiſtinctè extinguantur 30.& uno annis bonam fidem non requirit. *Weſ.d.conſ.5.n.31. verſ. Quamobrem in foro Sax.& conſ.14.n.77. Idem in addit ad Schneid. De uſuc. & in Parat. ff.eod. quem refert & ſequitur Borcheld in conſ.* Tametſi alâs communis ſit opinio, *teſte Virio lib. 1.opin.n.276.in fin.* nec ſtatuto edici poſſe, ut præſcriptio procedat cum mala fide. Quod facilè concedo de expreſſa malæ fidei mentione: hæc enim invitare videtur homines ad delinquendũ: Sed tacitè id fieri poſſe putarim, nempe dum ſtatutum quamlibet præſcriptionem tot,verbi gratia 30.& 1.annorum admittit indiſtinctè &c. Nam & aliàs in jure, quæ expreſſa nocerent, non expreſſa non nocent.

Porrò ſuperioribus duabus differentiis hæc quoq; addenda eſt, quod cum jure civili mala fides in herede non impediat, quin poſſit implere uſucapionem à defuncto bona fide inceptam. *l.2.§. ſi defunctus.ff.pro empt.* Jure Canonico talis heres, qui ſcit rem alienam eſſe, quam defunctus ignorabat, uſucapere amplius non poſſit: Ex textibus & rationibus ſupra adductis.

Item hæc differentia: quod Jure civ. poſſit uſucapio inchoari & procedere cum mala fide, ſi cauſſa vel titulus poſſeſſionis ſit cum auctoritate rei judicatæ vel decreti. *l. & generaliter ff.de nox.act.* Aliud autem ſit ex J.Can. De quibus differentiis *vid.Ar.Pinell.auth. niſi tricennale.n.56. de bon.mat.*

CAPUT XIV.

DE PRAESCRIPTIONE CENTENARIA ſive ſeculari.

HOc loco non alienum videtur ab inſtituto, ſi priuſquam ad alia pergam nonnulla de præſcriptione centenaria (quam & ſecularem vocare licet, ut carmen ſeculare apud Horatium) breviter annotem, præſertim cum & hic ſubſit differentia inter utrumque Jus, ut ſanioris Juris Conſulti omnes fatentur: præterea hîc multa contineantur memorabilia tum ad hiſtoriam & artes aulicas, tùm ad Jus Eccleſiæ pertinentia, tum ad explicationem aliquot locorum utriuſque juris: *ut ad l 23. ut inter divinum: cum Auth.quas actiones. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. Item ad Nov. 9. 111. 131.*

Sciendum eſt igitur, I. hanc ſpeciem præſcriptionis C.annorum, ſive ſeculi introductam eſſe à Juſtin. & datam Eccleſiis, primum quidem Orientalibus, *in d. l.ultim. C. de SS. Eccleſ.* deinde verò communicata cum Occidentalibus, quarum præcipua Romana, *in Nov.9.* Nam ante illas conſtitutiones, ſicut actiones privatis

tis competentes omnes longiſſimi temporis præſcriptione excludebantur, id eſt, 30. annorum, paucis exceptis, quibus non niſi 40. annorum obſtat præſcriptio, *ut videre eſt ſub tit. C. de præſc. 30. vel 40. annorum.* Ita & Eccleſiæ eodem cum privatis jure cenſebantur: nec privilegium hîc ullam habebant: idque ſive ageretur de præſcriptione privati adverſus Eccleſiam, ſive de Eccleſiæ adverſus aliam Eccleſiam. *vid. Cuja. c. 3. ſanctorũ extr. de præſc.* qui ad hanc rem allegat aliquot *Canones 16. q. 3. (al. 4.)* Ratio quæ Imp. ad hanc Juris mutationem movit, ut inquam centenariam præſcriptionem introduceret, hæc ab ipſo allegatur in *d. l. ult.* nempe ut eſſet aliqua competens diſcretio inter commoda privata, & inter divina & publica. Hoc vult dicere, Quia favor Eccleſiæ & Rerump. major quam privatorum, poſtulet etiam, ut illis, quam his plura & majora tribuantur privilegia: quale hoc etiam eſt, ut non tàm citò jus ſibi competens per præſcriptionem amittant, quam privati ſolent ſuo jure excidere. Specioſa ſanè ratio: ſed hiſtoria à Suida deſcripta oſtendit, hanc πρόφασιν potius fuiſſe, veram autem cauſam impulſivam fuiſſe longè aliam: quod ex ſequenti commemoratione liquebit, quam ex Suida in voce Priſcos Emeſenos deſumpſi. Erat Emeſæ, (quæ civitas eſt Phæniciæ Libanuſiæ, *teſte Stephano, de urbib.*) vir quidam Patricius Mammianus in re lautiſſima, qui heredem inſtituerat Eccleſiam Emeſenam, Eccleſiæ illius Oeconomi non contenti divitiis juſtè partis ac relictis, ut avaritiam ſuam inſatiabilem explerent ad malas artes & falſi crimina confugerunt. Itaque Priſcum quendam civem ejus loci, qui aliorum ſcripturas ſcitè imitari poterat, ſubornarunt & ſpe participandæ prædæ induxerunt, ut manifeſto crimine falſi multa conſcriberet inſtrumenta obligationum, quaſi ab aliis confecta, dataq; Mammiano, qui promitterent, ſe ei reſtituturos pecunias quas ἐν παραθήκης λόγῳ, id eſt, in cauſa depoſiti, ab ipſo accepiſſent, ac penes ſe haberent. Inprimis autem cujuſdam tabellionis pridem defuncti, qui ut vir fide virtuteq; præſtans ac celebris civibus frequentem in foro operam dabat, eorum inſtrumenta ſuâ ſubnotatione confirmans (ut hodieque ſolent notarii) hujus inquam fide digni, omnique exceptione majoris viri auctoritate ad eam rem abutebatur Priſcus ille falſarius, manum ejus imitando, & ſubſcriptiones plurimas confingendo. Ea inſtrumenta improbus ſcriptor Oeconomis improbis tradebat. Oeconomi pecunias petebant ab iis, quorum nomina eſſent tabulis inſerta, quaſi cum Mammiano contraxiſſent eiq; deberent, & jam ejus heredi Eccleſiæ, cum tamen revera neque cum illo contraxiſſent, neq; quicquam vel ipſi vel Eccleſiæ deberent. Sed ut ſcelerea conſilium habere non ſolent, & cæca ferè eſt improbitas, ita & hi falſarii non ſatis circumſpecti, cautique fuerunt Nam in diebus & annis Inſtrumentorum ponendis non attendebat Priſcus iſte, quod dies actionum jam exiiſſent, & ita Eccleſiæ Emeſenæ ejuſve Oeconomis adverſus prætenſos debitores hereditarios agentibus nihil prodeſſent illa inſtrumenta quippe quibus objici poſſet præſcriptio vel 30. annorum vel 40. Itaque ſic ſuis artibus deluſi fruſtrataque ſpe prædæ, non hîc quieverunt, ſed ſcelus ſcelere cumulantes ad jus novum per largitiones impetrandum confugiunt. Proficiſcuntur Conſtantinopolim ad aulam Imp. Juſtin. ibique ſuis largitionibus & corruptelis hoc efficiunt apud bonum illum & ἀνεξιφάβωτον

principem (qui totus pendebat ab uxore ſua Theodora imperioſa & impotentis animi fœmina, & à Triboniano avariſſimo, quem alibi teſtatur Suidas in verbo: Tribunianus, leges pretio fixiſſe) ut jus novum conderet, quo ſanciretur, Eccleſiis non 30. vel 40. annorum, ſed C. præſcriptionem obſtare debere, ſive Eccleſiæ aliiſque piis locis aliqua res vendita ſit, ſive donata, ſive relicta titulo inſtitutionis, ſive legati ſive fideicommiſſi, ut inquam ejus rei exactio petitioque ſalva ſit Eccleſiæ ad C. annos, qui longiſſimus eſt vitæ humanæ terminus. Atque hæc eſt conſtitutio illa *Iuſtin. d. l. ultim. Cod. de SS. Eccleſ.* ea, qua dixi occaſione promulgata, id eſt, ad inſtantiam & ambitionem ac largitiones Oeconomorum falſariorum Eccleſiæ Emeſenæ, qui ſub falſo prætextu pietatis non tam Eccleſiæ, quàm ſuum negotium agebant, ita ut ſæpè fit. Notandum eſt autem, quod Imp. ſuam illam conſtitut. non tantum in futuris negotiis obtinere juſſit, (ut regulariter ſolent leges in futurum ferri) ſed etiam in iis, quæ jam eſſent in judicium deducta & pendentia, ut habet ultima ejus legis clauſula, procul dubio in gratiam impetrantium illud jus novum addita. Hæc enim ſi non fuiſſet adjecta, certum eſt, eam conſtitutionem ipſis parum, vel potius nihil, fuiſſe profuturam, quam tamen cupiebant ſibi vel maximè ac primò omnium prodeſſe adverſus eos, quos tanquam debitores Mammiani ex illis inſtrumentis conveniebant, ut Eccleſiæ Emeſenæ ſolverent non obſtante præſcriptione 30. vel 40. annorum, quam prius illi objecerant, ſed eliſit nova illa conſtit. Juſtiniani, continens jus ſatis iniquum, cum tamen aliàs traditum ſit, Reſcripta, quæ contra jus ſcriptum impetrata fuerint, niſi talia ſint, quæ illis quibus data fuerint, proſint, & nulli obſint, nullius eſſe cenſenda momenti. *l. 7. reſcripta. Cod. de prec. Imp. off.* quæ canonizatur in iis quæ ſubjecta ſunt. *can. 16. jubemus 16. q. 3. (al. 4.)* & *in can. 15. reſcripta. 25. q. 2.* Certum quoque ſit, ne Imp. quidem cuiquam jus ſuum auferre poſſe, quod tamen illis debitoribus Emeſenis hac ratione ademptum fuit, & quidem in gratiam iſtorum nebulonum & falſariorum. Non minus enim committit crimen falſi & in l. Corn. incidit, qui inſtrumento falſo ſciens dolo malo utitur, quàm qui id confecit. Hæc eſt hiſtoria conditæ *l. ult. ut inter divinum.* paucis cognita: quam ideo referre volui pleniùs, quia multa complectitur memorabilia. Eam legem, ut dixi, poſtea Juſtin. confirmavit ac declaravit in Nov. 9. quam velut donariũ inſcripſit Joanni Archiepiſcopo & patriarchæ vet. Romæ cui etiam inſcripta eſt epiſtola Juſtin. Nos reddentes honorem &c. cui reſpondet idem in Epiſt. Inter claras. *vid. l. 3. & 4. C. de ſum. Trin. & fide Cathol.* de qua aliàs dicetur: cumque *l. ult.* generaliter loqueretur de Eccleſiis, ad Eccleſias occidentales produxit, aut certè ita declaravit, quod ad eas atque ad Rom. non minus pertineret quàm ad Conſtantinopolitanam, Emeſenam aliàsve Orientales: Eiq; Novellæ eandem addit clauſulam, ut etiam ad pendentia negotia pertineat. Ex quib. apparet, Juſtinianum hac in re, id eſt, quo ad præſcriptionem C. annorum æquiparaſſe omnes Eccleſias, nec aliquid ſpeciale tribuiſſe Eccleſiæ Romanæ, ut vulgò putant, & polliceri videtur inſcriptio *d. Nov. 9. Vt Eccleſia Rom. C annorum gaudeat præſcriptione.* Quod cum primò didiciſſem ex D. Gyphanio, poſtea etiam vidi magnâ aſſeveratione, & quidem ſæpius, repetitum poni à doctiſſimo Ario Pinell. *ad d.*

Auth.

Digitized by Google

Auth. Niſi tricennalis. n.57. C. bon. mat. addit tamen ἐπιθεραπείαν, his verbis, (ſervata debita reverentia ſummis Pontificibus, ſacroſanctoq; Juri Canonico) quaſi dicam, eorum judicio ac definitioni ſe illam ſuam diſputationem ſubjicere.

Sed illam centenariam præſcriptionem pro Eccleſiarum, ut & civitatum, favore ſic introductam, poſterius idem Imp. ſuſtulit aliis Novell. Nempe 111. & 131. quibus præſcriptionem XL. annorum, ſive ut loquitur, octo luſtrorum ei ſubſtituit. Ratio ibidem affertur mutati Juris, id eſt, ſublatæ, centum annorum præſcriptionis, Quia per illius ſanctionis licentiam (intellige *d. l. ult. C. de ſacroſ. Eccl. & d. Nov. 9.*) multa negotia fuerint commota, & velut antiquorum vulnerum obductæ cicatrices iterum patuerint; ſanitas autem non potuerit provenire ob difficultatem probationum, quæ tanto temporis ſpatio ac potius ſeculo interciderint, Atq; ita, quod conjectura crediderat profuturum, experimento cognitum fuerit inutile & damnoſum: ſicut ſæpè etiam in medicamentis morborum uſuvenit, ut quæ maximè profutura putabantur, ut maximè noceant ægroto, qua eleganti comparatione Imp. initio d. Nov. utitur. Nam, ut ait, Quod medicamenta morbis, hoc jura exhibent negotiis, &c. Cum autem Imp. neque civitatum ibi faciat mentionem, ſed tantum Eccleſiarum, & monaſteriorum, & aliorum locorum religioſorum, neque in ſpecie Rom. Eccleſiæ: occaſionem ea re præbuit duplici controverſiæ, quam moverunt Interpp. 1. eſt, An quod de Eccleſiis & piis locis cæteris ibi mutavit Imp. ut non C. annorum, ſed 40. tantum deinceps utantur præſcriptione, idem etiam intelligendum ſit mutatum in civitatibus. Et probo ſententiam eorum, qui id affirmant. Itaque ajo, Civitates æquè ac Eccleſias non amplius C. annorum, præſcriptione gaudere, ſed quadragenariâ excludi. Argumenta pro hac ſententia, ut etiam pro contrariâ negativâ, quæ eſt Cujac. & aliorum, eorumq; ſolutiones videri poſſunt apud *Fachin. lib. 8. c. 3. quem non compilabo.* Agit etiam hac de re Giphan. *ad d. l. ult.* In eo quoque libenter aſſentior Fach. C. annorum præſcriptionem non competere fiſco, ſed nec principibus.

Altera eſt controverſia, An ſub generali illa conſtitutione de 40. annorum præſcriptione Eccleſiis competente, etiam Romana intelligi debeat comprehendi. Plerique putant non comprehendi Eccleſiam Romanam, ſed in ea hodieq; durare privilegiū centenariæ præſcriptionis. Et in hac ſententia fuit Irner. ſive quiſquis eſt auctor Auth. *Quas actiones. Cod. de SS. Eccleſ.* dum *in fin.* ſic poſuit, ſola Romana Eccleſia gaudente C. annorum ſpatio vel privilegio. Cum tamen certum ſit, clauſulas Codici inſertas ex Novellis, quas vulgò Authenticas vocamus ſemper debere intelligi ſecundum ipſas Nov. unde excerptæ ſunt, nec plus minuſve dicere debere, quam in ipſo fonte ſeu corpore contineatur. Quod & aliàs admonui, maximè *de Auth. ſimiliter. C. ad l. Falc.* Atque hoc eſt, quod his verbis notavit etiam *Arius Pinell. ad d. Auth. num. 57. ex gloſ. & Salic. in d. Auth. Quas actiones.* Quod Irnerius errore lapſus adjecerit ult. partem textûs ibi (ſola Romana Eccleſia) contra originale dictum Authentici, id eſt, Novellæ, Hæc conſtitutio, &c. Certè Gregorius M. qui non diu poſt Juſtinianum Papa Rom. fuit, nec ignoravit novellas Juſtiniani, quas alibi etiam ſolet allegare, vult Eccleſiæ Romanæ obſtare 40. annorum præſcriptionem lib. 1. Regeſti. ep. 9. qui locus relatus eſt

 à Gra-

Digitized by Google

à Gratiano *in Decr.cap.2. volumus 16. q.4. (al.5.)* ſi, inquit, monaſterium fines, de quibus cauſatio mota eſt, inconcuſſos 40. annis poſſediſſe reperteris, nullam deinceps, etiamſi quid ſanctæ Rom. Eccleſiæ competere potuit, patiaris ſuſtinere calumniam: Sed quietem eorum inconcuſſam omnibus modis procurare, Ecce, ubi tum fuit illa, quam jactant ſoli Eccleſiæ Rom. à Juſtiniano conceſſam & non revocatam, Centenaria præſcriptio? quam certè etiam allegaſſet Greg. M. eaque uſus fuiſſet omninò, niſi intellexiſſet, poſterioribus Novellis revocatam & ſublatam fuiſſe ab eodem, qui conceſſerat, Imperatore: & niſi ſciviſſet, Legibus abrogatis non amplius utendum, & priores abrogari per poſteriores. Taceo nunc, quod abſurdum ſit dictu, Juſtin. dd. Novell. poſterioribus tantum reſpexiſſe *ad l.ult. C. de SS. Eccleſ.* ut eam abrogaret, non autem ſimul etiam ad Nov.9. Imò utramq; conſtitutionem anteriorem abrogare voluit. Taceo quod ratio abrogatæ C. annorum præſcriptionis, quam affert Imp. generalis ſit, æquè pertinens ad Ecaleſiam Rom. atque ad quamlibet aliam. Taceo auctoritatem Juliani anteceſſoris, qui in ſua translatione. *Novell.131.* Eccleſiam Romanam non excipit à generali regula de religioſis locis & quadragenaria præſcriptione ipſis competente: quod procul dubio facturus fuiſſet, ſi ea ſui Imp. mens fuiſſet, quam Irner. aliique nonnulli ipſi affinxerunt. Juliani illa verba referuntur etiam *in can. ultim.16. quæſt. 4. (al.5.)* Omninò autem plus habendum eſt fidei Juliano, quem νομικῆς φάος vocat antiquum Epigramma, quàm Irnetio longè poſteriori: Quamquam autem hæc ita ſe habent, tamen poſteriores Pontifices centenariam præſcriptionem Eccleſiæ Romanæ ſoli arrogarunt, nimirum quod vel putarint, Juſtinianum Eccleſiæ Romanæ reliquiſſe centum annorum præſcriptionem, quam aliis Eccleſiis ademerat, data ipſis 40. annorum præſcriptione, vel certè ſibi ipſis legem dicentes & ſuis ſtudentes commodis ad priores Juſtiniani jam abrogatas conſtitutiones redire maluerint, & præcipuum quippiam habere, quam pati ſe ſuamque rem velut in ordinem cogi cum cæteris Eccleſiis. vid. *Ioannem VIII. in can. ult. 16. q.3. al.4. & Innoc. III. in c.13. ad audientiam. c.14. cum vobis & c.17. ſi diligenti. in ſin. ext. de præſcr. Boniſacium. VIII. in c.2. ſi qui. De præſcr. in 6.* Ex quibus locis obſervat Pinel. *ad d. A*[illegible]*niſi tricennale.* Privilegium iſtud Eccleſiæ Rom. à ſummis Pontificibus primò [illegible]ctum dici debere, & tantum auctoritate Juris Can. probandum fore. Laudo vehementer hanc Luſitani Doctiſſimi ingenuitatē: ut & *Cujac.5.obſ.c.5.* quæſo, inquit, cur etiam non fatentur correctā Nov.9. Eſt namq; Nov.111. poſterior, nec eſt cur plus occidenti quàm orienti tribuatur. Contra verò ἀρέσκειαν vel ἀλοχοχοτίαν And. Fach. hac in re valdè improbo, qui in gratiā Pontificis conatur nobis perſuadere, Nov. Juſt.111. non poſſe trahi ad Eccleſiam Romanam, & Nov.9. ſpeciale privilegium Rom. Eccleſiæ continere, quod ei reliquerit Juſtin. cum aliis Eccleſiis pro C. annorum preſcriptione daret quadragenariam. Argumenta ipſius, quæ ad hanc ſententiam ſtabiliendam affert *lib.8. controv. Iur.c.3.* nimis ſunt imbecillia & frivola, & ex ſuperioribus, quæ hactenus, ſtudio veritatis potius, quàm partium dixi, facilè refutari à vobis poterunt. Jam ut rem in pauca conferam, & differentiam uno verbo vobis indicem, quam nullam eſſe volunt Pontifices, cùm tamen aliquam eſſe conſtet: Differentia hæc eſt, Jure civili noviſſimo & prioris deroga-

Digitized by Google

derogatorio Rom. Eccleſia non gaudet præſcriptione C. ſed XL. annorum, perinde ut aliæ Eccleſiæ, præ quibus nihil hîc habet præcipuum: Jure Canonico Eccleſia Romana ſpeciale habet privilegium, ut ſola gaudeat C. annorum præſcriptione. Et ratio huius privilegii affertur ea, quia hæc Eccleſia primatum quendam & magiſterium habet præ cæteris univerſi orbis Eccleſiis: de quo primatu multa paſſim in I. Can. habentur, *& ab Andr. Alciat. in com. ad l. inter claras. C. de ſumm. Trin. & fid. Cath. & à Rob. Bellarm. aliiſque colliguntur ac propugnantur*; de quo nos quoque alibi plura. Sunt tamen aliqui caſus, quibus etiam Romana Eccleſia non habet hoc privilegium centenariæ præſcriptionis, ſed tantum ut aliæ Eccleſiæ quadragenariæ: quorum unus affertur à Bonifac. VIII. *in d. c. 2. de de præſcr. in 6.* nempe ſi agat Eccleſia Romana contra liberos orthodoxos & catholicos hæreticorum parentum, quorum bona ab ipſis poſſeſſa liberis poteſt intra 40. annos eis auferre Eccleſia Romana tanquam ſibi commiſſa ob crimen hæreſeos: poſtea verò non amplius poteſt, ſed cogitur liberis ea relinquere.

CAPUT XV.

DE ALIIS QUIBUSDAM CIRCA PRAEſcriptionem differentiis.

SEquuntur & aliæ nonnullæ differentiæ circa præſcriptionem. v. g. Jure civili ita diſtinguitur, ut poſſeſſori bonæ fidei non tantum exceptio, ſed etiam actio detur: poſſeſſori malæ fidei præſcribenti detur exceptio tantum, non etiam actio, niſi contra furem vel violentum poſſeſſorem. *ſi quis emptionis. C. de præſcr. 30. vel 40. annor.* Jure autem Canonico quo præſcriptio nunquam cum mal. fide procedit, ut ſupra d. bonæ fidei poſſeſſori æquè actio atque exceptio datur. *Bapt. de S. Blaſ. num. 65.*

Alia differentia eſt, quod contra Eccleſiam non currit præſcriptio, per totum id tempus, quo habet Prælatum, malè eius res adminiſtrantem & dilapidantem: Sed demum à morte eius incipit. *Bart. diff. 155. per can. 10. ſi ſacerdotes. 16. quæſt. 30.* Ratio eſt favor Eccleſiæ, cui non debet nocere negligentia, vel etiam dolus ſui prælati: noceret autem ſi præſcriptio eo vivo curreret, de rebus ab ipſo diſſipatis. Huc pertinet quod ait Gunther. Neque enim quod paſtor iniquè geſſerit, Eccleſiæ fas eſt in damna refundi. Et multò ante eum *Gregor. M. 11. ep. 10.* Delictum perſonæ in damnum Eccleſiæ non eſt convertendum. Sed Jure civili id receptum non eſt, quin potius ſtatim poſt alienationem etiam vivo prælato præſcripto 40. annorum contra Eccleſiam currere incipit, *arg. auth. Quas actiones. Cod. de SS. Eccleſ. & Nov. unde ſumitur*, quæ hoc diſcrimen boni malive prælati ignorat.

Alia differentia eſt, Quod Jure civili, ex ſententia Interpretũ tamen potius, quàm ex legum verbis, Eccleſia contra præſcriptionem adverſus ſe completam poteſt petere reſtitutionem in integrum inter quadriennium à tempore completæ præſcriptionis. Rationem hanc afferunt, quod Eccleſia & Reſpublica comparentur. *arg. l. ult. C. de SS. Eccleſ.* ubi quæ datur Eccleſiæ C. annorum præſcriptio datur eadem & civitatibus. At Reſp. vel civitas poteſt reſtitui adverſus præſcriptionem. *l. Reſpubl. C. ex quib. cauſ. ma.* Ergò & Eccleſia. Cui tamen rationi occurri

Digitized by Google

occurri poteſt, dicendo, Non ſequi ut quæ in uno alterove comparantur, ea per omnia ſint ſimilia, & eodem jure cenſeantur: Nec debere nos argumentando novum jus introducere, non latores legum, ſed interpretes ſumus.

Jure autem Canonico negant Eccleſiam reſtitui adverſus præſcriptionem, ut notant Canoniſtæ *in c.3. auditis.extr.de in int. reſt.* idq; ideo, quia alioquin fruſtra eſſent Jura Can. de præſcriptione loquentia: tametſi hoc tentarit *Bart. nu.28. in Tr. differ.* etiam Eccleſiam reſtitui poſſe, quia Eccleſia æquiparetur minori. *cap. 1. & d.c.3. auditis extr. de in int. reſt.* Eccleſia, inquit Alexand. 3. jure minoris debet ſemper illæſa ſervari. Et Innocent. 3. Eccleſia fungitur jure minoris. *vid. de hac diff. Bapt. à S.Blaſ. num.79.* Alia diſt. eſt, quod Jure civili poſtliminio reverſis datur reſciſſoria intra quadriennium à tempore reverſionis. *l. ultim. C. de in int. reſt. §.rurſus. I. de act.* Jure Can. eis non datur reſtitutio, ut qua non ſit opus ipſo jure tutis: quia non currit præſcriptio contra eos. *can. 13. prima actione & can. ſeq. 16. q.3. Bart.n.21.*

Alia differentia eſt, ſecundum Bart. *num. 20.* Quod Res de qua data fuit tenuta (ſic vocant Dd. ſimplicem detentionem, quæ non tribuit jus poſſeſſionis, ſed tantum in poſſeſſione quem eſſe facit, de qua re *Bart. ad l. Fulcin. ff. quib. ex in cauſ. in poſſ. eatur*) Jure civili uſque ad 30. Jure Can. uſq; ad 40. annos repetitur.

Alia differentia eſt, quod aliter & alio tempore præſcribuntur ſervitutes & jura cauſam diſcontinuam vel continuam habentia Jure canonico quam civili. Qua de re videri poteſt. *Bart.n.73. & Bapt. de S. Blaſ. num. 10. & Fr. Duar. in Anniv. Diſput.*

Annotant etiam quandam differentiam utriuſque juris circa conſuetudinis præſcriptionem, *de qua Bart. num.179. & Bapt. à. S. Blaſ. 55. videri poſſunt.* Nobis enim jam ad alia properandum eſt. Attingam hoc loco breviter præſcriptionem Decimarum. Initio autem tenendum eſt diſcrimen earum. Aliæ enim ſunt. Decimæ Eccleſiaſticæ ſive ſpirituales, ut vocant: quas ajunt eſſe Juris divini, quia videlicet Deus ipſe in ſua lege primitias & decimas conſtituerit, ut ex earum oblationibus viverent Levitæ ſacrorum adminiſtri, quoniam his non erat in diſtributione terræ ſanctæ ulla aſſignata portio, neque prædia poſſidere licebat: Et quia Deus hoc ſignum eſſe voluit univerſalis dominii omnium rerum. *c. 14. parochianos cap.26. tua nobis & c.33. cum non ſit extr. de dec.* Aliæ verò ſunt Decimæ prophanæ ſive Laicorum, ſive feudales: quarum mentionem facit *Guli. Bened. in c. Raynutius num. 69. & Io. Fab. in §. item Serviana. I. de act.* Prioris generis decimas Laici Jure Canonico prohibentur poſſidere: adeò ut ſi Eccleſiæ non reſtituant, Chriſtiana ſepultura privandi ſint *c. 19. prohibemus. De decimis.* Imò etiam Prælati Laicis indulgentes de ſtatu ſuo dejiciendi. *cap. 17. quamvis. d. t.* Et quia poſſidere non queunt per conſequens etiam uſucapere non poſſunt, cum ſine poſſeſſione nulla procedat præſcriptio ſive uſucapio. *c. fine. De R. I. in 6. l.25. ff. de uſuc. cap. 7. cauſa. extr. de præſ. c. prohibemus. 19. cap. dudum. 31. ext. de decimis. cum ſimil.* Primum igitur, ut dixi, non poſſunt Laici tales decimas præſcribere, nempe ut completa præſcriptione ipſis incipiant deberi. Deinde etiam non poſſunt Laici præſcriptione acquirere ſibi libertatem à præſtatione decimarum, ut eas debere

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ deſinant, *ut not. Abbas & Felin. in d. c. cauſam. De præſc. Et in c. in aliquibus. 32. extr. de decim.* Tametſi Eccleſia contra Eccleſiam aliam poſſit & decimas præſcriptione ſibi acquirere, vel cum titulo in quadragenaria præſcriptione, vel etiam ſine titulo, ſi allegetur præſcriptio cujus contrarii memoria non extat. *c. 1. de præſcr. lib. 6. juncto c. 31. dudum. verſ. unde Iure communi. extr. de decim.* & à præſtatione earum ſeſe liberare, *ut docet gl. in d. c. in aliquibus. Felin in d. c. cauſam.* Ratio differentiæ inter Eccleſiam & Laicum, cum in hoc prohibita ſit præſcriptio, in illa permiſſa, ſatis per ſe eſt manifeſta, Quia Laicis non licet decimas poſſidere (quæ tributa egentium animarum dicuntur *in c. 26. tua nobis. ext. de decim.*) Eccleſiæ verò licet: nec multum intereſt, huic an illi Eccleſiæ pendantur decimæ modò Eccleſiæ alicui & non laico pendantur. Et hæc de priori decimarum genere. De poſteriore ita jus eſt, ut Laicis eas tanquam res profanas præſcribere contra alios Laicos non minus quàm feuda, quorum naturam ſequuntur, liceat. Nam & vendere eas, & aliis modis alienare & liberè, tanquam de ſui patrimonii rebus diſponere liceat. *Wurmſ. in pract. for. obſer. tit. 45. obſ. 17. num. 8.* ubi ad hoc allegat Felini & Cardin. auctoritatem. Obſervandum tamen de moribus noſtris hodiè paſſim locorum etiam prioris generis decimas Eccleſiaſticas ſcilicet vel ſpirituales, à Laicis poſſideri, qui quorumve majores eas ab Epiſcopis redemerunt, vel titulo permutationis aliove acquiſiverunt, & aliorum inſtar jurium vel ſervitutum uſurpant. Hoc quoque obſervandum velut ſingulare, quod cum jure civili fructus non intelligantur niſi deductis impenſis, qui ſuperſunt, Jus Canon. vult decimas fructuum ſolvi non deductis expenſis, ſine deductione ſeminis & ſumptuum. *c. 7. cum homines & c. 26. tua nobis. extr. de decim.* Quam differentiam *& Bart. notavit num. 106. & Bapt. à S. Blaſ. num. 127.* Præterea & hoc notandum: In tarda ſolutione Decimarum moram Eccleſiæ fieri ex re ipſa, & ſine interpellatione. *vid. Bart. n. 107.*

Poſtremò & hoc obſervandum, cauſſas decimarum Jure Canonico diſceptandas ſive agitandas eſſe coram Judice Eccleſiaſtico. *vid. Hartm. ab Eppingen. Miſcellan. cap. 2. obſ. 9.*

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER QUINTUS.

DE IUDICIIS.

PROOEMIUM.

ACcedamus ad partem hujus tractatus facilè principem, quæ eſt de Judiciis, & quæ in illis intervenire agitariq; ſolent. Quam verò hæc res neceſſaria ſit cognitu, vel inde æſtimari poteſt, quod ferè ubivis locorum ea agendi in Judiciis ratio uſu recepta eſt, quæ Jure Can. continetur, toto ferè lib. 2. decret. In cujus explicatione & vet In-

terpretes & doctiſſ. Cujac. multas annotant differentias utriuſque Juris. Cujus quidem ſummi viri & de utroque jure optimè meriti teſtimonium ad id, quod dixi, confirmandum, ſimulq; commendandum Jus Canonicum adducere libet ex ejus præfatione quam in 4. Decretalium explicatione incoanda habuit, & ex ore doctoris ſui exceperunt auditores. Sic igitur ait: Hoc jure in cauſis pleriſque majoribus utimur, nec, ſi verum amamus, ſine eo benè diſtrahi magna pars controverſiarum poteſt: Ac præterea, totus ordo judiciorum, qui ubique gentium in orbe Chriſtiano obſervatur, hunc ſolum veluti fundum habet. Etſi autem latiſſimè tota res diffuſa eſt, tamen breviter, quantum omninò fieri poteſt omnia contrahemus.

Caput I.

VBI SVMMARIE PROCEDATVR: ET DE inſtantia judicii.

ATque ut hinc exordiar. Nota eſt illa Judiciorum diviſio in Ordinarium & ſummarium: quorum illud eſt, in quo ſolennis ordo & forma obſervatur: hoc in quo ea non obſervantur, ſed proceditur ſimpliciter & de plano (ut loquuntur) *Ferrarienſ. Pract. in form. libell. actionu realu. gl. verb. ſummariè Marant. p. 4. de ord. judic. Diſt. 9. n. 1. & ſeq.* Jam differentia hæc prima eſt, quod Jure Canonico facimùs & pluribus in cauſis hoc admittitur, ut procedatur ſummariè, quàm Jure Civili. Qua de re pluribus dictum *ad Rubr. de judic. & vid. Clement. ſæpe. 2. de V. S. ubique gl. Lanfranc. & alii Canoniſtæ & Clement. 2. diſpendioſam. De judic.* Quibus autem in caſibus etiam Jure civ. ſummariè procedatur, explicatur *à gl. in l. ,. §. ſciendum verb ſummarim ff. ad exhib & Maran. d. Diſt. 9.* Huc pertinet, quod in Notoriis Jure Can. proceditur nõ ſervato Juris ordine *Bart. n. 170. Bapt. à S. Blaſ. n. 166.*

Sequens differentia pertinet ad inſtantiam Judicii. Jure civili *ex l. 13. properandum. C. de jud. junct. l. ult. C. ut intra cer. temp. crim. quaſt. terminetur.* Inſtantia judicii perit ſive præſcribitur triennio in cauſſis civilibus vel biennio in criminalibus, Intra tantum temporis ſpatium à litis conteſtatione numerandum finiri debet judicium: & niſi terminetur, perit inſtantia, ut loquuntur, & præſcriptione ſubmovetur eo tempore elapſo agere vel pergere volens. *vid. Cujac. c. 21. & 22. Tr. de div. temp. præſcr.* Ubi etiam caſus aliquot exceptos annotat. Ante Juſtiniani illam Conſt. certum eſt, tempus judiciis criminalibus circumſcriptum fuiſſe annum: & credibile eſt etiam in civilibus, *ut notat idem Cujac. ad c. pen. ext. de jud.* Ratio Juris civilis ſaluberrima eſt, ne lites nimium protelentur, quod conjunctum eſſe ſolet cum maximo damno & privatorum & incommodo reipub. cujus intereſt lites aut quam pauciſſimas inter cives exiſtere, aut quam celerrimè tanquã in herba extingui ac ſopiri: *qua de re dixi plurib. ad tit. I. de pœn. tem. litig.* Quod tamen non ſic accipi debet, quaſi non de integro agere poſſit is, qui paſſus eſt triennium præterlabi, imò ex integro, de eadem re, litigare non prohibetur. *l. & poſt edictum. §. pen. De Iudic. Cujac. ad c. pen. extr. de judic. Mynſ. cent. 3. obſ. 48. & 50.* Sed hæc tantum in civilibus cauſis vera ſunt, in criminalibus non item, quæ poſt biennium inſtaurari nequeunt. *Mynſ. & Cujac. locis jam dictis.* Sed Jure Canonico inſtantia

Digitized by Google

ſtantia in cauſſa principali non perit, non finitur lapſu triennii vel biennii: quam maximam differentiam vocat *Bart. n.25. & eandem habet Bapt. à S. Blaſ. n.27. uterque allegat ad hanc rem c.20. venerabilis ext. de judic.* quod ita acceperunt vulgò deniquе poſt gl. quaſi eo c. corrigeretur vel abrogaretur. *l. properandum C. de jud. vid. & Maran. p.5. n. 16. & ſeqq.* Sed hanc opinionem Cujacius ſtultam vocans graviter reprehendit *in d.c. pen.* Nam d. textus non ſimpliciter dicit, inſtantiam judicii lapſu triennii non perimi, ſed loquitur de ſubterfugiis & cavillationibus adverſarii, quibus lis per triennium prorogata, productavè ſit dolo malo et quae conſilio, ut poſt id tempus poſſet objicere præſcriptionem triennii. Hæc doloſa protractio & tergiverſatio adverſarii, nec prodeſt ei, cum ex dolo ſuo nemo lucrari aut meliorem cauſſam ſuam facere debeat. *l.8. cum hi. §. ſi quis. ff. de tranſact. l. is cui. ff. de ſerv. c.7. intelleximus. ext. de judic.* Non etiam nocet alteri, cui præſcriptio non obſtabit, quin etiam ultra triennium agere poſſit. Imò etiam jure civili actionem de dolo habet contra adverſarium. *arg. l. arbitrio. § pen. ff. de dol. mal. Cuius §. interpretationem valde notandam dicit Cuiac. in Decretal.* Hinc non ſequitur, ſi dolus ejuſmodi abſit indiſtinctè Jure Can. inſtantiam durare etiam ultra triennium in l. properandum litibus præſtitutum. Quicquid ſit, ut aliàs non rarò error jus facit, ita & hoc in mores abiit, ut ferè ubivis locorum, etiam in judicio Cameræ inſtantia triennio non includatur, ſed in multos ſæpè annos duret ac protendatur, non ſine maximis litigantium ſumptibus ac moleſtiis, quibus multi penitus exhauriuntur. Sic res atteritur longo ſufflamine litis, ut cum Juven. loquar. De conſiſtorio Cam. Imp. teſtatur. *Mynſ. cent.1. obſ.51. & cent.2. obſerv.48.* ubi cauſſam confert in multitudinem litium, quæ non patitur tàm citò ſingulas expediri. Alii etiam hanc rationem reddunt, quia in conſiſtorio principis non habeat locum illa l. properandum Quod ſine ulla ratione dicitur, & rectè refutatur à *Matth. de Affl. &t decis. 283. n.4.* Neque enim l. properandum inter cauſſas in conſiſtorium principis prolatas, & eas, quæ in alio judicio diſceptantur, ullum facit diſcrimen, ut fruſtra ſint, qui hîc aliquam differentiam comminiſcuntur. *Idem Mynſ. cent.5 obſ.44. & 6. ſeqq.* multa memorabilia affert ex Dd. de Inſtantia Judicii vel perimenda, vel abbreviandа, vel proroganda conſenſu partium aut ſtatuto: Item de prorogatione inſtantiæ in cauſis appellationum, quæ omnia apud ipſum videre licet.

CAPUT II.
DE IUDICIO PETITORIO ET poſſeſſorio.

SEquitur alia differentia ad Judicium petitoriũ & poſſeſſorium pertinens, quæ *ex §. nihil commune. l.12. naturaliter. ff. d. acq. poſſ. cum ſimil locis, & ex c.5. paſtoralis. antep. ext. de cauſ. poſſ. & propr. nec non c.36. ſignificaverunt De teſtib.* inter ſe collatis ſumitur. Ut autem eò melius hæc differentia intelligatur, initio admonendi ſumus, Petitorium judicium eſſe, quo agitur de proprietate rei, ſive Jure aliquo dominii ſimili: quod vett. JCti vindicationem vocabant, ut ex tit. I. de act. notum eſt. Poſſeſſorium eſſe, quo de poſſeſſione vel adipiſcenda vel recuperanda agitur: quæ veteres Interdicta appellabant: *tot. tit. I. ff. & C. de interdict.* His igitur

præcognitis, Jure civili poteſt quis, cum antea rem vindicare cœpiſſet, ſuam eſſe intendens, poſtea pendente judicio decurrere ad interdictum aliquod non tantum adipiſcendæ vel recuperandæ, ſed etiam retinendæ poſſeſſionis. *l. 12. §. nihil commune. ff. de acq. poſſ. l. 18. cum fundum. §. ult. ff. de vi & vi arm.* Ratio, quia qui vindicare cœpit rem, non videtur poſſeſſioni renuntiaſſe: non inquam, ita agit, non eo animo ad vindicandam rem accedit, ut penitùs abjiciat poſſeſſionem, ſi quam habet aut ſe habere compeſerit. Poſſeſſio enim ſuo jure metienda eſt, non qualicunque confeſſione actoris, quæ non debet ei adeò nocere, ut non poſſit eam poſtea temperare aut emendare. Neque tantum diverſis temporibus poteſt quis à petitorio ad poſſeſſorium decurrere, verum etiam ſimul uno eodemq; tempore ſtatim ab initio apud eundem judicem proponere conjunctim petitorium & poſſeſſorium judicium: atque ita contraria etiam remedia cumulare ſubalternatim: *ut docet Bald. in l. 1. C. de furt. & probat Cujac. ad d. §. nihil commune, allegans etiam pro hac ſententia uſum fori: de quo etiam videatur Martin. Epping. in obſ. tit. 45.* In poſſeſſoriis poſſeſſionis recuperandæ, unde vi, & adipiſcendæ, ut quorum bonorum, vel quod legatorum, faciliùs admittitur illa cumulatio, ſive concurſus cum petitorio, quam in poſſeſſoriis retinendæ, qualia ſunt uti poſſidetis, vel utrubi. Illa enim remedia non ſunt ita contraria, quin ſeſe compatiantur: cum utraque dentur non poſſidenti. Faciliùs itaque ferunt concurſum & conſortium cum petitorio ſive actione in rem: cum & hoc detur non poſſidenti. *l. 1. §. hoc interdictum. ff. uti poſſid. §. æque De action.* Sed tamen idem etiam in retinendæ poſſeſſionis interdictis uti poſſidetis, & utrubi obſervatur: *ut oſtendit d. §. nihil commune.* Tametſi pugnantia ſint, ut quis agat, tanquam poſſeſſor, & tanquam non poſſeſſor: in remedio retinendæ ut poſſeſſor: in petitorio ut non poſſeſſor. Ita inquam res habet Jure civili. At Jure Can. Innoc. 3. *in d. c. paſtoralis. extr. de cauſſ. poſſ. & propriet.* abrogavit *d. §. nihil commune* quamvis timidè, *in verbis: Aliis poſſeſſoriis judiciis in ſuo robore duraturis.* Non nominat quidem illa alia judicia poſſeſſoria, quæ velit intelligi, ſed tamen ex præcedentibus verbis ſatis apparet, eum loqui de poſſeſſoriis ſive Interdictis retinendæ: Hæc inquam vult, ibi vindicationem dominii, id eſt, petitorium ſui natura præcedere: & per conſequens non concurrere vel ſimul proponi. Ratio ad hanc differentiam conſtituendam, abrogandumq; hac in parte jus civile, procul dubio ea movit Pontificem, quia interdictum uti poſſidetis, quod eſt poſſeſſorium retinendæ, non poſſit ferre concurſum talem cum petitorio, ob contrarietatem & repugnantiam eorum remediorum: quæ ex ſuperioribus ſatis intelligitur. Plura hac de re videre licet *apud Accurſ. in l. 13. ordinarii. C. de rei vind. & l. 3. incerti. C. de interd. & Ioan. Fab. in Breviar. Bapt. à Blaſ. n. 144. Cujac. in Recit. decr. & ad §. nihil commune. Hotom. illuſtr. quæſt 31.* Notanda quoque hìc eſt diſtinctio Juris Can. *in d. c. 5.* Ita demum permiſſam eſſe illam decurſionem à petitorio initio inſtituto ad poſſeſſorium, ſi nondum fuerit concluſum in cauſſa & renuntiatum utrinque productioni teſtium: poſt renuntiationem verò ſive concluſionem non item, niſi judex ob cauſſam juſtam viderit hoc ipſum expedire. Cauſſa juſta eſſe poteſt, ſi appareat manifeſta iniquitas invaſoris, qui ſpoliato ademerit

omnem

Digitized by Google

omnem facultatem probandi dominii: quæ probatio omninò neceſſaria eſt rem vindicanti: alioquin enim ſuccumbet, & res poſſeſſori relinquetur. *l. 35. exitus. De acq. poſſ. l. 62. inter. ff. de judic. ubi hæc* onera petitoris *vocantur, juncto §. retinendæ. De Interdict.*

CAPUT III.
DE FORO COMPETENTI.

ALia differentia eſt, quæ ad forum competens ſpectat. Jure civili præter alias cauſſas, quas expoſui ad tit. ff. de Judic. ſortitur quis forum etiam ratione contractûs. *l 19. heres abſens. & l. ſeq. ff. de judic. Myn ſ. cent. 2. obſ. 5. & 4. obſ. 82.* Jure Can. hoc nonnihil immutatum eſt, *ut videre licet in c. 1. Rom. §. contrahentes. De for. comp. in 6. vid. Bart. n. 34.*

Sequens differentia item pertinet ad forum ſive judicium competens. Jure civili certum eſt, forum competens etiam ex conſenſu litigantium fieri poſſe, prorogatione videlicet de perſona in perſonam. *l. 1. & 2. ubi dixi. ff. de judic. l. 15. ſi per errorem l. ſi convenerit. ff. de juriſd. l. 3. privatorum. Cod. eod. l. 8. ſi quis ex conſenſu. C. de Epiſc. aud.* Jure autem Canonico hoc non ita permiſſum eſt paſſim. *c. 14. non liceat. 3. q. 6. c. 1. nullus. 9. q. 2. c. 18. ſignificaſti. extr. de for. comp.* ubi conſtituit Greg. 9. Clericos non poſſe conſentire in Judicem non ſuum, niſi his duabus conditionibus. I. ut ſit perſona Eccleſiaſtica, in quem conſentitur. II. ut accedat approbatio Epiſcopi illius, cujus ſub diœceſi conſtitutus eſt clericus in alium quàm ſuum judicem conſentire, ejuſq; juriſdictionem in ſe prorogare volens: diſertè abrogans jus civile quod eſt in locis ſupra adductis. Nec tantum jus civile hac in re abrogat ibi Pontifex, verum etiam antiquiora jura Can. quibus permiſſum erat clericis ſumere judicem Laicum, in quem & ipſi litigantes & ipſorum Epiſcopus conſenſiſſent; *c. 3. clericum & c. 47. 11. q. 1.* Sed recentiori jure Pontificio non amplius licet clerico adire judicem ſecularem, eiq; ſe ſubjicere, ne quidem cum conſenſu Epiſcopi. *not. gl. & Panorm. in d. c. 18. & Cujac. ad c. 1. extr. de for. compet.* Sanctio quoque additur eodem jure graviſſima in tranſgreſſores: nempe, ut quicunque ad aliarum provinciarum Epiſcopos convolarit, & eorum judicia expetiverit, ut actor, vel paſſus fuerit ut reus, is ab officio cleri ſubmoveatur, deinde etiam injuriarum reus ab omnibus habeatur. *d. c. 14. non liceat. 3. q. 6.* Præterea, ut ſententia nullas habeat vires, ſed ſit ipſo jure nulla. *d. c. 1. 9. q. 2.* ubi & ratio ejus rei repetitur ex ſacrarum literarum dicto *Deut. 19. & Proverb 22.* de non tranſgrediendis terminis à patribus ſive majoribus conſtitutis. Quo etiam interdictum Apoſtoli Petri, Ne quis ſit ἀλλοτριεπίσκοπος.

CAPUT IV.
DE PRIVILEGIO FORI CLERICIS DATO.

DIcendum hîc eſt aliquid de Privilegio fori clericis dato: tametſi hic tractatus etiam ad Exemptionem clericorum, de qua infra aliquid dicetur, pertineat. Privilegium illud (cujus primum auctorem non facilè eſt indicare, ſed

Digitized by Google

quod uſurpatione quadam à Pontificibus Romanis introductum videtur, quamvis allegetur auctoritas concilii Milevitani *c.42. in olita 11.q.1. & c.13. de for. comp.* Greg. M. *in c.38. de perſona 11.q.1.* auctorem ejus Juris laudat Juſtin. in No.. *de ſanctiſſ. Epiſc.*) tale eſt, ut clerici cujuſcunque ſint ordinis non niſi in foro Eccleſiaſtico conveniri poſſint, non ad ſecularem judicem trahi, ſed tantum coram Eccleſiaſtico judice conveniri debeant, idq; ſive à Laico conveniantur ſive à clerico alio, ſive actio ſit civilis, ſive criminalis: De qua re plurima videantur in Decreto Gratiani *cap. 11. quæſt. 1.* per totum diſcurſum: Ubi etiam variæ pœnæ in eos ſtatuuntur, quia contravenerint: puta amiſſio cauſſæ, & remotio ab ordine clericali, & ictus fuſtium unde quadraginta, vel 30. dierum carcer: quarum pœnarum aliquæ etiam repetuntur ab Innoc. III. *in c.12. ext. de for. comp.* Videntur autem illi, qui hoc fori privilegium clericis indulſerũt, ut tantum coram Epiſcopo ſuo conveniantur, ad ſeculares verò judices trahi nõ poſſint, & ſi eò fortè trahãtur, ut poſſent opponere fori præſcriptionem, i.e. exceptioné & ad ſuum judicem nempe Eccleſiaſticum revocare: ante oculos habuiſſe hanc rationem *ex Paul. Ep. 1. ad Cor. c. 5.* ſumptam, idq; ſatis indicat *c.43. placuit. 11. q. 1.* quia vid. indignum ſit clericos, qui in ſorte ſunt dominica, verſari coram ſubſelliis judicum ſecularium. Sed animadvertendum eſt. I. Quod Paulus loquatur in genere de omnibus Chriſtianis, non tantum de clericis. II. Quod loquatur de Judicibus & magiſtratibus infidelibus, ſub quibus crebrò litigare Chriſtianis indignum eſſet. Præterea ne ſub his quidem omninò & ſemper nefas ſit cauſſam dicere, ſatis nos vel ipſius Pauli adeoque & Chriſti exemplum: quorum hic ſub Pilato, ille coram Felice & Feſto cauſam dixit accuſantibus Judæis, tandemque etiam Romam provocavit ad Imper. Neronem. Taceo nunc Eccleſiæ primitivæ exempla. Poterant igitur fortaſſis etiam clerici ſine detrimento aut periculo religionis Chriſtianæ, nec opus erat tali privilegio periculatis fori, & exemptione à foro ſeculari. Sed viſum eſt iſtud inſtitutum potentiæ clericorum & Eccleſiaſticorum augendæ, extenuatis & oppreſſis ſæpè aliis, quos Laicos vocant, vel ſeculares, multò commodius: eamque ipſiſſimam puto rationem fuiſſe hujus privilegii: quod equidem fateor Jure civili Juſtin. non minus quàm Canonico obtinuiſſe atque ita hactenus nullam eſſe differentiam.

Sed deinceps erit differentia inter utrumque jus. Nam quæritur, quid ſi clericus cum alio contrahens, pactus fuerit, ſe illo privilegio, i. e. fori præſcriptione non uſurum (quæ ſacerdotii prærogativa dicitur *à Juſtin. in l. 39 ſi quis in conſcrib. C. de ep. & cler.* quæ lex ferè totidem verbis, ſed plenius repetitur *in l. pen. C. de pact.* ſæpiſſimeq; allegari ſolet) an inquam huic renuntiationi contravenire poteſt, eaque non obſtante ſuo jure, id eſt, fori præſcriptione uti? Antiquam hanc fuiſſe controverſiam indicat Juſtin. d. loco, in verb. licet antea dubitabatur. Sed eam dubitationem ſua Conſt. Imp. ſuſtulit, ſanciens, Nemini licere adverſus pacta ſua venire: id eſt, ut valida ſit ejuſmodi renuntiatio prærogativæ ſacerdotalis ſive clericalis, non minus in clerico, quàm in milite. Nam & miles habet privilegium ſimile ut coram magiſtro militum conveniatur. *l. magiſteria. C. de juriſd. omn. jud.* Quæ cinguli præſcriptio dicitur *in l. ultim. C. de apparit. magiſt. milit. lib. 12.* Qua

ratione

ratione & hæc exceptio fori declinatoria quæ clericis competit, poſſet dici præſcriptio cinguli. Nam & clericis tribuitur cingulum, tanquam ſcil. militibus cæleſtibus. *cap.12. Chriſtianu.*11. *q.*1. Rationes porrò ſuæ illius deciſionis tres ferè indicat *Imp. in d. l. pen. C. de pact.* quas breviter ſubducemus. I. Eſt quia omnes licentiam habent iis quæ pro ſe introducta ſunt renuntiare: quam vocat regulam Juris antiqui: eaq; ſæpè repetitur in Jure civili pariter & Can. ut notantur loca *ab Acc. ad eandem l. & in gl. ad d. c.12.* Tametſi in tit. De R. I. non ſit relata, ut & multæ aliæ ſub eo non extant: ut docet Cujac. ad illum tit. tàm in parat. quàm in comment. Ratio rationis ſive ratio ſuperior eſt in alia regula Juris. Quia invito beneficium non datur. Quo pertinet illud Ciceronis in 3. Verr. Quod mihi lex mea cauſſa det, eo mihi uti non licebit? (q.d. maximè licet non uti, ſive id repudiare) Aſcon. Pædian. ad eum locum: De commodo proprio unicuique licet detrahere. II. ratio eſt, quia talis renunciatio ſive pactio (Confeſſionem vocat Iuſtin. verbum verbo reddens. Nam græci ſæpè ὁλομογίαν vocant, quod Latini pactum) neque ſit inita contra bonos mores. Talia autem pacta Prætor edicto ſuo pollicetur ſe ſervaturum. *l.7. juriſgent.§. prætor ait. ff. de pact.* Quid ni igitur etiam hoc pactum ſive hæ renuntiatio valeat? III. Quia ſi ſecus fieret, & liceret clerico, qui renuntiavit ſuo juri, venire tamen contra ſua pacta, tum deciperetur, qui cum ipſo contraxit, procul dubio non contracturus, niſi is renuntiaſſet judicio Eccleſiaſtico, & promiſiſſet, ſe coram Judice Laico cauſſam dicturum & jus acceptuturn. Quod ſi igitur à quolibet Laico, cujus fidem in rebus contrahendis ſecuti ſumus, decipi nos non oportet, quantò minus à clericis id fieri licet? Quanquam autem hæc ita ſe habent Jure civ. idq; optimis fundatum eſt rationibus: Tamen Jure Can. aliud conſtitutū eſt: quæ jam eſt differentia, & ut Cujac. vocat: Jus omninò novum. Nam Innoc. III. *in c.12. ſi diligenti. extr. de for. comp.* ſatis acriter objurgans Archiepiſcopum Piſanum, qui ſecundum Jus civ. tenuerat, licere clerico renuntiare ſuo juri ſaltem in temporalibus cauſſis, & Laicum ſibi Judicē conſtituere, conſtituit, non poſſe clericos ulla renuntiatione privilegii ſui hoc efficere, ut alteri quàm Eccleſiaſtico Judici ſubjiciantur: Et adeò quidem nihil valere illam renuntiationem, ut ne jurejurando quidem clerici confirmari poſſit. Sed rationes hujus tam novi juris audiamus ſodes ex ipſo Innoc. & quantum momēti habeant ponderemus. De pacto quidem tali renuntiatorio, cur id non valeat, rationem 1. hanc affert, quia pactis privatorum juri publico derogari non poteſt. *l.38. jus publicum. ff. de pact. l.27. nec ex prætorio. ff. de R. I.* Hoc autem jus, cui renuntiare vel derogare conatur clericus, eſt jus publicum: quia toti collegio Eccleſiaſtico publicè indultum, nec eſt beneficium perſonale, cui renuntiari valeat. Ergo. In hoc ſyllogiſmo minor neganda eſt. Ut enim hoc concedamus, toti collegio Eccleſiaſtico ſive clericorum eſſe id jus indultum, tamen clericus fori ſui exceptioni renuntians, nihil detrahit de aliorum clericorum, multò minus de totius collegii Eccleſiaſtici jure, ſed tantum de ſuo. Quamvis ipſe pactus ſit, quod velit juri ſtare coram ſeculari judice, & ibi jus accipere, tamen hoc aliis, qui non renuntiarunt nihil præjudicat, quo minus ipſi poſſint adhuc ſua prærogativa uti. Breviter falſum eſt, quod clericus remittens paciſcatur de totius ſui

ordinis

ordinis jure, de univerſi collegii Eccleſiaſtici Jure & commodis: Imò de ſe tantum largitur, non de alieno. Certè ſi talis renuntiatio præſcriptionis fori facta à clerico eſſet contra Jus publ. nunquam eam approbaſſet ſua conſtitutione Juſt. ut ante dictum eum approbaſſe disertè *in dd ll.39. & pen.*

II. Affert auctoritatem conciliorum Milevitani & Carthaginenſis, id eſt, *can.42. inolita. & c.43. placuit. 11. q.1.* Sed neque ea auctoritas quicquam ad rem, qua de agitur, facit, aut Innocentii ſententiam juvat. Nam dd. canones hoc tantum prohibent, Ne clerici conclericos trahant ad judicem ſecularem (quod tamen cum conſenſu Epiſcopi olim licuiſſe jam ante dictum eſt) nihil autem dicunt de pacto, quo clericus cum Laico contrahens foro ſuo renuntiat, & ſeculari ſe ſubjicit. De jurejurando cur per id quoque non poſſit ea pactio confirmari, rationem allegat hanc, quia ſit contra Canonica ſtatuta, proindeq; illicitum & non ſervandum, *argum. l.5. Cod. de ll.* Sed & hujus rationis vanitas ſatis apparebit, ſi dd. Canonum ſtatuta propius intueamur. Tunc demum eſſet tale jusjurandum contra ſtatuta Canonum & illicitum, ſi clericus ſuæ prærogativæ & fori privilegio renuntians, moliretur aliquid contra totum ordinem clericalem, ut illi tale privilegium interverteretur & adimeretur. Jam verò hoc non facit, nec pactio vel renunciatio ejus quicquã præjudicat univerſali privilegio, ſed tantum ipſius jus diminuit ac deterius facit, non aliorum, multoq; minus totius cleri. Quæ cum ita ſint, aſſentior Cuja. dicenti, Pontificem abuti regula *d.l.38. De pact.* & fumum atque colorem potius eſſe quod affert, quàm veram rationem, In qua ſententia eſt etiam Giph. *ad d.l.38.* Et memorabilis eſt Cujacii oratio *in Recit. Decret. ad d c.12.* Qui hoc caſu pacti conventi & jurisjurandi fidem frangere permittit, certè is longè magis aberrat à Jure publ. boniſq; moribus, quàm qui eam tueri fidem & ſervari oportere contendit. Hæc Cujac. quibus addo, Quod ſi Impp. recuſant cuiquam fieri auctorem perjurii: quanto minus id de ſe dici patietur ſummus Pontifex? De moribus noſtris ſi quæras, quid ſit hac in parte receptum, reſpondebo, Clericos in locis reformatæ religionis etiam coram Laico Judice conveniri ſolere.

Notandæ tamen ſunt exceptiones caſuum, quibus etiam Jure Can. clericus Laico Judici aliquando ſubjicitur: nempe I. in cauſis feudalibus, ſi clericus videlicet feudum ſeculare ab aliquo habeat. II. In cauſa reconventionis. III. In cauſis delictorum, in quibus ita occalluit clericus, ut ab Eccleſiaſtico judice nulla ratione poſſit emendari. *De quibus vid. Cujac. poſt gl. Iur. Can. ad c. verum.7. extr. de for. comp.* Et de clericis ob feudum ſubjiciendis Judicio ſeculari *vide etiam Iul. Clar. in §. Feudum. q.90. n 8 & Guid. Pap. deciſ.139.* Quibuſdam tamen in locis habent conſiſtoria ſua etiam in Reformatis Eccleſiis, in quibus cauſæ quædam tractantur.

Caput V.
DE IVRISDICTIONE.

SEquuntur & aliæ ad Juriſdictionem pertinentes differentiæ. Jure Civili Judex de incidente ſive emergenti & minus principali quæſtione poteſt cognoſcere

ſcere

Digitized by Google

ſcere non minus, quàm de ipſa principali cauſa: tametſi alioquin ad ipſius juriſdictionem non ſpectaret. *l. quoties C. de judic. l. qui non cogitur. ff eod. l. ſi idem. ff. de juriſd. l. 1. C. de ord. jud.* Ratio eſt poſita in continentia cauſarum, quæ non eſt dividenda. Quid quod & aliàs multa permittuntur per conſequentiam, quæ per ſe & principaliter non permitterentur? *l. 27. ſi unus §. illud. ff. de pact. l. quæſitum. De in jus voc. l. 1. & l. quod dicimus. ff. de auct. tut.*

At jure Canon. Judex Laicus ſive ſecularis de cauſa Eccleſiaſtica ſive ſpirituali nequidem incidenter, ne dum principaliter cognoſcere poteſt, ſed cogitur eam incidentem quæſtionem remittere Eccleſiaſtico judici definiendam, ſuſpenſo interim ac ceſſante civili judicio principali. *c. 3. tuam De ord. cognit. juncto c. cauſam. 4. & c. lator. 5. & c. 7. cauſam. extr. Qui fil. ſint legit. c. ſi judex laicus. De ſent. excom. in 6. Iaſ. ad l. 3. C. de judic. Mynſing. cent. 1. obſerv. ult.* Ut ecce, Petit quis hereditatem patris ſui tanquam filius. Sed ei objicitur exceptio natalium. Dicit enim adverſarius, eum non legitimè natum eſſe. Hæc quæſtio natalium & legitimitatis, ex qua altera principalis de ſucceſſione dependet, (Nam ut ait Paulus, ſi filius ergo heres, & contra) cum pertineat ad forum Eccleſiaſticum, quippe quæ conjuncta ſit cum quæſtione matrimonii, ad id proinde remittenda eſt, & quoad ea finem acceperit, interea civile & principale judicium de ſucceſſione eſt in ſuſpenſo relinquendum. *d. c. 3. tuam & d. c. 5. lator.* Ratio quia niſi hoc fieret, negotium diverſis proceſſibus intricaretur, & ordo judicii confuſione quadam perturbaretur: quod fieri non debet. *d. c. 3. tuam. Cujac. ad cap. 1. extr. de ord. cogn. De hac differentia vid. etiam Bart. n. 4. & n. 157. & Bapt. S. Blaſ. n. 68. & 157.*

CAPUT VI.

DE IURISDICTIONE DELEGATA SIVE MANDATA: *Et prorogatione Iuriſdictionis.*

SEquitur de Juriſdictione delegata, ſive ut veteres loqui amant, mandata, circa quam etiam eſt differentia. Jure namque Canonico omnes cauſæ ſive ſint imperii ſive Juriſdictionis, indiſtinctè poſſunt delegari. *c. 10. quod ſedem. ubi gl. & Canoniſt. De off. jud. ord. c. 4. in archiepiſcopatu. extr. de raptorib. c. 4. §. illud. 23. quæſt. 4. c. 46. ſicut. 2. q. 7.* Quod ampliatur, ut etiam delegatus à Principe poſſit cauſas meri imperii alteri ſubdelegare. *Bald. in l. 1. in 6. not. C. qui pro ſua juriſd. Marant. de ord. judic. p. 4. num. 63.* Idque ideò, quia hodiè non amplius ex ſpeciali privilegio talia dantur, ſed unà cum juriſdictione tranſeunt. *Weſenb. poſt alios in π. De off. ejus cui mand. eſt juriſd. Cagn. in l. 71. nemo. De R. I.* Jure autẽ civili delegari non poſſunt cauſæ, quæ ſpecialiter lege vel conſt. Principis alicui conceſſæ ſunt. *l. 1. & ibi Doct. l. quæcunque ſpecialiter ff. de off. ejus cui mand. &c.* Ex quo fit, ut delegata juriſdictione non contineantur ea, quæ meri ſunt imperii. *Bart. & alii ad l. Imperium. ff. de juriſdict.* De hac differentia *vid. etiam Bart. n. 19. in Tract. diff. & Bapt. S. Blaſ. num. 6. & 17. & idem Bart. num. 171. ubi docet*, Jure Canonico etiam eas cauſas poſſe delegari, quæ judicis officio expediuntur, & cauſæ cognitionem deſiderant, & decreti interpoſitionem. Quod ſecus eſt jure civili. *l. nec quiſquam §. ubi decretum. ff. de off. Procoſ. & leg.* Rurſum alia circa delegatam juriſdictionem dif-

 ferentia

ferentia eſt in eo, Quod Jure Canon. permittitur Judici totam cauſam alteri delegare, etiam ſi ipſe non audiat, nec in principio, nec in medio, nec in fine. *cap. 27. ſuper quæſtionum. §. intentionis igitur. De off. deleg.* Jure autem civili hoc non licet, ſed oportet litis conteſtationem fieri apud ordinarium judicem, & probationes audiri & ſententiam dici, & appellationes recipi. Reliquas tantum cognoſcendi partes propter legitima impedimenta poſſunt aliis committere. *Novel. 53. & Nov. 60. Auth. adhæc. ubi Sichard. Cod. de judic. De hac differentia vide & Bapt. S. Blaſ. num. 177.* Notandum tamen, quod *d. cap. ſuper quæſtionum,* non de quovis judice loquatur, ſed tantum de delegato Papæ, ejuſq; poteſtate ſubdelegandi: quod ſatis indicant ipſa capituli verba: Delegatus à nobis.

Alia differentia eſt. Quod Jure Civili cauſæ non facilè committuntur cuivis, ſed conſiliariis tantum Judicis, quorum explorata ſit fides & integritas. *Novel. 82. De Iudicib.* Jus Canonicum non requirit delectum perſonarum, ſed liberiùs permittit fieri delegationem. *cap. 28. Paſtoralis. De off. & pot. jud. deleg. vid. Bart. nu. 15. & Bapt. S. Blaſ. n. 73.*

Alia differentia eſt, Quod Jure Canonico poſſunt etiam cauſæ majores, id eſt, quæ ſunt ſupra CCC. aureos, delegari alteri indiſtinctè, ſive Judex ipſe occupatus ſit ſive non, dummodo non malitioſè quærat ſe exonerare, *d. c. Paſtoralis. in princ.*

Jure Civili minores quidem indiſtinctè, ſed tales cauſæ majores non aliter delegari poſſunt, quàm ſi Judex ipſe nimis ſit occupatus. *l. placet. & l. quædam C. de pedan. in d. l. un § ſed non poteſt. ff. de off conſ. Auth. adhæc. ubi Sichard. n. 4. C. de judic. vid & Bart n. 174 & Bapt. à S. Blaſ. n. 168.*

Sequens differentia pertinet ad finiendam Juriſd. delegatam. Jure Civili ea expirat per mortem alterutrius, ſive moriatur delegans ſive delegatus ante litis conteſtationem coram ipſo factam. *l. & quia. 6 ubi Iaſ. num. 56. ff. de juriſd. Zaſ. in l. more. ff. eod tit. l. amplius. ff. ratam rem haberi. Nov. 112. de litig.* Ratio pendet ex eo, quod mandatum, ſi res ſit integra, finitur morte alterutrius vel mandantis, vel mandatarii. *§. item ſi adhuc integro. Inſt de mandato.* Nam & delegatio Juriſdictionis eſt ſpecies quædam mandati: unde & à Juris Conſultis mandata Juriſdictio dicitur. Quia verò per litis conteſtationem res integra eſſe deſinit, conſequens eſt, ut etiam poſt litem conteſtatam juriſdictio delegata non deſinatur, non expiret, ſed perpetuetur. Jure autem Canonico Juriſd. delegati perpetuatur non tantum per litis conteſtationem, ſed etiam per ſolam citationem, ante mortem delegantis ritè factam. *c. 20 gratum gerimus De off. delegat.* Ubi & ratio redditur, Quia citatione facta negotium ſit quaſi cœptum, id eſt, res deſierit eſſe integra. Allegari à nonnullis quoque ſolent *c. 19. relatum eſt, & c. 30 licèt. eod. tit.* Sed ea loca congruunt cum Jure Civili. Altero enim dicitur, Juriſdictionem delegatam re integra morte mandantis expirare: Altero hoc continetur: Non expirare eandem morte delegantis, ſi coram delegato facta ſit litis conteſtatio dum ille vivebat. Jam enim non amplius eſt res integra. *vid. de hac differentia Bart. n. 114. & Bapt. à S. Blaſ. num. 71.*

Sequitur de Prorogatione Juriſdictionis; circa quam item differt Jus Canonicum

Digitized by Google

nicum à Jure Civili. Illo namque jure non poteſt litigantium conſenſu prorogari juriſdictio Judicis delegati de perſona ad perſonam, cum poſſit Jure Civili. De Jure Canonico eſt *c. 40. P & G. per lit. in fin. ext. de off deleg.* cujus ratio eſſe videtur, quia electa ſit certæ perſonæ induſtria cum fieret delegatio. De Jure Civili eſt *l. 2. ff. de Iudic. & l. 1. C. de Iuriſd. omnium jud.* Differentiam hanc etiam annotarunt *Bart. n. 175. & Bapt. S. Blaſ. num. 169.*

Caput VII.

De appellatione a svbdelegato: et execvtione ſententiæ à delegato lata.

SEquitur de appellatione à ſubdelegato ad quem illa fiat, an ad delegantem, an ad ordinarium ſuperiorem: circa quam rem etiam occurrit differentia: *de qua Bart n. 16. & Bapt. S. Blaſ. n. 74.* Jure Civili indiſtinctè à ſubdelegato appellatur ad delegantem *l. un. C. Qui pro ſua iuriſd. & ibi Dd.* Jure vero Canonico, ſiquidem tota Juriſdictio ſive cauſa ſit ſubdelegata, appellandum eſt ad ſuperiorem: ſin autem tantum pars aliqua fuerit ſubdelegata, parte reſervata ſive excepta, ad ipſum ſubdelegantem fit appellatio. *c. 4. ſi quis contra. De for. Comp. c. 27. ſuper quæſtionum. §. porrò De off. deleg. c. 3. Romana pr. de Appellat. in 6.*

Sequitur de executione ſententiæ à delegato latæ: circa quam etiam obſervanda eſt differentia, *de qua Bart. n. 140. & Bapt S. Blaſ. n. 147.* Jure Civili delegatus, ſive is, cui mandata eſt Juriſdictio, non poteſt exequi ſententiam ſuam, niſi etiam executio ſpecialiter ipſi conceſſa fuerit, ſed ea ſpectat ad ordinarium Iudicem. *l. à D. Pio. ff. de re iudic. l. iubere. De Iuriſd.* Iure Canonico delegatus ipſe exequitur ſententiam ſuam; maximè ſi ſit delegatus principis. *c. præterea. & c. ſuſpicionis. c. quærenti De off. delegati. gl. & Panorm. in c. ſi quis contra. De for. compet. Panorm. in c ſignificaſti. De off. deleg.*

Alia differentia circa delegationem eſt, Quod Iure Civili non poteſt cauſa appellationis delegari vel committi ita, ut delegans ſibi reſervet ſententiæ dicendæ jus. *auth. adhac. C. de Iudic. ubi Sichard.* Iure autem Canonico poteſt ſic fieri delegatio cauſarum appellationis, ut ordinarius ſive delegans ſententiam ſibi reſervet. *c. 27. ſuper quæſtionum. §. Intentionis. cum ibi not. De off. deleg. Panorm. in cap. paſtoralis. notab. 3. eod. tit. vid. Bart. in differentiis num. 15. & Baptiſt. S. Blaſ. n. 72.*

Caput VIII.

De recvsatione ivdicis svspecti, tam delegati quàm ordinarii.

SEquitur de recuſatione Iudicis ſuſpecti, tam delegati quàm ordinarii: circa quam hæc 1. eſt differentia: quod Iure Civili ordinarius quamvis ſuſpectus non poteſt recuſari, ſed tantum petendum, ut eo caſu alius ipſi adjungatur, qui una cum ipſo Iudicet, ut ita ceſſet metus & ſuſpicio iniquitatis. *gl. Bart. & Dd. in l. apertiſſimi. cum auth. ſeq. (ſi vero) C. de Iudiciis. Gail. 1. obſerv. 33.* At Iure Canonico etiam ordinarius ex juſta cauſa recuſari in totum declinarique poteſt *c. ſi*

quis contra Clericum. extr. de for. comp. cap. 41. ſecundo requiris & c. 61. cum ſpirituali. extr. de appellationibus. cap. 39. ſuſpicionis. De off. delegati. Circa delegatum tamen convenientia eſt utriuſque Juris, quod ſcil. recuſari poſſit omninò. *vid. Dd. in d. l. apertiſſimi.*

II. Differentia eſt, quod Jure Civili in cauſa ſuſpecti Judicis arbitri per litigatores electi cognoſcunt nō tantum de ipſa cauſa recuſationis, an ſit ſufficiens nec ne, verum etiam de principali negotio, ſi cauſam recuſationis idoneam ac ſufficientem deprehenderint. Jure autem Canonico arbitri non cognoſcunt de cauſa principali, ſed tantum de cauſa recuſationis: quam ſi viderint minus ſufficientem, remittunt cauſam ad eundem judicem qui rejiciebatur: ſin ſatis juſtam deprehenderint, alius erit impetrandus judex, vel ad ſuperiorem cauſa devolvetur. *vid. Caſtr. ad d. l. apertiſſimi C. de Iudic. Specul. tit. de Recuſat. §. fin. n. 1. Lanfr. in pr. tit. de recuſ. n. 9.*

III. Differentia eſt, quod Jure Civili ſatis eſt, ſi in genere allegetur cauſa recuſati judicis, nec requiritur, ut in ſpecie exprimatur, vel probetur: dum tamen is qui ſuſpicionis cauſas allegat, juret de calumnia, quod non malitiosè judicem rejiciat. Jure Canonico (quod & moribus obſervatur) non ſufficit generalis illa allegatio: ſed oportet cauſam recuſationis & ſuſpicionis ſpecialiter exprimere, & coram electis arbitris probare. Vid. de his differentiis *Bart. num. 26. & ſeq. Bapt. S. Blaſ. n. 4. & 78. & 163. Mynſ. 2. obſ. 52. & 3. obſerv. 63. Gail. 1. obſer. 33. Wurmſer. in pract. for. obſerv. tit. de Iudiciis obſ. 7.* Dixi etiam aliquid de recuſatione judicis in Methodica expoſitione Novellarum *part. 9. cap. 6.* Et de Exceptione recuſationis attingam etiam unam differentiam *infra.*

CAPUT IX.

DE POENA IUDICIS QUI MALE IUDICAVIT.

SEquens differentia pertinet ad pœnam Judicis, qui malè judicavit: Ideoq; ea ratione etiam referri poteſt ad locum illum, in quo criminalia & pœnalia tractabimus. Pœna hæc longè mitior eſt Jure Canonico, quàm Jure Civili. Nam cum hoc jure Judex qui per ſordes, aut gratiam, aut aliter ſciens dolo malo iniquè judicavit, teneatur parti læſæ ad veram æſtimationem litis & refuſionem expenſarum, & inſuper infamiâ notetur, & in triplum ejus quod accepit puniatur, & in duplum ejus quod promiſſum ei, ſed nondum datum eſt. *Auth. novo Iure & l. ſeq. Cod. de pœn. Iudic. qui malè Iudic. Wurmſ. tit. 1. de Iudicib. obſ. 2.* Jure Canonico tantum per annum ſuſpenditur ab officio, & parti læſæ ad æſtimationem litis condemnatur. *c. 1. de ſent. & re judic. in 6. gl. in c. 68. intimaſti. De appellat.* De Jure Civili dictum eſt *ad pr. tit. Inſtit. De oblig. quæ quaſi ex del. naſc.*

CAPUT X.

DE ARBITRIS.

A Judicibus tranſeamus ad Arbitros: ubi hæc prima occurrit differentia, quod Jure Canonico Ordinarius Judex poteſt ſimul arbiter ejus rei, cujus eſt judex: cum Jure Civili id non ſit permiſſum. *Vid. Bapt. S. Blaſ. n. 11. l. ſed. etſi §. ſi*

quis

quis judex. D. de recept. arbitr. Nov. 86. De Jure Canonico eſt *c. 5. cum tempore ext. de arbitr.* Ubi Archiepiſcopus Magdeburgenſis, qui eſt primas Germaniæ dicitur arbitrium protuliſſe inter Epiſcopum Merſburgenſem & Abbatem quendam, cum tamen Archiepiſcopus eſſet ordinarius Judex inter eos: Idq; arbitrium ſeu laudum confirmat ibi Innocent. III. paucis articulis exceptis.

Alia ſequitur differentia, quod noviſſimo Jure Civili nullus ſic poteſt fieri arbiter, ut cum Sacramenti religione judicet, ſed pœnam ſtatuat quâ præſtita liceat à judicatis recedere: *auth. decernit jus C. de recept. arbitr.* Jure Canonico poteſt fieri arbiter cum juramento. *gl. in c. 2. & c. 5. cum tum tempore ext. de arbitr. vid. Bart. num. 1. & Bapt. S. Blaſ. n. 66.* Alia eſt differentia, Quod Jure Civili mulier arbitra eſſe, ſive in mulierem compromitti non poteſt. *l. ult. Cod. de recept. arbitr. l. qui pro tribunali. ff. de re judicata. Decius ad l. 2. de R. I.* Idque ideo, quia arbitria ad inſtar judiciorum ſunt redacta. *l. 1. ff. de arbitr.* Sicut ergo judicare prohibentur fœminæ: *l. 12. cum prætor. §. pen. ff. de judic. d. l. 2. ff. de R. I.* &c. Ita & arbitrari eaſdem non permittit pudicitia ſua, cujus memores debent à publicis & civilibus officiis abſtinere. Ampliatur I. ut ne quidem ſummæ atque optimæ opinionis fœmina poſſit arbitrium ſuſcipere. II. ut ne quidem patrona inter libertos ſuos audientiam interponere poſſit. Jure Can. etiam in mulierem compromitti, ſive mulier arbitra eſſe poteſt. *c. 4. dilecti. De arbitris.* ubi cum eſſet compromiſſum in Reginam Francorum, eaque arbitrium tuliſſet, Pontifex id præcipit obſervari, non obſtante Regula Juris Civilis: ex quo nominatim allegat *d. l. 2. de R. I. & d. l. ult. C. de arbitr.* Rationem addit hanc; Quia conſuetudo approbata, quæ pro lege ſervatur, fœminis quoque præcellentibus ſæpè tribuat ordinariam Juriſdict. in ſuos ſubditos: quod & Accurſ. indicat *in gl. d. l. ult. C. de arbitr.* Cum igitur poſſint fœminæ ratione ordinariæ Juriſdictionis, ſibi de conſuetudine competentis, judicare, poterunt utique & arbitrari, non enim debet cui quod plus eſt, licet, quod minus eſt, non licere. Accedit quod ut ſupra dictum eſt, & probat. *Bapt. S. Blaſ. n. 11.* poſſit Jure Canonico in Judicem quoq; compromitti. Hinc tamen non ſequitur in quamvis fœminam compromitti poſſe. cum textus *d. c. dilecti.* tantum loquatur de fœmina ordinariam Juriſdictionem habente: quod qui non obſervāt: ii committunt fallaciam à dicto ſecundum quid, ad ſimpliciter dictum. Obſervo hîc obiter pulcram emendationem legis ult. C. *de recept. arb.* quam ſuppeditat collatio *d. c.* 4. Legendum enim eſt ibi, Judiciali examine; non autem Judiciali agmine. Examen judiciale eleganter dicitur, quia ibi cujuſque partis jura veluti in examine libræ ponderantur; ſed agmen Judiciale nihili & ineptum eſt verbum. Hanc puto veriſſimam eſſe lectionem, quam debemus Juri Pontificio.

Alia differentia eſt, quod Jure Civili ſi plures ſimpliciter accepti ſint arbitri, non poſſunt uno vel aliquibus abſentibus arbitrari præſentes, quamvis plures eſſent, ſed omnes arbitrari debent. *l. 19. item ſi unus. §. item ſi plures ſunt. l. 20. ſi in tres. & l. 21. ſicuti. ff. de recept. arbitr. l. duo ex trib. ff. de Re judic.* niſi litigantes, qui compromiſerunt, ſecundò conſtituant in præſentes, & ipſorum ſententiæ acquieſcere malint, quàm abſentem diutius & fruſtra expectare. *Wurmſ. tit. de Judicib.*

Digitized by Google

obſ.13. Iure Can. indiſtinctè valet ſententia à majori parte præſentium arbitrorum lata, quamvis aliqui abſuerint: dum tamen hi abſentes fuerint prius per præſentes vocati, ſive ut textus ait, legitimè requiſiti. *c.ult.de arbitr.in 6.* ubi & ratio additur abrogati Iuris Civilis: Quia non ſit æquum, ut lites ſive quæſtiones propter arbitrorum quorundam voluntariam vel malitioſam abſentiam, maneant indeciſæ: & quia abſentium vicem divina præſentia eo caſu ſuppleat, ut ita abſens pro præſente habeatur. *vid. & Bapt. S.Blaſ.n.10.*

Alia differentia eſt, quod Iure Civili ſententia arbitri nudo pacto & ſine pœna aſſumpti poteſt homologari vel approbari per partes litigantes. *l. pen. cum antea ubi Bart. & Bald. hoc not. C. de arbitr.* Sed Iure Canonico indiſtinctè arbitrium poteſt à partibus homologari ſive approbari. *c.9. per tuas ubi Panorm. ext. de arbitr. Bapt. S. Blaſ. num.196.*

CAPUT XI.
DE ACTORE ET REO.

POſt Iudices & Arbitros ſequitur videre de ipſis litigatoribus, Actore & Reo. Hic prima illa eſt differentia: Quod Iure Civili inter Patrem & Filiumfam. lis nulla eſſe poteſt. *l. lis nulla. ff. de iudic.* ubi & rationem hujus rei & exceptiones expoſui. Iure Canonico putant vulgò permiſſum eſſe judicium inter Patrem & Filium: quam ad rem allegant. *c.36. quæritur Pater. 2. q.7. & c.14. prohibentur. 2. q.1.* Sed probatur mihi ſententia Bart. *n.7.* in qua fui etiam antequam Bartolum adiiſſem, hîc revera differentiam nullam eſſe, eaq; loca Iuris Canonici ſecundum Ius Civile intelligi poſſe. Imò etiam *d.c. prohibentur,* totidem verbis extat *in l. qui accuſare. ff. de accuſat.* Non debuit igitur hanc Bartoli cenſuram reprehendere *Bapt. S. Blaſ. n.12.* aut communem objicere opinionem, quæ ſæpenumerò eſt communis error. Allegat etiam tres gloſſas Iuris Canonici. ſed nos textum quærimus, quo Ius Civile disertè corrigatur, at fruſtra quærimus.

Alia eaque verior differentia eſt, quod Iure Civili Filiusfam. ſine permiſſu & conſenſu patris non poteſt exercere actiones ſibi competentes, non habet legitimam perſonam ſtandi in judicio. *l.ult. verſ. neceſſitate. C. de bonis quæ liber.* exceptis paucis caſibus, quibus ei dantur utiles actiones, de quibus *in l. ſi longius. ff. de iudic. ubi hac de re dixi.* At Iure Canon. Filiusf. etiam minor XXV. annis, dummodo major XIV. poteſt in cauſis Spiritualibus, quibus etiam matrimoniales annumerant, ſolus ſtare in Iudicio ſine patre legitimo adminiſtratore, cujus conſenſus nequaquam hîc requiritur. *c.ult. De jud. in 6. c. accedens. 10. De procuratorib.* Ratio Iuris Canonici eſt, Quia in cauſis ſpiritualibus, ut aiunt, patria poteſtas non attenditur. Hîc tamen illa eſt adhibenda cautio, ne ſub ſpecie ac prætextu pietatis & cauſarum ſpiritualium, alatur liberorum adverſus parentes contumacia & contentio, atque inobedientia. Non enim amat Deus talem pietatem aut cultum ſui, qui conjunctus ſit cum parentum contemptu: quod ex hiſtoria Evangelica & reprehenſionibus Chriſti, quibus contra ejus temporis ſacerdotes uſus eſt, conſtat.

Porrò ex eodem *c.ultim. De judic. in 6. juncto c.14. ex parte, ext. de reſtit. ſpol.* alia quoque ſumitur differentia, nempe quod Iure Canonico poteſt minor XXV. annis

Digitized by Google

nis in cauſis beneficialibus & matrimonialibus per ſe vel procuratorem litigare ſine auctoritate tutoris vel curatoris: Quod ei non licet Iure Civili, paucis caſibus exceptis. *l. 2. in rebus. Cod. qui legit. perſon. hab. l. 4. cum & minores. Cod. ſi adverſus rem iudic.*

Caput XII.

DE PROCURATORIBUS.

A Reis principalibus procedamus ad Procuratores ubi hæc ſit prima differentia, quod jure civili Iuſtinianeo Procurator eſſe non prohibetur etiam infamis, nec amplius admittitur exceptio infamiæ, quãvis olim aliud eſſet receptum. *§. ult. Inſt. de except.* Ubi & ratio additur, primò quia illa exceptio dilatoria paulatim in deſuetudinem abierat, adeò ut non reperiretur amplius in Judiciis tempore Juſtiniani. 2. Quia ſi admitterentur ejuſmodi diſceptationes de perſonis procuratorum, fieret inde, ut lites & negotia ipſa protelarentur ac protraherentur, cum potius reſtringendæ ſint lites, quàm laxandæ, *c. 28. nonnulli. extr. de reſcript.* & ſtudendum ſit brevitati compendioque litium. *argumento totius tit. Inſt. De pœna temerè litig.* Interpretes hanc quoque addunt rationem, Quia vile ſit procuratoris officium. *gloſſ. in verb. utilitatem* [ſic enim potius lego, quam utilitatem] *Bart. & alii in l. 34. ſi quis procurationem. C. de decurion. lib. 10. vid. & gl. in l. 3. Cod. de dignitat.* Ex quo inferunt, ſi Nobilis exerceat officium procuratoris, hoc ipſo eum perdere privilegia nobilitatis. *Guid. Pap. Deciſ. 389. Wurmſ. tit. De Procur. obſerv. 12.* Iure autem Canonico, infamis perſona procurator eſſe non poteſt. *c. 1. & cap. 2. infames. & ibi gloſſ. 3. quæſt. 7. cap. 4. Imperatorum. in verb. Oeconomum idoneum. De Iura. cal.* Et hoc Jus Canonicum tanquam honeſtius hodiè obſervatur, cùm in aliis benè conſtitutis judiciis, tùm vel maximè in Camera Imperiali, *teſte And. Gail. 1. obſ. 43.*

Alia differentia eſt. Quod Jure Civili mulier non poteſt eſſe procuratrix in Iudicio *l. 2. ff. R. I. l. 18. alienam. C. de procurator.* Alienam ſuſcipere defenſionem virile eſt officium, & ultra ſexum muliebrem eſſe conſtat. Ubi ne mater quidem poteſt filii ſui defenſionem ſuſcipere, ſed tutorem ei, ſi pupillus adhuc eſt, petere debet. Iure autem Canonico, etiam mulier poteſt conſtitui procuratrix. *cap. 4. cum dilecta. & ibi gloſſ. in verb. procuratricem extr. de confirm. utili vel inut. Decius ad d. l. 2. de R. I.*

Alia differentia eſt, quod Iure civili tutor vel curator, eorumque exemplo etiam prælatus Eccleſiæ, non poteſt in rem pupilli vel adoleſcentis vel Eccleſiæ procuratorem facere, niſi poſtquam ipſi fuerint litem conteſtati, tunc enim litis domini facti ſunt. *l. 11. neq; tutores. C. de procurat.* At Iure Canonico poteſt prælatus Eccleſiæ conſtituere procuratorem in cauſa Eccleſiæ etiam ante litem à ſe conteſtatam. *c. petitio. extr. de procur.* & notatur *in c. edoceri ext. de reſcript. Bapt. à S. Blaſ. n. 69* Ratio differentiæ inter tutorem curatoremvè & prælatum Eccleſiæ eſt, quia plus juris habet hic in rebus Eccleſiæ, quàm illi in rebus pupilli vel minoris. Prælatus enim, quamvis propriè Dominus non ſit, tamen rebus Eccleſiæ utitur

Digitized by Google

utitur & fruitur; tutores & curatores rebus pupillaribus & adoleſcentis non item. *Bart. num. 5.* Alia differentia eſt, quod Jure Civili univerſitas non conſtituit procuratorem, ſed ſyndicum. *l ſicut. § 1. ff. quod cujuſque univerſ. nom.* Procurator enim à privatis ac ſingulis conſtituitur rerum ſuarum dominis. Res autem univerſitatis non ſunt ſingulorum propriæ. *l. ſed ſi hac. §. ſi ſervus. ff. de in jus vocand.* Jure autem Canonico etiam univerſitas poteſt conſtituere procuratorem. *c. petitio. & c. in cauſis. de Procurat. c. cum cauſam. c in pertractandis. c. Imperatores. De juram. calum.* Nam Jus Canonicum negligit illud accuratum diſcrimen, quod tenet Jus Civile inter Syndicum, Oeconomum, actorem & procuratorem, & promiſcuè omnes appellat procuratores: ſicut & *in Nov. 123. De ſanctiſſ. Ep.* illud diſcrimen ferè inſuper habetur.

Alia differentia eſt, quod Jure Civili ſi per Procuratorem petatur reſtitutio in integrum, volunt ad conſtitutionem ejus requiri ſpecialiſſimum mandatum, puta in cauſa tali contra talem &c. Cyn. *& alii in l. un. C. Etiam per procurat. in integr. reſt. agi poſſe.* Jure autem Canonico hìc ſufficit ſpeciale mandatum, nec neceſſarium eſſe etiam ſpecialiſſimum. *c. coram. & ibi Panorm. not. extr. de reſtit. in integ.* Tametſi non defuerint, qui etiam Jure Civili putarint ſufficere ſpeciale mandatum *vid. Bapt. à S. Blaſ. num. 185.* Alia differentia eſt. Quod Jure Civili morte mandantis poſt litem à Procuratore conteſtatam, non extinguitur mandatum procuratoris. *l ſi defunctus. ff. de procurat. l. 15. ſi mandaſſem. & l. 27. ſi quis § 3. ff. mandati.* Ratio quia poſt litis conteſtationem non eſt amplius res integra. Morte autem mandantis ita demum ſolvitur mandatum, ſi adhuc res ſit integra. *§. rectè. Inſtit. de mandat.* Accedit quod per litis conteſtationem procurator fit dominus litis, adeò ut etiam alium poſſit procuratorem ſibi ſubſtituere, quod prius non poterat. At Jure Canonico morte Rectoris Eccleſiæ procurator pro Eccleſia eadem conſtitutus eſſe definit, non obſtante litis conteſtatione ab ipſo facta. *clem. ult. cum ibi not. De Procurat. Murmſ tit. de procurat. obſer. 15. in fin.* Adde de ætate procuratoris: Jure Civili procurator eſſe poteſt quicunque non eſt minor XVII. annis. *§. Iuſta autem. in fin. Qui & ex quib. cauſ. manum. non poſſ.* Ubi non diſtinguitur, an ad lites, an ad negotia Procurator quis conſtituatur: unde nec nos diſtinguere debemus. Jure Canonico diſtinguitur inter negotia & judicia, ut ad illa poſſit deputari procurator, qui ſit major XVII. annis: ad iſta non poſſit. *c. 5. qui generaliter. §. ult. De procurat. in 6.*

CAPUT XIII.

DE CITATIONE, SIVE IN IVS VOCATIONE.

SEquuntur differentiæ ad citationem, ſive, ut veteres Juriſconſulti loquuntur, in jus vocationem pertinentes: quarum prima hæc eſto. Jure civili quamvis citatio ſive in jus vocatio dicatur eſſe principium omnium actionum inſtituendarum. *§. omnium (ultim.) Inſtitut. de pœn. tem. litig.* tamen à litis conteſtatione demum propriè cœptum dicitur judicium. *l. ubi cœptum. ff. de Iudic. l. 15. de⸗mum. ff. de procurat. l. & quia. ubi gl ff. de Iuriſdict. l 15. qui ſe obtulit. ff. de R. V. l. cum fundus. & ibi Iaſon. n. 4. ff. ſi certum pet. l. amplius. ff. Ratam rem haberi.* Sed Jure Canonico

Digitized by Google

nonico judicium ſeu proceſſus, ut vocant, incipit ſtatim ab ipſa citatione. *c.20. gratũ.& c ſeq. De off deleg.c.quoniam contr de probat.Mynſ.ad d §.omnium n.4.* quod obſervandum propter effectus quos operatur inſignes: v.g. efficit litis pendentiam, ut poſt eam nihil poſſit innovari, *Clem.2.ut lit.pend. nihil innov.* Præterea facit præventionem Juriſdictionis *d.c.gratum.gl.& Socin.in c. prepoſuiſti.Panorm. & Felin.in c.ult. ext.de for.compet.* Denique perpetuat Juriſdictionem *d.c.gratum. & c.relatum. De off. delegat.*

Alia differentia eſt quod Jure Civ. citatio debet habere expreſſum certum diem, quo citatus compareat: eo omiſſo citatio, tanquam obſcura & incerta non valet. *Bart.in l.liber homo.§.10.ff.de V.O. Marant.de ord.judic.tit.de citat.nu.65.* Jure Can. valet citatio, etiamſi non ſit in ea expreſſus certus dies ſeu terminus: & cogitur citatus comparere, quam primum poteſt. *c.cum Paratit. De appellat. c. eos.de ſent.excom.in 6* Si non compareat quamprimum poteſt, mulctæ dictione coërcebitur: quamvis in aliis non habeatur talis pro verè citato & contumaci. *Maranta d.c. de citatione n.65. Lanfranc. de citatione. n.13.*

III. Jure Civ. non valet citatio facta in diem feriatum, nec adſtringit vocatum ulla neceſſitate comparendi, ſed ſperni impunè & ſine contumacia poteſt, etſi contra eam nullitatem non excipiatur, nihilq; opponatur à citato: Niſi cauſſa in citatione expreſſa ſit ejuſmodi, quæ poſſit etiam die feriato peragi: quales cauſæ quædam ſunt *l.2.& ibi gl. in verb.dies feriatus. ff. ſi quis in jus voc.non ierit. l.ult. C de feriis l.1.§.ult. & l.ſeq. ff eod. tit.* Jure autem Canonico talis citatio in diem feriatum facta valet, & obligat citatum, non quidem ut præciſè eo ipſo die ſe ſiſtat, ſed ut proximo ſequenti die non feriato ſive ad proximam Juridicam compareat. *c.cum dilecti. & ibi Panorm. n.4. De dol.& contum.Felin.in c.quo ad conſultationem.n.3.& 4. De accuſat.Lanfranc.in Praxi c De citatione. n.17.* Solet tamen majoris cautionis & præcidendæ excuſationis & diſputationis ergò citationibus plerunque inſeri talis clauſula, ut ſi fortè dies ſeu terminus Citationis dictus ſit feriatus, tunc vocatus ſiſtat ſe ad proximam ſequentem Juridicam. *vid.Mynſ.cent. 1.obſ.77. Gail.lib.1. obſ.53. ubi teſtantur in Camera Imperii ſic obſervari.*

Sequens differentia ad illam pertinet quæſtionem, An citatio ad ſingulos actus judiciarios requiratur ſpecialis, an verò una generalis ad totam cauſam ſufficiat: Quorũ hoc viſum eſt Interpretibus Juris civilis: Illud Canoniſtis. Tametſi nonnulli ſic diſtinguendum putarint, ut generalis citatio valeat ac ſufficiat eo caſu, quando citatus procul abeſt à loco judicii: quando autem eſt in loco vicino, ut tunc ad ſingulos actus ſpecialiter vocetur. In Camera tamen Imperii, citationes initio proceſſus fiunt generaliter ad totam cauſam, omneſq; & ſingulos ejus actus, nec poſtea iterantur aut multiplicantur, ne quidem ad audiendam ſententiam. Videantur hac de re *Dd. ad l.qui ante cal. ff de V. O Canoniſtæ ad c. conſuluit. De off. deleg. Marant. de ord. judic p. 6. tit.de citat. n.115. Mynſ. cent. 4. obſerv.33.* Ubi tamen annotat, aliquando in Camera ſecundum ejus ordinationem plures requiri citationes. *Gail. 1. obſerv.15.& 109.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Caput XIV.

DE MISSIONE IN POSSESSIONEM.

Citationem rectè ſequitur videre de miſſione in poſſeſſionem, quę ſcil. fit contra contumacem vel latitantem, qui citationem ſprevit. Hic unam reperio differentiam, à Bart. quoque annotatam *in tractatu differentiarum n. 147.* Jure Civili miſſus in poſſeſſionem ex primo decreto in actione in rem, qua ſcil. de dominio vel quaſi quæritur, ſtatim fit poſſeſſor, & conſequitur jus pignoris, Ita tamen ut poſſit reus contumaciā ſuam purgare intra annum, & rem recuperare. Fructus autem poſt annum demum ſuos facit & lucratur, niſi vel in ipſa interpoſitione decreti exprimatur, quod etiam intra annum perceptos ſuos facere debeat, vel poſt litem conteſtatam interponatur primum decretum. Jure autem Canonico miſſus nō ſtatim intra annum incipit poſſidere, ſed poſt annum demum fit poſſeſſor. Interea tantum eſt cuſtos bonorum. De Jure Civili videantur Zaſius & alii *ad l. finita §. Iulianus. ff. de damn. infect. inf. & in l. Fulcinius. ff. ex quib. cauſ. in poſſ. eatur. Ferrarienſ. ti. form. rei conventi ad verb in termino Marant. de ord. judic. tit. De contumac. n. 12. Wurmſ. in pract. fori obſ. tit. de contum. obſ. 6.* De Jure Canonico eſt *c. 11. paſtoralis. De off. ord. c. ult. De eo qui mitt. in poſſ. rei ſervand. cauſ. c. pen. contingit. De dol. & contumac.* Ut tamen quod ſentio fatear, de veritate hujus differentiæ valdè dubito, ac potius exiſtimo utrumq; jus hîc inter ſe conſentire: quod ſatis apparebit ei, qui legerit, quæ diſtinctè atq; enucleatè ſatis ſcripſit *Dn. Cujac. in Recitat. ad c. ult. ext. ut lit non conteſt. & c. pen. ext de dol. & contum.* ubi de coërcenda per miſſionem in poſſeſſionem contumacia I. rei, II. actoris, & primò quidem rei in actione in rem, deinde in actione in perſonam: adeò accuratè omnia ex utroque jure perſequitur, ut nihil ferè amplius deſiderari in illo argumento poſſe videatur. Quare ad eum vos remitto.

Caput XV.

DE LIBELLI OBLATIONE: ET ACTIONIBVS & plus petitionibus.

TRanſeamus ad Libelli oblationem & actiones: quæq; huc pertinent differentias breviter indicemus: quarum prima hæc eſt, annotata etiam Bart. *nu. 24. & Bapt. S. Blaſ. n. 77.* Quod Jure Civ. actor debet exprimere, ſpeciem, genus & nomen actionis *l. 3. edita actio. C. de edend. l. ult. C. de interdict. Nov. Valentin. de Epiſcopali judic.* Jure Canonico id non eſt neceſſe, ſed ſatis eſt, ſi ſimpliciter & purè factum ipſum & rei veritas narretur *c. 6. dilecti filii. De jud. Ubi Cujac. poſt alios.* Azo tamen & alii quidam voluerunt, ne quidem Jure civ. neceſſarium fuiſſe, ut nomen ipſum actionis exprimeretur, dummodo ex apta narratione facti (quod vocant vulgò medium concludendi) conſtaret, quodnam genus actionis intentatum eſſet. Quamquam enim ſine actione nemo experitur *l. ſi pupilli. §. ult. ff. de neg. geſtis. l. Quoties §. item ſi. ff. de admin. tut.* tamen hinc non ſtatim ſequitur, ipſum quoque actionis nomen edi vel in libello exprimi oportere: cum hæc ſint diverſa, agere ſine actione, id eſt, nullo jure ſibi competente: & nomen actionis ſibi competentis non exprimere: quorum illud interdictum, hoc permiſſum ſit.

Alia

Digitized by Google

Alia differentia eſt, quod Jure civili, quoties plures eæq; diverſæ actiones alicui competunt, una ex illis eligenda eſt. *l. 25. heredes. §. de pluribus. ff. famil. erciſc. l. non eſt novum. ff. de act. empt.* Sed Jure Canonico plures actiones in eodem libello cumulari poſſunt. *c. 2. & ibi gl. in verb. expreſſum. c. cum Eccl 3. De cauſſa. poſſ. & propriet. c. quia nonnulli 43 ubi gl in verb. perſ. actionib De reſcript gl. in c. querelam. 24. verb. petens. De elect. & elect. pot. Dynus & alii in c. nullus plurib. de reg. Iur. in 6.* Verùm de hac re alibi pleniùs. Porrò quia nonnunquam in libello plus petitur, idq; non impunè fit, ſciendum hic quoque differre Jus civile à Canonico. Illo namq; jure, plus petens re, cauſa, loco, tempore, pœnam hanc patitur, ut non ſolum in expenſas, ſed etiam in ſportulas condemnetur reo, & quidem ut eas reſtituat in triplum, ut notum ex Inſtit. Jure Canonico in foro Eccleſiaſtico non punitur in triplum ſportularum, quia ibi ſportulæ receſſerunt ab aula. *c. cum ab omni. de vita & honeſt. cler. Bart. de diff. Iuris. n. 135. Bapt. S. Blaſ. n 146.*

Alia differentia eſt in eo, qui ſe liti obtulit. Jure namq; civili is condemnatur perinde, ac ſi rem, qua de agitur, poſſideret. *l. is qui ſe. ff de rei vind. l. qui ſe liti. ff. de pet. her.* Jure Canonico non item in negotiis Eccleſiæ. *c. Eccleſia. ut lite pendente. c. & ne ſi Epiſcopum. 26. q 6.* Alioquin enim delictũ perſonæ redundaret in damnum Eccleſiæ, quod fieri minimè debet. Vide *Bart. n. 38. & Bapt. S. Blaſ. n. 86.* Poteram hoc loco etiam de Interdictis agere, & annotare aliquot eò pertinentes differentias, cum & pro Interdictis hodiè dentur actiones extraordinariæ, ut notum. *ex tit. Inſt. de Interd.* Sed reſervabo eam tractationẽ ad finem Differentiarũ Judicialium.

CAPUT XVI.
DE DILATIONIBUS.

SEquitur de Dilationibus, ubi una & altera occurrit differentia de tempore ſeu ſpacio, ut I. Quod Jure civili Reo dantur viginti dierum induciæ poſt libelli oblationem, ut interea deliberet, an velit cedere aut ſibi contra contendendum putet. *Novel. 53. c. 3. illud quoque. & ibi Cujac. Nov. 56. c. 2. §. ſancimus. Nov 82. c. 10. oportet autem.* Jure autem Can. relinquitur tempus arbitrio judicis, non eſt, inquam, certum, ſed arbitrarium. *c. dilectus ubi gl. de procurat. c. quoniam frequenter. §. Si verò. extr. ut lite non conteſt. c. cum ſit Romana. de appellat.* Atque ita etiam in Camera receptum eſt, ut ſcil. ſit tempus arbitrarium, pro vicinitate vel longinquitate loci, in quo vivit citatus, cui libellus eſt exhibitus. *Gail. 1. obſ 53. n. 20.*

Secunda differentia eſt, Quod cum Jure civili dilatio probatoria non facilè amplius quàm ſemel detur, *ex Conſtit. Dioclet. & Max. in l. 1. C. de dilat.* in qua pro diverſitate locorum diverſa ſtatuuntur tempora, nempe tres menſes, ſi inſtrumenta ſint in eadem provincia, ſex, ſi in continentibus provinciis: novem, ſi ultra mare. Jure Canon. non ſemel tantum datur dilatio, ſed ſæpius, ut ſecunda, tertia, quarta: quamvis hæc non niſi prævia cauſæ cognitione detur. *c. quoad conſultationem. de ſentent. & re judic. c. oblata. §. licet. d. c. cum ſit Romana ubi gl de appellat. c. in cauſis. c. Significaverunt. & c. pen. ext. de teſt. vid. Mynſ. cent. 1. obſer. 71. & ſeq. Gail. lib. 1. obſ. 91. & ante hos Frid. Schenck. in progymnaſm. fori. titul. 9.*

Digitized by Google

Caput XVII.

DE EXCEPTIONIBVS.

DEinceps de Exceptionibus videndum: Ubi hæc prima ſit differentia. Jure civili exceptio dilatoria, ſi qua competit reo opponi debet ante litis conteſtationem. *l. 13. ita demum. C. de Procur. l. ſed & ſi ſuſcepit. 51. in pr. ff. de judic. l. pen. & ult. C. de excep. l. exceptionem. C. de probat.* Jure Can. etiam poſt litis conteſtationem in qualibet parte litis, quandocunque, dum tamen ante ſententiam id fiat, opponi poteſt & attenditur. *c. 12. exceptionem. de except. Bart. num. 45. & Bapt. S. Blaſ. n. 94* Notandum tamen, ibi non de quâvis exceptione dilatoriâ agi, ſed de ea tantum, quâ alicui objicitur Excommunicatio. Ea locum habere dicitur in qualibet parte litis. Et ratio ibi additur, Ne quiſquam cogatur cum periculo animæ ſuæ communicare excommunicato *Vide & Cujac. ad d. c. 12. & ad d. c. 4. paſtoralis. in fin. eod. tit. de except.* Ex quo apparet, quod de una ſpecie except. dilat. videl. excommunicationis cautum eſt, ob ſpecialem rationem, id non eſſe ad totum genus porrigendum, quod tamen vulgò faciunt.

Secunda & verior differentia eſt quam annotat *Bart. nu. 77. ex c. 5. finem litib. de dol. & contum. collata cum l. properandum. §. Sin autem. C. de judic.* nempe Jure Canon. reum, qui propoſuerit exceptionem dilatoriam poſt fundatam intentionem actoris, ſi deficiat in probatione ejus exceptionis (nam ut dici ſolet, reus excipiendo fit actor, & æquè ſuam intentionem probare cogitur atq; actor. *l. in except. ff. de prob.*) etiam ante ſententiam definitivam condemnari actori in expenſas: cum Jure civ. condemnatio expenſarum tandem in fine litis fiat. Sic, inquam, Bartolus, accipiens id c. de except. dilatoria. Contra Panorm. de peremptoria id interpretatur: ut habetur etiam in ſumma ejus capituli. Tametſi uterque in eo conveniat, quod condemnationem in expenſas ante definitam ſententiam fieri poſſe volunt. Cujacius in Recitat. tàm de peremptoria, quàm de dilatoria intelligit: quaſi illis verbis textus, ad impediendum proceſſum: ſignificetur peremptoria, iſtis verò vel differendum, dilatoria exceptio.

Videtur autem idem Cujacius nullam hîc agnoſcere differentiam inter Jus civile & Canonicum, quod ad tempus condemnationis in expenſas. Moribus tamen noſtris paſſim in judiciis receptum eſt, ut in expenſas protractę litis etiam ante definitivam, & quidem plus vice ſimplici condemnetur, nec reſerventur omnes expenſæ uſque ad finem judicii.

Alia differentia, Quod Jure Civili Exceptio ſive clauſula illa, ſi preces veritate nitantur, tacitè non ineſt reſcriptis Principum, ſed expreſsè id inſeri debet: alioqui non valent. eaq; omiſſa objici poteſt illis exceptio iſta. *l. ult. C. de diverſ. reſcript. & ibi Dd. Weſemb. conſ. 43 n. 33.* Jure Canonico valent reſcripta, etiamſi illa clauſula eis non ſit inſerta. Nam tacitè ſemper ineſt & ſubintelligenda eſt. *c. 2. ex parte. circa medium. ext. de reſcript. vid. & Bapt. S. Blaſ. n. 2.*

Rurſum hîc, ſecundum quoſdam, differentia eſt, Quod Jure civili exceptio in quantum quis facere poteſt (quã vulgò competentiæ vocant) prodeſt ei, qui prius ceſſit bonis, ut non teneatur, niſi in id quod facere poteſt, etiamſi ad pinguiorem

Digitized by Google

guiorem fortunam pervenerit. *l.4. is qui.D. de ceſſ. bon.* Jure Canonico ſimpliciter ad ſolutionem urgeri poteſt. *c.3. Odoardus. de ſolut.c.5.cum tu.de uſur.* Sed hæc mihi differentia nulla videtur. Nam *in d.c. Odoardus.* nihil aliud dicitur, quàm quod clericus debitor ſolvere non valens propter inopiam, non debeat ob id excommunicari, ſed tantùm idoneè cavere, ſe perſoluturum debita, ubi ad pinguiorem fortunam pervenerit: quæ conveniunt cum Jure civili, niſi quod cautio talis eo non requiritur. Idonea autem cautio intelligendi eſt procul dubio ea, quæ vel pignoribus vel fidejuſſoribus datis fit: vel prædiis, inquam, vel prædibus. Unde quod in ſummario ejus capituli dicitur, de cautione ſaltem juratoria præſtanda, id mihi videtur diſcrepare à textu, in quo idonea requiritur. Juratoria autem non eſt idonea, ſed nuda cautio. Neque enim juramentum efficit ex nuda idoneam cautionem.

Sequens differentia ad exceptionem non numeratæ pecuniæ pertinet Jure civili exceptio non numeratæ pecuniæ locum habet intra biennium à tempore dati chirographi inanis, id eſt, quod nulla ſecuta eſt numeratio, daturq; reo convento contra creditorem, repetentem quod non dedit. *l. in contractib. C. de non num pec.Inſt. de liter.oblig.* Ubi hac de re dictum. Jure autem Canonico poteſt opponi etiam poſt bienniũ in vim exceptionis doli mali: quia quovis tempore dolo faciat, qui cum aliena jactura velit locupletari, & metere atque colligere ubi non ſeminavit. *vid. Dyn.in c locupletari.de R.I.in 6.Panorm. & alii in c.ult. ext.de ſolut.Felin in c.ſi cautio n.60.& ſeq.de fid.inſtr.vid hac de re etiam Bapt.S Blaſ.n.20.*

Alia differentia eſt, quod Jus civile diſtinguit inter exceptionem longi & longiſs. temporis. At Jus Can. non diſtinguit inter has ſpecies quoad tituli allegationem & probationem. Utrobiq, enim oportet cauſam poſſeſſionis allegare & probare, videl. ad excludendam malam fidem & probandam bonam fidem, ſine qua Jure Can. nulla procedit præſcriptio. Qua de re & ſupra dictum, cum de differentiis ad præſcriptionum materiam egi.

Sequens differentia pertinet ad Exceptionem ſuſpecti judicis. Jure civili exceptione ſuſpicionis oppoſita judici delegato, probata coram arbitris, hi denique cognoſcunt de cauſa principali. *l.16. apertiſſimi. & l.18. cum ſpecialis. C. de judic.* Sed Jure Can. remittitur cauſa ad ſuperiorem: arbiter verò tantum de cauſa ſuſpicionis, non de toto negotio principali cognoſcit. *c.39. ſuſpicionis. de off.deleg. c.2. legitima.& c.cum ſpeciali. de appellat. in 6.*

CAPUT XVIII.
DE IUREIURANDO CALUMNIAE.

HActenus de Exceptionibus. Nunc de jurejurando calumniæ primum: deinde etiam in genere quædam de alio quovis jurejurando videamus. Initio autem non eſt ignorandum varia eſſe juramentorum genera: quæ diligenter ex toto Jure collegit & annotavit Doctor meus Dominus Borchold. *in commentario ſuo de jurejurando*, unde peti poſſunt. Ad illam verò ſpeciem quod attinet, quæ dicitur jusjurandum calumniæ de ea tractari ſolet in Jure civili ſub titulo. *C. de Iurejur.propt.cal. dando.& §.1.Inſt.de pœna.tem. litig.* In Jure Canon. *ſub tit. Decret.*

lib.2. de juram. calum. & tit. concordanti in 6. Decretal. Differentias autem utriuſque Juris quoad iſtud argumentum hîc exponere incipiam. Jus civile tantùm novit jusjurandum calumniæ, nec ab eo ſeparat jusjurandum malitiæ, neque juramentum de veritate dicenda: nam calumnia & malitia idem ſunt: ut patet ex Ciceronis libris Officialibus. Ubi pro eodem habet calumniam & malitioſam ac nimis callidam Juris interpretationem: de qua noti ſunt Menandri verſus: *καλὸν οἱ νόμοι σφόδρ' εἰσίν. ὁ δ' ὁρῶν τὺς νόμυς λίαν ἀκριβῶς συκοφάντης γίγνεται.* Deinde Jusjurandum calumniæ etiam veritatis dictionem in ſe complectitur. Nam qui jurat nulla ſe uſurum calumnia, is certè etiam hoc promittit, veritatem ſe non oppreſſurum aut diſſimulaturum. Neq; enim minus opponitur veritati calumnia, quàm mendacium, cum ſpecies quædam ſit mendacii calumnia. Unde etiam Jusjurandum de calumnia dicitur præſtari ad veritatem eliciendam. *c.5. caterum. extr. de juram. calumnia.* At Jus Canonicum tria diſtincta facit genera Jurisjurandi, nempe, Jusjurandum calumniæ, jusjurandum de veritate dicenda, & Jusjurandum malitiæ. *c.1. & 2. de juram. calum. in 6. Bapt. S. Blaſ. nu. 197.* Nec malè ita hæc ſeparari defendit *Cujac. in Recit. Decret. ad c. pen. extr. de juram. cal. & ad c. ex literis. 32. ext. de jurejur.* Primum enim, Jusjurandum calumniæ tantum à partibus præſtari: ſed jusjurandũ de veritate dicenda, à teſtibus, & nonnunquam, ſi res exigat, etiam à partibus. Deinde alium eſſe tenorem jurisjurandi calumniæ, aliũ de veritate dicenda, ut docet *gl. c. pen. de iuram. calum. & gl. ad c. 32. ex literis. ext. de Iureiur.* Ita inquam hæ duæ ſpecies juramenti calumniæ & de veritate dicenda ſecundum Canoniſtas differunt. Malitiæ autem & calumniæ jusjurandum ita: quod jusjurandum calumniæ ſit de lite inſtituta calumnioſè, aut quam veremur ne inſtituatur ab actore, vel ſuſcipiatur à reo calumnioſè: ſed jusjurandũ malitiæ de alia quacunq; calumnia in quavis parte litis uſurpata. Hodiè autem ferè obtinuit in judiciis paſſim locorum, ut ſervetur Jus Canonicum. *vid. Mynſ. ad §. 1. de pœn. temerè litig. n. 11. Bernh. Wurmbſ. in obſerv. pract. tit. 14 de iuram. calum.*

Alia differentia eſt, quod Jure civili à neceſſitate præſtandi juramentum calumniæ non excipiuntur cauſæ ſpirituales: nam æquè in his atq; in aliis quibuſvis Laicis & pecuniariis de calumnia juratur. *l. 1. & 2. in verb.* In omnibus cauſis. In omnibus litibus. *ubi gl. Bart. & alii. C. de iureiur. propt. cal. dando.* Nam qui omne dicit, nihil excludit, & lex generaliter loquens generaliter eſt accipienda.

Jure autem Canonico excipiuntur cauſæ ſpirituales, quæq; his annexæ ſunt: in his enim non juratur de calumnia. *c.2. ext. de iuram. cal.* Ratio quare ibi Pontifex voluerit ſeparare cauſas ſpirituales à pecuniariis, ut cũ in iſtis juretur de calumnia, in illis non juretur, hæc eſſe videtur, quia cauſæ pecuniariæ utpote privatorum propriæ, ab ipſis agantur contentione & aviditate majore, quàm ſpirituales, quæ potius pertinent ad rem Eccleſiæ, quàm ad rem familiarem ac propriam alicujus privati: ut ita major in pecuniariis Laicorum cauſis, quàm in ſpiritualibus ſubeſſe videatur metus calumniæ, Cujacius *ad d. c. 2.* Cujus tamen contrarium videtur & *gl. in d. c. 2.* & Bonifacio VIII. *in c. 1. §. ult. de juram. cal. in 6.* ubi proinde præcipi, ut in ſpiritualibus non tantum de veritate dicenda, (ut antiqui Canones voluerunt) ſed etiam de calumnia juretur. *vid. & Bart. n. 156. & Bapt. à S. Blaſ. n. 156.*

Sequens

Digitized by Google

Sequens differentia pertinet ad Juſjurandum calumniæ in cauſis criminalibus. Quæri enim ſolet, an in his quoq; de calumnia jurari debeat. Hic enim diſcrepat Jus civile à Canonico. Jure Can. etiam in criminali cauſa juratur de calumnia: *ut notat gl. in c.1. de jur. cal.* ibi in cauſa quacunq;, ſeu criminali ſeu civili, &c. Jure autem civili tantum in cauſis pecuniariis de calumnia juratur, in criminalibus cauſis non item. Hæc enim verior eſt ſententia Martini: cujus ratio eſt, Quia in criminalibus judiciis, quoad actorem, ſufficit ei ſubſcriptio in crimen. Quæ hanc vim habet, etiam Symmacho teſte in Epiſtolis, ut ad ſimilitudinem pœnæ obliget accuſatorem, qui non probaverit objectum à ſe crimen: Quoad reum accuſatum, ei licet qualiter qualiter ſanguinem ſuum redimere. *l.1. ff. de bon. eor. qui ante ſent.* Omnis ei honeſta ratio eſt expediendæ & conſervandæ ſalutis. Cum Jure tamen Canon. conſentit. conſtit. Frid. *de pace tenenda,* probans juramentum calumniæ etiam in cauſis criminalibus. Qua in re ſecutus eſt ſententiam Bulgari, Azonis & aliorum, qui à Martino diſſenſerunt: *ut docet Cujac. ad d. c. 1. de juram. cal.* ubi ſimul etiam objectiones quaſdam diluit, quæ Martini ſententiæ obſtare videbantur, & apud ipſum videri poſſunt. Inprimis objicitur. *l.1. & 2. In omnibus cauſis, in omnibus litibus. C. de jur. propt. cal. dando.* Sed ea verborum generalitas ad omnes cauſas & lites civiles & pecuniarias aptanda eſt, non ad criminales etiam extendenda. Deinde objicitur *l. ult. C. de fid. inſtrum.* ad quam reſpondendum, ibi non agi de juramento calumniæ in criminali judicio, v. g. accuſationis falſi præſtando, ſed in judicio ad exhibendum, quod eſt civile & pecuniarium, non criminale. Præterea objicitur *Nov* 124. ſed in ea Novel. nihil agitur de juram. calumniæ in criminalibus cauſis præſtando. Tantum de pœna judicis, qui quid à reo accepiſſe convictus fuerit: item de pœna rei, qui judicem falsò inſimulaverit ſordium ſive δωροδοκίας, ſive cauſa fuerit civilis, ſive criminalis. Denique objicitur. *d. c. 1. de jur cal.* ſed reſpondetur quod res eſt, ibi non in ſpecie de juram. calumniæ agi, ſed in genere de quovis jurejurando, quod clericus cujuſcunque ordinis ſubire non compellatur.

Hinc naſcitur alia differentia, nempe quod Jure civ. omnes coguntur præſtare iuſiurandum calumniæ ſi exactum fuerit, adeò ut id recuſans ſubire, ſi ſit actor, cadat cauſa, ſi reus habeatur pro confeſſo. *l. 2. §. quod ſi actor. C. de jur. propt. cal. dando. c. ult. § ult. ext. de iur. cal.* non poſſit etiam expreſsè à partibus ſibi invicem remitti, quamvis poſſit tacitè præteriri. *Gail. 1. obſ. 84.* Excipiuntur tantum parens & patronus. Jure Can. clerici à præſtatione juramenti hujus immunes eſſe jubentur, niſi Epiſcopi jurijurando accedat conſenſus Pontificis Rom. & clerici juramento conſenſus prælati ſui. *d. c. 1. de jur. cal* Tametſi ipſum Jus Can. ſibi ea in re non ſatis conſtitiſſe videatur. Nam *in c. 5. cæterum. eod. tit.* etiam clerici & quidem ab utraque parte jubentur jurare de calumnia, non minus quàm Laici quilibet: Sicut etiam *in c. ult. d. t.* idem juramentum calumniæ exhibere jubetur etiam Epiſcopus, hoc tantum diſcrimine, quod ſancta Evangelia, quæ ab aliis jurantibus tangenda erant, tantum in conſpectu Epiſcopi ponuntur: quod ex Novellis Juſtiniani deſumptum eſt.

Aliæ,

Digitized by Google

Alia differentia eſt, quod Jure civili univerſitas aliqua jurare ſolet de calumnia per Syndicum. *l.2.§ hoc etiamſi.C.de jurejur.propt.cal.dando. l.municipes. ff.ad municipalem l.municipib. ff.de cond & demonſt.* Jure autem Canon. Univerſitas ſive Collegium aliquod Eccleſiaſticum ipſum per ſe jurare debet, niſi Oeconomum habeat, & ad id conſtituat idoneum *c.4.Imperatorum.ext.de juram.cal.* Idoneum autem Oeconomum intelligere debemus eum, qui cauſæ quâ de agitur, non omninò ſit ignarus. *arg.c. praced. in pertractandis. in verb. Qui cauſam omninò non neſciant.*

Rurſum alia eſt differentia, Quod Jure civili litigatores ipſi tàm actor quàm reus, quamvis per Procuratores litigent, coguntur jurare de calumnia *l.2. & auth. principales. C.d.t.* Sed Jure Can. admittitur indiſtinctè Procuratur habens ſpeciale mandatum *c.ult.de juram.calum.in 6.* Quo caſu Procurator tàm in animam ſuam, quam in animam domini, ut loquũtur, jurare debet. *c.2.§.1. de juram. calum.in 6.* In animam domini quidem, propter ſpeciale mandatum: In animam verò ſuam ipſius, ne alioquin etiam ipſe calumnietur. Mores noſtri hodiè paſſim in judiciis hîc quoque Juri Pontificio ſeſe conformarunt. *teſte Hartm. Hartmanni in obſerv. Pract. tit. de juram. calum. obſerv.2. Gail. obſerv. l.1. obſervat.83. Beuſt. ad rubr. de jurejur. num* 104.

Denique & hæc differentia notatur *à Bart.n.42 & Bapt. S.Blaſ. n.90.* Quod Jure Canonico Abbas in cauſa monaſterii poteſt jurare de calumnia non in ſuam animam, ſed majoris partis capituli ſeu conventus ſui. *c.dudum. de elect.* Cum Jure civili aliud ſit cautum, nempe ut juret in animam ſuam, ut quivis alius, habens legitimam perſonam ſtandi in judicio *d. l 2.§.quod obſervari.& §.hoc etiam. C.d.auth. t.cauſa.C.de Epiſc.& cler.*

CAPUT XIX.
DE IVREIVRANDO IN GENERE.

HActenus de jurejurando calumniæ & differentiis eò pertinentibus. Nunc in genere de jurejurando quædam videamus. Ubi hæc prima ſit differentia. Quod in Jure civili liceat etiam per creaturas jurare, ut per genium & ſalutem principis, quod erat uſitatiſſimum veteribus. *l.3.§.ult.cum l.ſeq. l. qui per ſalutem. ff.de jurejur.* Jure Canonico per creaturas jurare non licet. *c.8.conſidera. & c.9.clericum.22 quæſt.1.* In quo Canones ſequuti ſunt interdictum ipſius Chriſti, *Matth.5.verſ.34.& duob. ſequentib.* Prohibentis jurare per cœlum, tanquam thronum DEI, & terram, tanquam ſcabellum pedum ejus, & Hieroſolymam, ut quæ urbs ſit magni Regis, & caput proprium, ut cujus non ſimus domini. Excipiunt tamen *Bart.n 23.& Bapt.S.Blaſ.* aliquot caſus, quibus etiam Jure Canonico admittatur jusjurandum per creaturas: ut per Evangelium, ſive ſanctas ſcripturas, per altare & reliquias SS &c. *ut c.11 ſi aliqua cauſa.& c.12.habemus.22.q.1.* Quanquam autem & ibi, & aliis locis ſæpiſſimè ſit mentio adhibitarum in juramentis ſanctarum ſcripturarum, & in ſpecie Evangeliorum, item reliquiarum ſive oſſium martyrum atq; aliorum Sanctorum, tamen hæc non tam ad ſubſtantiam, quam ad ſolennitatem jurisjurandi, majoremq; venerationem ac religionem ei con-

Digitized by Google

ei conciliandam pertinent. Interim verò in omni vero juramento teſtis adhibetur Deus, & per Deum juratur, non per creaturam, ſive liber ſit, quem tangas, aut ſaltem videas in conſpectu poſitum, ſive reliquiæ Sanctorum. Omninoq; aliud eſt, per ſacras ſcripturas, per Evangelia, per reliquias Sanctorum jurare: quod nefas eſt: aliud apud reliquias Martyrum, vel apud Evangelia, iiſque contactis per Deum, quod licet, ſive divino invocato numine, ut veritatis ſit teſtis & aſſertor ac vindex falſitatis. In ſumma, cui honor & cultus invocationis debetur, per eum ſolum eſt jurandum. At Deo ſoli debetur cultus & honor invocationis, ſecundum illud ex Deuteron. repetitum ab ipſo Chriſto *Matth. 4.* Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, illum ſolū coles. Ergo per ſolum Deum eſt jurandum. Idq; etiam confirmat Innocentius III. *in c. 26. etſi Chriſtus extr. de jurejur.* Dominus, inquit, per creaturam jurare prohibuit, ne per hujuſmodi juramentū transferretur ad creaturam honorificentia creatoris. In quo c. multa ſunt præclara ex intima Theologiæ deprompta etiam Cujacio judice, ad probandum, Licere homini Chriſtiano jurare ex neceſſitate, ex honeſta & juſta cauſa confirmandæ veritatis ergò: non temerè, non inconſultò, non improbè & illicitè, comitibus veritate, judicio, & juſtitia. qui tres comites jurisjurandi liciti, ſine quibus non eſt juramentum, ſed perjurium, obſervantur etiam à D. Hieronymo *ad cap. 4. Hierem. vid. c. 2. 22. quæſt. 2.*

Etſi autem, ut modò dictum, per Deum jurandum eſt, tamen per membra Dei jurare nefas eſt, v.g. per capillum, vel caput Dei: in eoq; convenit utrumque jus, quod hoc habet & punit pro blaſphemia. *Authentico, ut non luxurientur contra naturam in fin. c. 10. ſi quis per capillum. 22. q. 1.* In pœnæ tamen modo eſt diſcrimen inter Jus civile & Can. Illo namq; jure eſt pœna blaſphemiæ capitalis: Iſto autem non eſt pœna mortis, ſed ut blaſphemus ſtans pro foribus Eccleſiæ publicè aliquot diebus agat pœnitentiam, & alia nonnulla præſtet, ſecundum præſcriptum Gregorii IX. *in c. 2. extr. de maled. vid. Damhoud. in prax. rer. crim. c. 16. num. 26. Iul. Clar. 5. ſent. §. Blaſphemia. n. 3.* Sed hæc ad locum de pœnis pertinent, quem inferius tractabimus.

Sequens differentia ad effectum jurisjurandi pertinet, notaturq; à *Bapt. S. Blaſ. n. 188.* Jure civili jusjurandum, regulariter non inducit obligationem, niſi in perſona liberti, qui inter manumittendum jurat patrono ſe operas præſtiturum. *l. 7. ut jurisjurandi. in pr. ff. de operis libert. Notatur in l. ſi quis major. C. de tranſact. & à Dd. ad rubr. & l. 1. ff de V. O.* Jure Canonico obligat jurantem jusjurandum. *c. 9. per tuas. in verb. quia juramento ſuo ſeipſum perſonaliter non Eccleſiam poterit obligare. Vbi Panorm. extr. de arbitr.*

Sequens differentia pertinet ad iuſiurandum pupilli ſive Impuberis. Iure civili Impubes ex ſuo ſacramento non obligatur. *Authent. ſacramenta puberum, quæ eſt particula Conſtit. Frid. I. quæ extat lib. 2. Fr. tit. 53. de pace tenenda inter ſubdit. C. ſi adverſ. vendit.* Ratio, quia non intelligit iuriſiurandi religionem, quantam vim habeat. *arg. l. 1. C. de falſa monet. l. qui juraſſe. de iureiur.* Excipitur Libertus, qui ſi impubes adhuc juraverit patrono operas, poteſt earum nomine ut præſtet conveniri cum iam pubes factus erit, ſed tamen utili tantum, non directa actione. *l. ultim. §.*

ult. ff. de liberali cauſa. Jure Canonico juramentum pupilli, qui doli capax eſt valet ac ſervandum eſt. *can. 14. parvuli. & c. ſeq. 22. quæſt. 5. ubi notat Bapt. S. Blaſ. n. 108. vid. Bart. n. 71.* qui tamen putat defendi poſſe etiam Jure civili valere jusjurandum impuberis doli capacis: atque hîc ita ſecundum eum nulla eſſet differentia. Et certè in textu ibi nihil dicitur de pupillo doli capace: nihil etiam dicitur de eo, quod impubes jurans non obligetur: ſed hoc tantum, pueros ante XIV. annos non cogendos eſſe jurare. Quid autem ſi ultrò & ſua ſponte juraverint? procul dubio verum eſt eos obligari. Unde etiam puerilem ætatem perjuria committere poſſe ait Pontifex *in c. 1.* (pueris grandiuſculis) *extr. de delictis puerorum.* quamvis mitius quàm majores puniendi ſint pueri.

Alia differentia eſt *ſecundum Bapt. S. Blaſ. n. 57. & ad l. 2. C. de reb. credit. & jurejur.* quod Jure Canonico difficultas vel majora negotia jurantis excuſant eum à perjurio, etiamſi non impleat quod juramento promiſit. *gl. in can. 5. B. Paulus. 22. quæſt. 2.* Jure civili ſecus eſt, ubi difficultas non liberat promiſſorem. *l. continuus. §. illud. ff. de verb. oblig.*

Alia differentia eſt, Quod Jure Canonico perjurus omnino eſt infamis. *c. 17. infamis. & c. ſeq. quicunque. 6. q. 1.* Jure civili non indiſtinctè hoc verum eſt. *l. 2. C. de reb. cred. & jurejur. l. 2. ff. de crim. ſtell. l. ſi quis major. C. de tranſact.* A teſtimonii tamen dictione utroque jure repellitur perjurus. *l. 2. & 3. §. lege Iulia. ff. de teſtib. d. c. 18. quicunque. ibi. Nunquam in teſtimonium recipiatur. 6. q. 1. c. 7. ſi quis convictus. c. 14. parvuli. 22. q. 5.* cujus rei ratio eſt, quia ſemel malus ſemper præſumitur malus, & pejerando omnem fidem amiſit, quod & mendaces omnes lucrari, ait Ariſtoteles, ut fides ipſis etiam vera dicentibus non habeatur.

Ultima differentia pertinet ad jusjurandum vi metúve extortum. Jure civili ſacramentum vi aut metu præſtitum ipſo jure nullum eſt, nec eget abſolutione. *§. ult. verſic. per vim. de pace tenenda inter ſubdit. & auth. ſacramenta puberum. C. ſi adverſ. vend. Gunther. l. 8. Ligurini.*

Iuramenta metu, mortisvè dolore coacta,
Nullius meriti vel ponderis eſſe jubemus.

Jure Canonico opus eſt abſolutione à tali juramento. *c. 8. ſi verò. ibi: clerici, qui coacti miniſterium Eccleſiæ abiurarunt de iuramento abſolutionis beneficium meruerunt. extr. de iureiur.* Diſtinguitur tamen inter factum, quod quis jurejurando promittit, ut ſi prohibitum ſit à jure, vel contra bonos mores, tunc ipſo jure nullum ſit juramentum, nec egeat abſolutione: ſecus ſi factum non ſit prohibitum, neq; per ſe alioqui contra bonos mores. Qua de re latius explicat *And. Gdil. 2. obſ. 42. vid. & Panorm. aliiq; ad c. 28. cum contingat. de iureiur.*

Hactenus de jurejurando: primò quidem calumniæ, deinde verò in genere de alio quovis. Nunc priuſquam ad probationes tranſeamus, proximum eſſe videtur, ut de litis conteſtatione, tum de Poſitionibus & Reſponſionibus pauca dicamus.

CAPUT XX.

DE LITIS CONTESTATIONE.

AD litis conteſtationem quod attinet, initio admonendi ſumus, eam fieri per petitio-

Digitized by Google

petitionem actoris in Jure propoſitam & ſecutam rei reſponſionem ſeu contradictionem, narrato atque expoſito omni negotio, quo de agitur, ſive conflictum utriuſque partis. *l. 1. C. de litis conteſtat. l. rem novam. § patroni C. de iudic. l. 2. §. 1. & §. Sin autem reus. C. de iuretur. propt. calum. dando. c. 45. dudum § partibus. extr. de elect. c. un. & ibi Cuiac. extr. de lit. conteſtat.* ubi graviter invehitur in quorundam tabularum forenſem imperitiam, qui neſciant quid ſit litis conteſtatio: ut etiam facit *Nic. Vigelius IC. Marpurg.* Eaque eſt initium judicii. *l. 5. ff. de petit. hered. l. 5. ff. de public. iudic. l. deferre. § ſed eas. ff. de iur. fiſci. l. adulteram. C. ad L. Iuliam de adult. Nov. 112.* Dicitur autem litis conteſtatio à teſtibus, quia his præſentibus res in judicium deducebatur, ut conſtat ex Feſto, & ex loco Cincii apud Macrob. *l. 9. c. 16.* Jubent dicere quorum negotium eſt: narrant: Judex teſtes poſcit &c. quibus deſcribitur forma Litis conteſtationis, & ſimul indicatur ejus definitio, quod ſit narratio facti apud judicem adhibitis teſtibus ad quam reſpondet reus. Hodiè tamen teſtium præſentia ad litis conteſtationem non requiritur, ſed ſufficit eam fieri à litigatoribus apud judicem: qui etiam plerunque ipſis tergiverſantibus illam illam injungit, aut ſi pergant tergiverſari, Litem pro conteſtata habet. His breviter præmiſſis, jam differentias: ubi prius illud monuero, quod pertinet ad convenientiam utriuſque Juris, regulam illam in Jure Canon. propoſitam: Ut lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem vel definitivam ſententiam, tametſi non ita disertè ſit expreſſa in Jure civ. tamen cum eo congruere. Nam teſtes adhibentur litibus, & ſententia fertur litium dirimendarum cauſa. *l. 1. ff. de re iudic.* Oportet igitur prius eſſe litem, quam vel teſtes producantur & recipiantur, vel ſententia feratur. Lis autem non eſt ante, quam res ſit in judicium deducta, id eſt, in judicio ordinata & conteſtata. Tunc enim judicium acceptum dicitur: antea tantùm controverſia dicitur. Et res tùm litigioſa facta eſt, cum lis conteſtata eſt. *l. 1. §. 1. ff. de litigioſis.*

Differentia prima ſit hæc: Jure civili litis pendentia in actionibus perſonalibus incipit à litis conteſtatione. *l. ubi. 30. cum ſeqq. ff. de iudic. l. amplius. ff. rem rat. hab.* Dixi in perſonalibus. Nam in realibus incipit à citatione adverſarii & propoſita petitione. Sic enim ſeparant Dd. reales à perſonalibus actionibus. *in auth. litigioſa. C. de litig. gl. & Dd. ad l. 2. C. d. t. gl. c. 1. verb. litigantib. ut lit. pendente. in 6.* Jure Canonico lis incipit poſt citationem à competente judice inſinuatam. *Clem. 2. ut lit. pendent. nihil innov.*

Secunda differentia eſt, Quod Jure civili in omnibus neceſſaria eſt litis conteſtatio, adeò ut ea omiſſa, non poſſit ferri ſententia. Eſt enim pars ſubſtantialis & præcipuum fundamentum ac judicii baſis. *Mynſing. cent. 3. obſerv. 74.* Nec tantum in prætoriis, ſed etiam in poſſeſſoriis judiciis requiritur: Neque tantum in civilibus, ſed etiam in criminalibus. De poſſeſſoriis eſt textus *in §. quorum. verb. litis conteſtatæ tempore. Inſt. de interdict. gl. & Bart. in l. 1. ff. utrubi. & in l. 1. §. inter. ff. de itin. actuq. priv. & l. ult. C. ſi quis per vim vel alio modo.* De criminalibus ſive publicis judiciis eſt *l. 20. ex iudiciorum. ff. de accuſat. l. ult. C. ut intra cert. temp. criminal.* Jure Canon. non eſt neceſſaria litis conteſtatio in cauſis matrimonialibus, electionis, & quibuſvis ſummariis: in quibus etiamſi non fuerit lis conteſtata,

Digitized by Google

rectè pronuntiatur. *Cardin. in Clem. ſæpè de V.S. Covarr. in Epit. de ſponſal. p.4. §.12. num.6. allegant. c.1. & c.ult. ext. ut lite non conteſt.* quæ tamen parum ad rem facere videntur.

Quæritur, An etiam in cauſis appellationum (vulgò ſecundam inſtantiam vocant) neceſſaria ſit litis conteſtatio. Et plerique putant neceſſariã non eſſe, nec ejus omiſſione vitiari proceſſum, dummodo in prima inſtantia intervenerit. *Dd. in l. prolatam. C. de ſent. & interlocut. & in l. ult. C. de temporibus appellat. Mynſin. cent. 1. obſ. 1. & 38. Weſemb. c.6. n.4. Gail. 1. obſ. 76.* Cujus rei hanc afferunt rationem, quia licet aliud ſit judicium appellationis, quàm primum, tamen cauſa non ſit alia, verum eadem, ſed neganda eſt conſequentia. Aliis diſtinguendum videtur, ut præſente adverſario requiratur etiam in cauſis appellationum litis conteſtatio; abſente, non item. *arg. c.58. per tuas. & ibi Decius aliiq; not. & c.70. interpoſita. §. ult. de appellat.* Cujacius hac quoque in re variaſſe videtur. Nam 15. *obſ. 10.* non dubitat, quin etiam in judicio appellationis neceſſaria ſit litis conteſtatio. Sed idem *in Recitat. Decretal. ad rubric. ext. ut lite non conteſtat. &c. nec non ad c.58. per tuas. & c.70. de appellat.* videtur non requirere litis conteſtationem, allegat ad eam rem *l. ult. ff. ad SC. Trebell. l. ult. §. illud. C. de temp. appellat.* In Camera Imperii hæc quæſtio eſt apertè deciſa in *Ordin. part. 3. tit. 32.* quæ vult, ut litis conteſtatio interponatur in omnibus cauſis ad Cam. devolutis, ſive appellatum ſit ab interlocut. ſive à definitiva ſententia. *vid. Mynſ. d. obſ. 1. cent. 1.*

Alia differentia eſt, Quod Jure Canonico recipiuntur teſtes in criminalibus, in electione & reſtitutione, etiam abſente adverſario & lite non conteſtata. *c. ult. quoniam. §. porrò. extr. ut lit. non conteſt. c. ex tua. de cler. non reſidentib. c.8. veritatis. de dolo & contum.* Cum Jure civili ad receptionem teſtium à parte accuſatoris contra abſentem non procedatur lite non conteſtata. *Dd. ad l. abſentem. Cod. de accuſ. Gail. 1. obſ. 92. num. 13.*

CAPUT XXI.
DE PROBATIONIBVS, MAXIMEQVE per Teſtes.

SEquitur videre de Probationibus, in quibus potiſſimum conſiſtit momentum ad obtinendum Jus ſuum: quibus ſi quis deſtituatur, is nihil conſequetur, ac meritò audiet illud Pauli, Non tibi Jus, ſed probatio deficit. *l.30. Duo ſunt Titij. ff. de teſtam. tut.* Non enim ſatis eſt Jus aliquod nobis revera competere, niſi, id fortè negante adverſario, etiam Judici fidem facere poſſimus, quod nobis id Jus competat. Alioqui non eſſe & non apparere paria erunt, ut dici ſolet. Unde & Cujac. rectiſſimè ſcripſit *ad tit. C. de probat.* Inanes ſunt actiones, niſi indubitatæ probationis fide apud judicem competentem liqueat, vera eſſe, quæ in judicium deducuntur. Porrò probatio duobus potiſſimum fit modis: vel per Teſtes, vel per literas, quas generali vocabulo ad ſpeciem reſtricto vocamus Inſtrumenta. Quæ duo in exercendis litibus eandem vim obtinere ait Imp. Conſtantinus *in l.15. in exercendis. C. de fid. inſtrum.* Teſtes autem alibi appellantur Perſonæ, *ut in l. 1. emancipatione. C. de fid. inſtr. & l.1. C. de dilat.* quamvis ibi Accurſ. perſonarum appellatione

putat

Digitized by Google

putat poſſe intelligi etiam Advocatos. Unde rectè atq; ordine factum eſt, ut ſubjicerentur in Pand. & Codice generali titulo de Probationibus duo ſpeciales tituli, de Teſtibus & de Fide Inſtrumentorum. Sunt quidem & alia, quæ probationibus ſunt affinia, verè tamen probationes non ſunt, ut Præſumptiones, quæ in Pandectis in unum titulum cum probationibus conjunguntur, in Decretalibus autem ſeparantur, ac proprium habent titulum. Earum autem vis eſt, nonnunquam transferre onus probandi in adverſarium, contra quem militant, ab eo pro quo faciunt. Adhæc etiam Fama affinitatem habet cum probatione: ſed tamen inde idonea probatio non ducitur, imò probatione quoque refelli poteſt, quamvis pro adminiculo eſſe poſſit. *c.27. præterea. & ibi Cujac. de teſt. c.27. cum in tua. de ſponſal.* Confeſſio quoq; vicina eſt probationi, unde & *in Decretal. tit. de Confeſſis* proximè præcedit titulus de probat. Plurimũ tamen à probatione differt, quia contra confitentem non eſt ulla probatione aliâ opus: unde vulgo jactatum eſt illud, Non eſſe fortiorem ac meliorem probationem in mundo, quàm proprii oris confeſſionem, & in confeſſos nullas eſſe partes judicis, niſi ut condemnet & confeſſi pro judicatis habeantur. Sic & jusjurandum ſpeciem habere videtur probationis, nec tamen probatio revera eſt: Imò probationis neceſſitate exonerare dicitur eũ, qui juravit. *l.30. ff. de jurejur.* Sicut etiam *in l.35. tutor. ff. eod. tit.* opponitur Jusjurandum aliis probationibus, ut etiam *l.3. C. de rebus credit. in c.2. extr. de probat.* Ubi damnatur illa conſuetudo, qua etiam ab eo, qui intentionem ſuam implevit legitimis probationibus, adhuc exigitur ſacramentum, ſine quo probatio non creditur. Et alibi potius rei judicatæ vim auctoritatemq; obtinere dicitur. *l.2. ff. de jurejur. l.1. in pr. ff. quarum rerum act. non detur.* Quare ut ſententia non poteſt dici probatio, ſed potius deciſio rei dubiæ: ita etiam de juramento ſentiendum eſt. Tametſi non iverim inficias, quin poſſit eſſe adminiculum infirmæ & illegitimæ probationis: quamvis per ſe ſolum non ſit genus legitimæ probationis, *ut eſt in edicto Iuſtiniani 7. de argentariorum contractibus.* His ita in genere præmiſſis, priuſquam differentias explicemus, quæ circa teſtes inprimis occurrunt inſignes, initio una & altera utriuſque juris conſenſio indicanda videtur, Quod ſicut Jure civili unuſquiſq; ſuæ intentionis probationes in judicio à ſe afferre debet, non autem deſiderare ab adverſario, ut is probationes adverſus ſemetipſum exhibeat, & quaſi tela ſuppeditet, quibus juguletur. *l.6. nimis grave: C. de teſtib. l. ult. C. de edendo.* Ita etiam Jure Can. idem cautum eſt. *c.1. ext. de probat. c.3. §. qui intendit. 4. q.3.* Nulli dicendum eſt (inquit Greg. Magn. *l.7. Regeſt. ep. 122.*) ea, quæ contra te ſunt, apud temetipſum debes documenta requirere, in mediumq; proferre. Ratio utriuſque juris eſt poſita in naturali æquitate, cui repugnat, ut quis contra ſeipſum arma cogatur ſuppeditare. Bis enim perit, qui ſuis armis perit. Quo pertinet fabula de aquila telo confecta, in quo aquilinæ pennæ erant aptatæ, quibus conſpectis præ nimio dolore exclamaſſe dicitur, ἰδίοις πτεροῖς βαλλόμεθα, Conſpicio pennas meas in vulneribus meis.

Altera convenientia eſt, quod ut Jure civ. Teſtes jurisjurandi religione arctandi ſunt, & injuratorum depoſitionibus non creditur. *l.9. in pr. C. de teſt.* Exceptis jure Novellarum Epiſcopis. *Auth. ſed judex. C. de epiſc. & cler.* & aliis quibuſ-

dam, *de quibus Accurſ. ad d. l. 9. & Specul. de teſte. §. reſtat.* Ita & Jure Can. nullius teſtimonio, quantumcunq; religioſus exiſtat, in alterius præjudicium, niſi juratus depoſuerit, credi debet. *c. 39. tuis quæſtionib & c. Si nuper. ext. de teſt.*

Alia capita in quibus hîc utrumq; Jus inter ſe convenit in lectione Juris Canon. obſervari ab unoquoq; poterunt. Differentias potius videamus: quarum prima ſit iſta, pertinens ad teſtimonium unius. Jure civ. Judex non debet admittere teſtimonium unius in quacunq; cauſa. *l. 9. Iuriſiurandi. §. 1. C. de teſtib.* Eodem q; pertinet etiam *l. 12. ubi numerus. ff. de teſt.* Unde illud manavit tritum ſermone proverbium: Vox unius, eſt vox nullius. *Bald. ad d. l. 9.* Quamvis gloſſographi vulgò ſemiplenam probationē inde proficiſci exiſtiment, cujus ea ſit vis, ut ad jusjurandum deferendum procedere poſſit judex: *ſecuti Accurſ. in l. 3. C. de reb. cred. & jurejur.* Qua de re prolixè explicatur *à Dd. ad l. 31. admonendi. ff de jurejur.* Jure autem Can. reperiuntur aliquot caſus, in quibus unius teſtimonium indubitatò admittitur. Ut primò: Teſtimonium ab uno licet Epiſcopo perhibitum omnes judices indubitanter accipere jubentur. *cap. 36. omnes. 11. quæſt. 1.* Quod tamen ſumpſit Gratianus ex conſtit. Conſtantini ad Ablavium PP. quæ extat *in fin. C. Th. de Epiſcopali judicio.* Ex quo loco eſt corrigenda inſcriptio *d. can.* ubi perperàm hæc adſcribuntur Theodoſio, quæ ſunt Conſtantini. Ratio ibidem additur. Alius caſus eſt, ubi etiam unius teſtimonium admittitur in Baptiſmo & confirmatione. *c. 101. non plures. de conſecr. diſt. 4. c. ult. de cognat. ſpir. in 6.* Ratio, ne multiplicetur cognatio ſpiritualis, quæ matrimoniis impedimento eſt. Id'q; in his terris etiam obſervatur: alibi non item, ubi minimum duo patrini adhibentur, ſæpè etiam plures. Alios caſus & textus annotarunt *Bart. diff. 41. & S. Blaſ. n. 89.* Eſt autem in pleriſq; eadem ratio, quia in talibus non verſetur præjudiciū alterius. Alia differentia eſt, de qua *Bart. n. 153. Bapt. S. Blaſ. n. 15.* quod Jure Can. alii teſtes nec in primo judicio, nec in cauſa appellationis recipi & examinari poſſunt, ſuper primis & iiſdem capitibus, ſeu articulis publicatione teſtimoniorum ſemel factâ. *c. fraternitatis c. intimavit. c. clarior. c. ſeries. ext. de Teſt. ubi Panor. Fel & alii. clem. 2. tit. de teſt. Marant. p. 6. de ord. jud. tit. de teſtib. Marant. p. 6. De ord. iud. tit. De teſtib. product. num. 22.* cum Jus civile eos admittat. *l. eos. §. 1. C. de appell. l. per hanc. Cod. de temporib. appel. & ibi Bald. & Dd. communiter. Ferrar. pract. in form. libell. appellat. Guid. Pap. deciſ. 14. & 347. & conſil. 37. p. 1. Wurmſ. tit. de teſt. obſerv. 27. Roland. à Val. conſ. 45. volum. 1.* Ratio Juris Can. eſt timor ſubornationis. Metuendum enim videtur, ne is, qui novos teſtes producit ſuper iiſdem articulis, ſuper quibus jam auditi ſunt teſtes alii, cogniti eorum teſtimoniis ſubornarit & ſubjecerit eos. In Camera tamen obtinuit Jus civile *ut teſtatur Mynſing. cent. 1. obſerv. 41.* licet ipſe contrariam ſententiam, nempe Ius Canonicum, de jure veriorem & magis receptam ſibi videri fateatur. *in fin.*

Alia differentia eſt, quam & *Bart. annotavit num. 6. & Bapt. S. Blaſ. nu. 38.* quod Iure Canon. mulier in cauſis criminalibus non admittitur ad dicendum teſtimonium. *can. de crim. 15. quæſt. 5. can. eo eo. 15. quæſt. 3. can. mulierem. 33. q. 5. c. tum literis. & c. ſuper eo. de teſt. c. forus. de V. S.* niſi ex crimine agatur civiliter. *c. quoniam de teſtib.*

Digitized by Google

de teſtib. Ratio eſſe videtur gravitas ejuſmodi cauſarum, quæ non videantur proinde committenda fragilitati ſexûs muliebris. Jure autem civili teſtimonium mulieris etiam in illis cauſis admittitur. *l. 18. ex eo. ff. de teſtib. & ibi Gothofr. Vid. Hartmann. tit. de teſt. obſerv. 4.* Tantum arcetur à teſtamentis, ne in eo [illegible] adhiberi teſtis. § *teſtes Inſtit. de teſtam. l. 20. mulier. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* [illegible] ideò, tùm quia Jus Comitiorum non habebant mulieres apud Romanos, quorum teſtamenta inde originem duxerunt; ut ad Inſtitutiones explicatum. & docet *Gell. 5. cap. 36.* tùm quia in ſolennitatibus juris publici fœminæ non rectè adhibentur. *l. 2. ubi Decius & alii. ff. de R. I.* Exceptiones autem à Dd. traditas, v. g. quod in teſtamento inter liberos, item ad pias cauſas facto, mulier teſtis eſſe poſſit, pluribus explicare non eſt hujus loci. *vid Gail. 2. obſ. 112. gl. & Bart. ad auth. quod ſine. C. de teſtam. Bald. in l. 1. C. de Sacroſanctis Eccleſ. Caſtrenſ in d. l. qui teſtamento § mulier. ff. qui teſtam. fac. poſſ.*

Alia differentia eſt *apud Bapt. S. Blaſ. num. 49.* quod Jure Canon. examen teſtium etiam in criminalibus cauſis poſſit committi alteri, perinde ut in civilibus. *c. ſi qui teſtium. extr. de teſtib. cum ibi not. & in c. quoniam contra falſam. de probat.* Jure civili non item. *l. Iudices. & auth. apud eloquentiſſimum. C. de fid. inſtrum.* Cujus Juris ratio longè melior, quia judicis ſit æſtimare quantum cuique teſti fidei tribuendum ſit, & teſtibus non teſtimoniis credere eum oporteat: præſtat ipſum ſuis, quàm alienis oculis & auribus uti & credere, præſertim in criminalibus, ubi luce clariores oportet eſſe probationes. *l. ult. C. de prob.* & quantò ibi majus verſatur periculum, tantò cautius ſit agendum.

Alia differentia eſt, quæ ad teſtem criminoſum repellendum pertinet: annotata *à Bart. num. 161. & 164. & Bapt. S. Blaſ. num. 159.* Jure civili ita demum repellitur teſtis criminoſus, ſi judicio publico criminis convictus & damnatus ſit: nec enim ſufficit crimen admiſiſſe, niſi acceſſerit condemnatio per ſententiam. *l. 1. §. qui in judicio. & l. 4. athletas. §. calumniator. ff. de his qui not. infam. l. 3. §. lege Iulia. ff. de teſt.* At Jure Canon. repellitur criminoſus à teſtimonii dictione, quamvis non ſit damnatus de crimine famoſo, dummodo probatum fuerit crimen & de eo conſtet. *c. ſuper eo. & c. teſtimonium. de teſtib. c. denique. & ibi not. extr. de except.* Et meritò. nam integræ famæ & opinionis eſſe debent teſtes: quales non ſunt criminoſi, qui tametſi non fuerint condemnati ob crimen; atque ita infamia juris laborare cœperint, tamen opinio ipſorum apud bonos viros gravatur, quæ eſt infamia facti.

Sequens differentia pertinet ad tempus producendorum & recipiendorum teſtium: *de qua etiam apud* Bart *videri poteſt nu. 9. in Tract. differ.* Regulariter teſtes ante litem conteſt. non recipiuntur: quam Regulam in Jure Canon. expreſſam congruere cum Jure civ. ſuper quoq; dixi cum de litis conteſt. agerem: ubi & ratio regulæ indicata eſt. Exceptiones ſunt complures, de quibus alibi; ſed illa nobiliſſ. & frequentiſſima, ſi quis ob conſervandam rerum memoriam & ad poſteros propagandum deſideret audiri teſtes, quos metuit ne interim, dum eorū teſtimoniis

opus

Digitized by Google

opus erit, rebus humanis ſubtrahantur, puta quia ſenes, quia valetudinarii, quia peregrinaturi procul, & diu abſuturi, quia tempus peſtis eſt &c. atque ita veritas deſtituta probationibus laboret ac ſupprimatur: quod vulgo dicitur Examen teſtium ad perpetuam rei memoriam: de quo prolixè & ordine explicatur *in c. ult. ut lit. non conteſt. c. ſignificavit. de teſtib. c. 4. cum dilecta. ext. de confirmat. utili vel inutili.* Videri quoque poſſunt præter eos, qui de Ord. Judic. ſcripſerunt, ut Marantam, Hannetonium, Termineum, Joann. Ferrarium, Maſuerium, Schenckium, Rosbach. *Mynſ. cent. 4. obſ. 71. & 72. & Andr. Gail.*

Sequens differentia pertinet ad coactionem teſtium. Jure civ. regulariter teſtib. invitis poteſt denuntiari teſtimonium, & poſſunt cogi ad teſtimonii dictionem competentibus remediis, niſi ſint exceptæ perſonæ: de quibus in *l. 1. §. 1. in fin. l. lege Iulia. & l. inviti. ff. de teſtib. auth. rogari. l. ſi quando. C. eod.* Jure autem Can. non ita præcisè coguntur teſtes, ſed monentur tantum & perſuadentur, ne deeſſe velint veritati. Excipitur eo jure unus caſus, nempe ſi quis gratiæ aut inimicitiæ aut metus adverſarii cauſa, teſtimonium dicere detrectet. Tunc enim cogendi ſunt teſtes tàm clerici, quàm Laici, & quidem tàm in criminalibus, quàm civilibus cauſis. Coguntur autem tunc clerici quidem, vel per ſuſpenſionem beneficii ſui, vel per degradationem, ſi perſeverent in contumacia: Laici verò per cenſuram Eccleſiaſticam. Dixi tàm in criminalibus, quæ vulgò malè excipiunt, freti *c. pen. de teſtib. cog. vel non.* cujus alia eſt ſententia, ut docet præclarè *Cujac. ad rubr. d. t. Decretal.* Videatur de hac differentia, deq; teſtibus compellendis, vel non, *& Bart. n. 43. & 160. & 163. & Bapt. S. Blaſ. num. 47. & 91. & 160.* Ubi loca Juris Canonici, quæ huc faciunt, annotant.

Alia differentia eſt, quod Jure civ. parentes & liberi invicem ad teſtimonium ne volentes quidem admittuntur. *l. 6. parentes. C. de teſtib.* At Jure Can. poſſunt parentes teſtimonium dicere pro liberis, & contra eoſdem. *c. literas. de præſumpt. c. 6. Diaconi ſunt. diſt. 93. c. videtur qui matrim. accuſ. poſſ. c. ſuper eo. de teſtib. vid. Bart. n. 45. & 173. Bapt. S. Blaſ. n. 93.*

Alia differentia eſt, quod Jure Canon. ad id, ut quis facta publicatione poſſit excipere contra perſonas & dicta teſtium, neceſſe eſt, ut ante publicationem fuerit de excipiendo, reprobandóve proteſtatus. Qua proteſtatione omiſsâ, non admittitur poſtea volens opponere exceptiones, niſi juret, ſe non petere repulſam teſtium ex malitia, vel niſi demum poſt publicationem reſciverit teſtium conditionem, ex qua exceptiones illæ ſumuntur. *c. præſentium. extr. de teſtib. Et ibi Canoniſtæ. Specul. de Teſt. §. ſæpè. n. 1. Ferrar. in form. jura. teſt. in gl. verbi. proteſtante. nu. 2. Maranta. p. 6. de O. I. tit. de repulſ. teſtium. n. 2. Gail. 1. obſerv. 87. n. 4.* Sed Jure civili ejuſmodi proteſtatio non neceſſariò requiritur, imò etiam illa omiſſa ante publicationem licet nihilominus poſt publicationem excipere tàm contra perſonas, quàm contra depoſitiones teſtium, & ſimul ex ipſorum dictis intentionem ſuam probare. Et hoc in Cam. quoque obſervatur, *teſte Gail. d. obſ. 87. & obſ. 105.*

Alia differentia, Quod Jure civ. Teſtis depoſitio & de auditu alieno non attenditur. Sed Jure Can. admittuntur teſtes de credulitate & auditu deponentes in cauſa matrimoniali ſi fortè agatur de impedimento conſanguinitatis. *vid. Bart. num 39.*

Digitized by Google

n.32. & Bapt. S. Blaſ. n.87. quamvis textus, quos ex utroque jure allegant, non multum ad rem faciant. Nec plura jam de Teſtibus.

Sequitur de fide Inſtrumentorum, ubi unicam nec magni ſanè momenti reperio annotari differentiam: quod ſcil. Jure quidem civ. publicis Notarii inſtrumentis præponendum ſit nomen Imperatoris. *Nov. 47. ut præponatur nomen Imperatoris documentis, &c.* Jure autem Can. præponitur nomen Pontificis in terris Eccleſiæ: quod tamen poſterius potius eſt à conſuetudine Notariorum, quam expreſſo Juris Can. textu præceptum.

Caput XXII.
DE PRAESVMPTIONIBVS.

De Præſumptionibus unam tantum repetio differentiam, videl. hanc: Quod Jure civili ceſſionis cauſa ſimulata non præſumitur, ſed probanda eſt. *l. 22. per diverſ. & ibi Bart. Bald. &c. & l. ſeq. C. Mandati. l.7. militem. C. de procurat. Menoch. de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 129.* quo loco docet, quibus conjecturis & præſumptionibus ceſſio ficta & ſimulata detegi poſſit. Sed Jure Can. præſumitur alieni Juris ceſſio ſimulata, quoties clericus eam recipit. *c. ult. de alien. iud. mut. cauſ. facta. & ibi gl.* reddens hanc rationem, quod clericis omni illicita negotiatione interdicitur. *c. 1. clerici. & c. canon. 14. q. 4. c. 9. negotiatorem. & c. 10. fornicari. diſt. 88.* Quanquam, ut verum fatear, non tam præſumitur ceſſio illa improba, quàm revera & diſertè eſt contra leges & ſtatuta SS. Canonum.

Caput XXIII.
DE FAMA.

Dixi ſupra, Famam habere aliquid affinitatis cum probationibus. Quare jam poſt probationes, ſi quæ ſunt hîc etiam differentiæ videamus. Prima hæc ſit. Jure civili fama ſola non facit plenam probationem. *Bart. in l. de minore. §. tormenta. ff. de quæſtionibus.* Imò ſecundum quoſdam, ne ſemiplenam quidem probationem inducit, niſi alia accedant adminicula. *De quib. Menoch. explicat l. 1. de præſumpt. quæſt. 89. n. 3. & 28. Maſcard. de probat. concl. 754.* Unde etiam ſola fama non eſt ſufficiens ad quæſtionem de crimine habendam. *Iul. Clar. §. fin. 5. ſent. quæſt. 21. verſ. fama ſola.* Sed Jure Canonico fama ſæpè vim probationis obtinet: ut I. Si de alicujus excommunicatione fama ſpargatur, etiamſi ſola ſit, facit, ut ab ejus conſuetudine abſtinendum ſit, quo ad ſe purgaverit. *c. 15. cum deſideres. De ſentent. excomm. vid. Bart. n. 30. & Bapt. S Blaſ. n. 80.* Hinc tamen ſequi non videtur, famam facere ibi aliquam probationem, ut vulgò volunt, ſed potiùs præſumptio tantum eſt quædam, quæ per purgationem aboletur. Sic fama probat matrimonium: & impedit contrahendum: & probat filiationem: probat jus patronatus: probat malam fidem præſcribentis: probat in factis antiquis excedentibus hominum memoriam: probat poſſeſſionem, ad hoc ut reſtituatur agenti ex can. redintegranda. 3. q. 1. Et alias quoque vires habet: de quibus omnibus, ut & de famæ probatione, non eſt noſtrum latius explicare. *Videatur de his Marquardi Freheri uberrimus Tractatus, quem de fama fecit.*

Digitized by Google

CAPUT XXIV.

DE SENTENTIA.

ACcedamus ad ſententiam, propter quam omnia in Iudicio fiunt, & quo omnia referuntur. Non enim ideò litigare homines debent, ut perpetuò litigent, aut lites exerceant immortales, cum ipſi mortales ſint, ſed ut aliquando terminetur definiaturq; controverſia: quod quò citius fit, eò melius fit: quam brevitatem litium poſt Greg. Magn. *in c.2. ext. de ſent. & re judic.* alioſque etiam Rex Angliæ Jacobus I. in libello aureolo nuper pluribus linguis edito rectiſſimè ſaluberrimeq; filio commendavit. Initio autem priuſquam ad differentias utriuſque Juris veniamus, notanda eſt verborum differentia: Sententiæ & Interlocutionis. Conjunguntur quidem hæc duo in *C. tit. de Sententiis & Interlocutionibus omnium Iudicum*: ſed tamen non ſunt eadem. Differunt ut finis, & ea quæ ad finem ſive media. Interlocutio enim eſt præceptũ aliquod, vel etiam ſuaſio Judicis in principio vel medio litis interpoſita, jubens aut vetans, aut conſulens aliquid fieri, ſpectans ad præparationem finiendæ litis, non etiam finiens aut perimens litem. *l. quod jussit. ff. de re judic.* Sententia verò eſt decretum interpoſitum à Judice ſervato ordine judiciorum, de ſumma aut capitulo aliquo litis, continens vel abſolutionem rei, vel condemnationem certam actoris aut rei, ſive, eſt pronuntiatio judicis plenè definiens litem ſeu rem controverſam, in judicium deductam. *l. 1. ff. de re jud. l. 3. C. de ſent. & interlocut.* Vulgò ſententiam dividunt in definitivam & Interlocutoriam. Sed quando abſolutè nominatur ſententia, eam intelligimus, quæ litem definit. Vide poſt alios *Iohan Robert. lib. 1. Sent. c. 24. & Cujac. in parat. C.* Interlocutio poteſt à Judice revocari: Sententia non item, quia judex poſteaquam ſemel pronunciavit ſive benè ſive malè, jam functus eſt ſuo officio, Judex eſſe deſiit, ſimiliter de præcepto aliquo ab ipſo interpoſito dici nequit. Hoc igitur I. eſt hîc notandum. Deinde inter ſententiam & Rem Judicatam quid interſit, obſervandum quæ duo conjunguntur, & in Pand. tit. de re judicata, & *in tit. 27. Decret. lib. 2.* Cujacius vult ea differre ut cauſam & effectum: Sententiam eſſe cauſam, Rem judicatam effectum. *arg. l. 1. ff. de re judic.* ubi pronuntiatione judicis res dicitur accipere finem controverſiarum. Johan. Robertus *d. c. 24.* diſtinguit tanquam terminans & terminatum, definiens & id quod definitur: ut ita objectum ſive materia circa quam ſententiæ ſit res judicata. Cui conſequens eſſe ait, ut abſurdè dicatur in uſu forenſi, ſententiam tranſire in rem judicatam poſt lapſum decem dierum, quæ ſunt fatalia interponendæ appellationis ex Jure Novellæ 23. & Pontificio. Nam olim Jure Pand. & Cod. intra biduum vel triduum à ſententia appellare oportebat. Id inquam dictum vulgare, quamvis & Jure Canon. confirmetur. *c. 13. cum inter vos. & c. 15. quo ad conſultationem. De ſent. & re jud.* negat ſe probare poſſe, negat ex Jure civili rectè id deductum videri. Nam ut res judicata dicatur, non jubemur expectare lapſum duorum, trium, vel hodiè ex Jure noviſſimo decem dierum, & ut intra id ſpacium non fuerit appellatum: ſed potius ab eo ipſo momento, quo Judex pronuntiavit ſententiã, ſtatim res judicata eſſe dicitur, non obſtante eo, quod fortè per interpoſitam appellationem ſuſpendi ac

di ac

Digitized by Google

di ac in dubium reddi jus ejus poſſit. Fateor equidem ſententiam, à qua non fuerit provocatum, indubitatam eſſe, & plenam auctoritatem conſequi, quæ nullo remedio attentari poſſit. *l. 23. §. ſi poſt rem. ff. de condict. indeb.* quam ante oculos habuit. Innoc. III. Juris peritiſſimus Pontifex (etiam Cujacio fatente) *in d. c. 13. cum inter. De ſent. & re judic.* & per appellationem reddi jus ſententiæ dubium ac in ſuſpenſo eſſe, imò etiam extingui id quoque fateor. Non tamen inde ſequitur rem non dici judicatam ſimul atque ſententia pronuntiata ſit: aut tunc demum ſententiam in rem judicatam tranſire, poſtquam certum fieri cœpit, non amplius locum habere appellationem ab eâ, utpote per ſilentium ejus, contra quem lata eſt, confirmatâ. Cujacius tamen hunc loquendi modum videtur excuſare *in Recitat. decretal. ad c. 1. & c. 13. cum inter. De ſent. & re jud.* Allegat. *l. 16. ſi fundus. §. ſi pluris. ff. de pignorib. ubi Marcianus ait:* Cauſam ſemel videri tranſire ad condemnationem. Sed non dicit ſententiam tranſire in rem judicatam: quod probandum erat. Sunt autem hæc duo longè diverſa, quod per ſe manifeſtum eſt. Utitur quoque hoc argumento, quia ſententia, quamdiu ab ea appellari poteſt, parvam & pœnè nullam habeat auctoritatem: poſt X. dies demum, cum jam ab ea non amplius admittitur appellatio, plenam acquirat auctoritatem rei judicatæ. Sed non ideò ſententia dici debet tranſire in rem judicatam: quomodo nemo unquam veterum Juris Conſultorum locutus eſt, nec ſana ratio admittit ut loquamur: niſi quis rectè dici putat cauſam tranſire in effectum, ſive fieri effectum, & in materiam circa quam. Quid quod etiam Accurſius id agnovit? Sic enim ait *in l. 14. litigatoribus. Cod. de appellat.* ad verba textus, cum res popoſcerit judicata, id eſt, cum ſententia prolata eſt ritè. Res ergo dicitur judicata etiamſi poſſit appellari, licet quidam contradicant, argumento *l. eleganter. ff. de cond. indeb.*

Nunc differentias explicemus: quarum prima eſto: Quod Jure Civili ſententia ferenda eſt in perſonam procuratoris legitimè conſtituti, & qui abſente domino litigavit. Lata verò in dominum ſive principalem ad quem res pertinet, qui in judicio non fuit, non valet, ſed ipſo jure nulla eſt. *l. 1. ubi Bart. & alii. C. de ſent. & interlocut. gl. Panorm. & alii in c. querelam. verb. Oeconomi. extr. de elect.* Ratio eſt, quia Procurator per litis conteſtationem factus eſt dominus litis, ſeſeq; obligavit, cum in judicio quaſi contrahatur. Excipitur pupillus & minor per Tutorem vel curatorem litigantes. In hos enim non debet ferri ſententia etiamſi non fuerint in judicio, in quo nec legitimam ſtandi perſonam habent. *Bart. in d. l. 1. C. de ſent. & interloc. Wurmſ. obſ. 7. n. 3. tit. De ſent.* Sed Jure Canonico nihil intereſt utrum ſententia feratur in perſonam procuratoris, per quem quis litigavit, an in ipſum principalem. Semper enim valet ſententia ex æquitate, ut loquuntur, canonica, ſive verba ſententiæ obligativa, in perſonam procuratoris & executiva in domini principalis referantur. *Vid. Bapt. à S. Blaſ. num. 28. ubi ex Ang. ad l. 1. C. de ſent. ait,* ita ſervare communem ſtylum curiæ. Sic de judicio Cameræ teſtatur *Andreas Gail. obſ. 111. n. 2.* Ibi ſententiam ſemper & indiſtinctè in perſonam Domini concipi & proferri, quamvis ipſe nunquam in judicio fuerit præſens neque litem conteſtatus ſit, ſed per procuratorem litigaverit, ſicut omnes cauſæ ibi per

Digitized by Google

procuratorem agendæ ſunt. *ex ordin. Camera p.1. tit.25.* Excipitur tamen vulgo ex cautelis Cepollæ actio injuriarum: in qua ſententia in procuratorem fertur, non in dominum, idque eo fine ut dominus, quemadmodum putant, infamiam, quæ aliàs condemnatum ſequi ſolet, evitet, *Gail.2. obſ. 102. n.7. & Weſemb. ad tit. de bis qui not. inf.* De qua cautela quid ſentiendum videatur alibi dixi.

Altera differentia eſt, quod Jure Civili, qui ſe liti obtulit cum non poſſideret, neque dolo feciſſet quo minus poſſideret, condemnatur perinde ac ſi poſſideret. *l.15. qui ſe obtulit.26. ff. de rei vind. l. qui ſe liti. ff. de petit. hæred.* Jure Canonico aliter obſervatur. *c. Eccleſiam. ext. ut lit. pendent. c. & ne ſi Epiſcopum.16. q.6.*

Sequens differentia ad revocationem Interlocutoriæ pertinet. Jam ſupra dixi hanc unam eſſe non poſtremam differentiam inter ſententiam & Interlocutionem, quod hæc revocari poſſit, illa non item. Nunc de tempore quæritur, quamdiu & quando interlocutio revocari poſſit. Jure Civili Interlocutio poteſt revocari licet in rem judicatam tranſierit, ut loquuntur, id eſt, ubi ab ea non fuerit appellatum, ſicut non poteſt Jure Civili ab interlocutoria appellari, ut infra dicetur. *l.14. quod juſſit. ubi Bart. ff. de re judic.* Sed Jure Canonico, quo appellationes ab interlocutoria admittuntur, poteſt liberius etiam poſt appellationem revocari. *c. cum ceſſante. 60. extr. de appellat. c. à Iudice. eod. tit. in 6.* Si tamen appellans jam aliquos fecerit ſumptus, judex gravamen per interlocutoriam allatum revocare volens, eos refundere debet. *gl. in d. c. cum ceſſante.*

Poſtrema differentia, annotata etiam *à Bart. num. 47. & Bapt. S. Blaſ. nu.189. hac eſt:* Jure Civili contra ſententiam latam, à qua intra debitum tempus, non eſt appellatum, nemo admittitur venire volens. *l.1. C. Sentent. reſc. non poſſe.* Jure Canonico excipitur ſententia lata in cauſa matrimoniali, hanc enim volunt nunquam ita in rem judicatam tranſire, quin poſſit quocunque tempore detecto errore compertaque poſterius veritate retractari. *c.7. lator. c.10. tenor. & c.11. conſanguinei. ext. de ſent. & re judic.* Sed hìc diſtinctione opus. Nam aut ſententia eſt lata contra matrimonium: aut pro matrimonio quidem, ſed cui obſtat aliquod impedimentum, puta propinquitas gradûs: aut denique pro matrimonio, cui nullum tale impedimentum obſtat. Prioribus duobus caſibus verum eſt, ſententiam poſſe quandocunque comperta veritate reſcindi. Ratio de primo caſu eſt favor matrimonii: de ſecundo eſt odium peccati, quod nutriendum non eſt. Tertio ſolo caſu ſententia nunquam poteſt retractari: idque quia ejus obſervatio nullum continet aut nutrit peccatum, & omiſſa appellatione, partes videntur tacitè in matrimonium de novo conſentire. *vid. And. Gail. 1. obſerv. 112. ubi latius hac omnia explicat.*

CAPUT XXV.
DE APPELLATIONIBVS.

Atque hæc hactenus de primo judicio. Sequitur ut dicamus de ſecundo, ſive de Appellationibus. Initio autem ſciendum, Appellationem eſſe provocationem à ſententia minoris judicis ad majoré judicem ſive majus auditorium: ſive eſſe querelam de iniquitate inferioris judicis propoſitam apud ſuperiorem.

Sive

Digitized by Google

Sive quod idem eſt, Appellatio eſt remedium juris, quo is, cui ſententia minoris judicis non ſatis fecit, eandem cauſam ex integro agit apud majorem judicem. v. g. cum Paulus in Actis Apoſtolicis oppreſſus iniquitate Judæorum apud Præſidem provocat tanquam civis Romanus, ad Imperatorem Neronem. Cum autem de appellationibus plurima dici poſſint, nos iis in præſentia omiſſis, convenienter noſtro inſtituto tantum differentias utriuſque Juris colligemus: Quarum prima hæc ſit: Quod Jure civili regulariter ante ſententiam definitivam ab interlocutione non licet appellare: ſed de tota cauſa, non de aliquo ejus articulo appellandum eſt. *l. 7. ante ſententiæ. C. de ſent. & interlocut.* Ratio eſt, tum ne lites multiplicentur, & protrahantur; tum quia iniquitas & gravamẽ illud, quod alicui per interlocutionem infertur, poterit poſtea per appellationem à definitiva ſententia ſimul corrigi. Excipiuntur ab hac regula aliquot caſus: ut ſi judex interlocutione ſua juſſerit aliquem in cauſa civili torqueri, vel in cauſa criminali contra leges torqueri, ab hac interlocutione poteſt quis etiam ante ſententiam appellare & conqueri apud ſuperiorem de ejus præcepti iniquitate. *l. 2. ff. de appell. recip. vel non.* Ratio exceptionis eſt, quia hic gravamen illud torturæ eſt irreparabile, comparatur enim tortura ipſi agoni mortis. Alias exceptiones, quarum ferè omnium eadem ex ratio, explcant. *gl. & Bart. ad d. l. 7. C. de ſent. & interlocut. Vid. & Mynſ. cent. 1. obſer. 66. cent. 2. obſ. 49. & cent. 4. obſerv. 46. Et Cujac. ad c. 12. ſuper eo, extr. de appell.* Sed Jure Canonico generaliter & indiſtinctè recipitur appellatio à quolibet gravamine non ſolum ſententiæ, verum etiam Interlocutoriæ, ſive ante, ſive poſt litem conteſtatam prolatæ. *d. c. 12. ſuper eo. De appellat. can. non ita. 2. q. 6.* Quam differentiam & *gl. notavit in d. l. 7. Cod. de ſent. & Interlocut. & Bart. n. 150. in differentiis. Item Bapt. S. Blaſ. n. 8. & 9. & Cujac. in Parat. Cod. ad tit. Quorum appell. non recip. nec non ad d. c. 12. in Recit. Decret.* Ubi eleganter ait, videri Pontifices ex tot exceptionibus Juris Civilis feciſſe novam regulam, quæ veterem regulam Juris Civilis abſorberet, conſumeret ac ſubverteret: Paulatim plures exceptiones coacervatas abiiſſe in novam regulam, priori ex diametro contrariam. Neque hic conſtitit Jus Canonicum quin etiam eò itum eſt, ut à quolibet gravamine, non tantum præſenti, ſed etiam futuro, quod fortè quis ſuſpicatur aut veretur imminere, appellari poſſit. *c. 6. cum dilecti extr. de dolo & contumacia ubi Cuiac. hoc notat. tanquam ſingulare. Idemque Cuiac. ad c. 5. cum ſit. De Appellat. ad fin. cap. 9. cum veniſſent extr. de reſtit. ſpoliat.* quæ eſt maxima ampliatio facultatis appellandi. Quanquam hoc Jus Canonicum paſſim receptum ſit in judiciis, & appellationes facilè à quovis gravamine recipiuntur: tamen in Camera Imperiali Jus Civile potius circa hanc rem obſervatur, *Andr. Gail. lib. 1. obſ. 129.* ubi hanc affert rationem, ut malitiis & calumniis multorum occurratur, qui à quolibet prætenſo gravamine, à quacunque Interlocutoria temerè appellare ſolent, tantum ut cauſam principalem in infinitum extrahant, & adverſarios maximis ſumptibus defatigent & exhauriant: quod non debet bonus judex admittere, nec malitiis indulgere.

Sequens differentia pertinet ad ſcripturam appellationis ab interlocutoria. Jure Civili quibus caſibus admittitur appellatio ab Interlocutoria non eſt neceſſaria ſcriptura, ſed poteſt viva voce appellari. *l. 2. ubi. gloſ. Bart. & alii. ff. de appell.*

Digitized by Google

recip. vel non. Idē Bart. ad l. 1. ff. de appellat. Sed Jure Canonico requiritur neceſſariò ſcriptura, qua exprimatur cauſa appellationis. *c. 1. cordi. & c. 9. appellatio quā in ſcriptis. De appellat. in 6. clem. 5. appellanti. Clementin. lib. 2. De appellat.* Quod tamen limitant, ut tunc demum valeat, quando non in continenti, ſed ex intervallo appellatum eſt. *Qua de re videri poſſunt Ioan. And. & Angel. relati à Bapt. S. Blaſ. n. 9. in Tract. Different. Videatur etiam Ferrarienſ. in form. appellat. ab Interlocutoria. Item à Definitiva. & ord. Cam. p. 2. tit. 29. §. 3.*

Alia differentia eſt, Quod Jure Civili appellatio ab Interlocutoria quando admittitur, requirit cauſam legitimam & in Jure expreſſam, nec ſufficit cauſam appellandi generaliter allegari per relationem ad acta. *Bart. in l. ejus qui. ff. de appellat. recip. vel non. Bald. in l. minoribus. n. 5. C. de his quibus ut indignis, & c. Marant. De ord. Iudic. tit. de Appellat. n. 125. & ſeq.* Jure autem Canonico, ſatis eſt cauſam eſſe rationabilem & probabilem, quamvis Jure ſpecialiter non ſit comprehenſa. *c. 59. ut debitus. De appellat. Ioan. Oldendorp. tract. de Comparat. Iuris Civilis & Canonici. in verbo, Appellatio.*

Alia differentia, ad locum interponendæ Appellationis pertinens eſt, quod Jus Canonicum permittit appellationes etiam extra Judicium fieri, quod Jure Civili non ita paſſim licet. *Vid. Cujac. ad c. 5. cum ſit. De appellation.*

Sequens differentia pertinet ad appellationem in cauſa momenti, ſive momentariæ poſſeſſionis. Quæ res ut tantò melius intelligatur, initio huc adferendum eſt, tanquam præcognitum, quid ſit Momenti beneficium, ſive Momentariæ poſſeſſionis interdictum: videlicet, quod celerem reformationem deſiderat & reſtitutionem propter periculum, quod ſubeſt. *Vid. Cujac. 1. obſ. c. 20. ubi locum è Symmachi epiſtolis huc facientem adducit. & in Parat. C. ad t. Si de momentaria poſſeſſione fuerit appellatum. & ad cap. 17. cum teneamur. De appellat. Item l. 8. momentariæ. C. unde vi.* Igitur ut differentiam explicemus Jure Civili à ſententia in cauſa momentariæ poſſeſſionis lata, appellare non licet, *l. unde. Cod. ſi de momentar. poſſeſſ. fuerit. appell.* Rationem elegantibus hiſce verbis reddit *l. 22. C. Th. quorum appell. non recip.* Ne, quod beneficio celeritatis inventum eſt, ſubdatur injuriis tarditatis. Alii & hanc aſſignant rationem, quia ſententia talis non magnum neque diuturnum afferat præjudicium, ſive gravamen contineat ejuſmodi, quod poſſit facilè reparari aut corrigi, vel in poſſeſſorió ordinario, & plenario, vel in petitorio judicio. Nam & hoc admonendi ſumus, Dd. poſſeſſorium aliud facere ordinarium, quod & plenarium vocant, aliud extraordinarium ſive ſummarium. *Qua de re vide And. Gail. lib. 1. obſ. 7. poſt Covarruv. pract. quæſt. c. 17.* Quam tamen diviſionem commentitiam vocare non dubitavit *Giphan in comment. de Diviſ. Iuris. Theſi 122. & ſeq.* qui & poſteriorem illam rationem ibidem reprehendit. Jure Canonico poteſt etiam à ſententia in cauſa momentaneæ poſſeſſionis lata, appellari. *Loca annotat. Bart. n. 152. & Bapt. à S. Blaſ. n. 152. Vid. & Wurmſ. tit. de appellat. obſ. 12. n. 1. Hartm. de appell. obſ. 24. n. 1.* Cujacius tamen *ad c. 15. ex parte. De for. compet. c. 17. cum teneamur. De appell.* differentiā pro vera non agnoſcit, exiſtimans æquè Jure Canonico interdictum eſſe hic appellationē atq; Jure Civili. *arg. c. 16. conqueſtus. in verb. appellatione remota. De for. comp.* Cui ſententiæ repugnant apertè hæc loca Juris Canonici, ubi

diſertè

diſertè legimus appellationem etiam in cauſa momenti admiſſam eſſe. *cap. 10. ex conqueſtione. & c. 15. cum ad ſedem. ext. de reſtit. ſpol.* Quod autem *in d. c. 16. conqueſtus.* habetur, *appellatione remota*, quæ clauſula frequens eſt in reſcriptis; id reſtringendum eſt ad eam cauſam, qua de ibi agitur, non ad alias producendum contra expreſſos textus appellationem permittentes. In Camera quatenus & quando à ſententia in poſſeſſione lata appellari poſſit, vel non, docet *Gail. d. obſ. 7.*

CAPUT XXVI.

DE APPELLATIONIBUS ORDINE ET GRADATIM FACIENDIS.

SEquens differentia pertinet ad ordinem appellandi. Jure Civili hic ordo ſervari debet, ut gradatim appelletur ab inferiori judice ad proximum ſuperiorem, non autem omiſſo intermedio quaſi per ſaltum ad ſupremum, verbi gratia, ad Imperatorem veniendum eſt. *l. 21. Imperatores. ff. de appellat.* Idq; ideò, ne Juriſdictiones confundantur: quod fieri non debet. Exceptio eſt, niſi proximus & immediatus judex ſit ſuſpectus, vel aliàs minus idoneus, vel juſtitiam deneget. *vid. Marant. p. 6. tit. De appellat. n. 357. & ſeqq. Gail. 1. obſ. 28. & obſ. 189. Vide quod Mynſing. cent. 1. obſ. 67.* Jure autem Canonico non eſt neceſſe, ut gradatim appelletur, ſed poteſt omiſſis intermediis & proximis judicibus, ad quos Jure ordinario appellandum erat, rectè appellari ad Pontificem Romanũ, ſive ſedem Apoſtolicam. *Quam differentiam & Bart. n. 149. & Bapt. à S. Blaſ. n. 16. annotarunt, allegantes ad probandum. c. 1. dilecti. & c. 7. ſi duobus. ubi & Cujac. De appellat. Sunt autem hac de re plura & evidentiora loca in Decreto Gratiani. ut cap. 4. ſi quis veſtrum cap. 5. omnes. cap. 6. ad Romanam Eccleſiam. c. 7. & 15. ſi quis putaverit. cap. 8. ad Romanam Eccleſiam. c. ideo huic Sancta. 10 & 17. c. decreto noſtro. 11. & cap. 12. & 14. qui ſe ſcit. & cap 13 arguta ſapientia. cap 16. quotiens Epiſcopi. 2. quæſt 6.* Allegant Pontifices in quibuſdam horum capitulorum pro fundamento hujus juris recipiendi appellationes à quibuſcunque gravatis privilegia ſpecialiter conceſſa apoſtolicæ ſedi, quibus venerandi Canones juſſerint ad hanc quaſi ad caput, & matrem, & ſinum deferri judicia totius Eccleſiæ, ut omnes injuſtè oppreſſi & damnati auxiliũ & reſtitutionem ab ea ſumant. Addunt etiam hanc rationem. Quia Romana Eccleſia, quæ ſit omnium prima, reliquis Eccleſiis ita vices ſuas impartiverit, ut in partem ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis ſint vocatæ. Ubi memorabile eſt, quod Greg. IV. & Vigilius Papæ ſibi, ſive ſuæ ſedi arrogant plenitudinem poteſtatis: cui quidem & Græci & Galli fortiter ſe jam olim oppoſuerunt: ut ex hiſtoria conſtat, & ex *dd. cc. 13. & 14.* ubi Nicolaus Hincmarum Rhemenſem Archiepiſcopum & Leo Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum eo nomine objurgat, quaſi violantes privilegia ſedis Apoſtolicæ, Cæterum Ferrarienſ. Practicus, qui ante 204. annos floruit & opus utiliſſimum ſcripſit *in form. appell. à ſent. defin. in verbo: ſed ad quemcunque judicem compet.* ita cenſet, illud inſtitutum Papale ab avaritia & ambitione eorum promanaſſe. Hæc enim ejus ſunt verba: Quod ideò providerunt, ut quæſtiones in curiam traherent, & eorum avaritiam ſatiarent: quod tamen

nunquam.

nunquam facient: quia clericorum animus & appetitus eſt enixus præ cæteris in pecuniis cumulandis contra honeſtatem communem & fidem Deo promiſſam, non attendentes nec ſtudentes bonis moribus, nec ſcripturis tàm divinis quàm moralibus &c. (ubi duo loca Senecæ contra φιλοχρηματοσύνην affert.) Et Ferrarienſem recte ſcripſiſſe, comprobat etiam *Mynſ. 2. obſ. 4.*

CAPUT XXVII.

DE APPELLATIONE A SENTENTIA Epiſcopi.

SEquens differentia annotatur *à Bart. n. 154. & à Bapt. S. Blaſ. num. 153.* quod Jure Civili à ſententia Epiſcopi poteſt appellari ad judicem ſecularem. *auth. ſi quis litigantium. C. de Epiſc. audient. quæ eſt particula Nov. 123.* Sed Jure Canonico à ſententia Epiſcopi appellatur ad Metropolitanum, vel ad Papam. *c. duo ſimul. De off. ord. & c. 1. de off. deleg. & c. ad Romanam. 2. q. 6.* Notandum tamen hic eſt, Novellam iſtam Juſtiniani etiam in decretum relatam eſſe, atque ita, ut loquuntur, Canonizatam. *cap. 38. de perſona 11. q. 1.* Qui canon eſt ſumptus ex Greg. Magno qui vix XXX. annis poſt Juſtinianum ſcripſit, ejuſque dictam Novell. ibidem laudavit.

Sequentem differentiam, quæ ad numerum appellationum pertinet, annotat *Bapt. S. Blaſ. num. 154.* Jure Civili à ſententia Epiſcopi ſemel tantum appellare licet. *d. auth. ſi quis litigantium. C. de Epiſc. audient. in verb. & non liceat victo iterum in tali cauſa appellare.* Jure autem Canonico bis, ſed non tertio appellare licet. *clem. 1. De ſent. & re judic.* Qui, inquam, tres ſententias contra ſe reportavit, non admittitur ad agendum de illarum nullitate, ſive ad appellandum & conquerendum de iniquitate. Quod tamen non video, quomodo non conſentiat per omnia cum Jure Civili, id eſt, Juſtiniani Conſtitutione, *l. un. C. ne liceat in una eademque cauſa tertio provocare. &c.* Obſervo etiam quod Clemens V. non loquatur ibi tantum de ſententia ab Epiſcopo lata, ſed de quavis alia cauſa etiam non beneficiali.

CAPUT XXVIII.

DE APPELLATIONE A IUDICE ETIAM IN PLURIbus cauſis: & de tempore proſequendæ appellationis.

SEquentem differentiam habet *& Bart. & Bapt. S. Blaſ. uterque n. 151.* Jure Civili is qui appellavit in una cauſa à Judice aliquo, cogitur coram ipſo experiri ſive litigare de aliis, ſi quas habet, nec poteſt eum declinare hoc prætextu tanquam offenſus ſit: quæ poterat eſſe dubitationis ratio. *l. un. ff. Apud eum à quo appellatur, aliam cauſam agere compellens.* Aliud eſt Jure Canonico, quo permiſſum eſt appellanti recuſare judicem in aliis cauſis, tanquam ſuſpectum, à quo provocavit, quamdiu pendet illa appellatio. *c. 6. adhæc ſi in una cauſa. & c. 24. Propoſuit. De appellat.* Ratio eſt, Quia plerunque judices infenſi & iniqui ſunt iis, qui ab eorum ſententiis appellant. Putant enim injuriam ſibi quodammodo ab iis fieri, ſi de iniquitate ſua appellantes conquerantur. *argum. l. 20 & in majoribus & l. 30. ſi quis provoca-*

provocatione. C. de appellat. Ab irato autem & infenſo judice in una cauſa quid aliud expectes, quam iniquum judicium & ſententiam adverſam etiam in alia cauſa? Exceptio tamen ſive limitatio, hic eſt notabilis, tradita *in c.12. præterea, & in d.cap.24. propoſuit. De appellat.* Niſi is, qui provocavit, poſt provocationem grave aliquod & manifeſtum crimen commiſerit. Tunc enim non licet Iudicem recuſare tanquam ſuſpectum aut iratum, ſed cogitur omnino apud eum reſpondere, non obſtante eo, quod in alia cauſa ab eo appellaverit. Ratio exceptionis ibidem indicatur, quia tam grave ac manifeſtum ſit crimen, ut ob id ipſo actu meritò ſit damnandus: quaſi dicat, Tunc non cadit in judicem ſuſpicio, quia pœna juris imponitur reo, ſurgens ex ipſo facto, ut rectè explicatur ratio ea in ſummario ejus capituli. *Videatur etiam Cujac. in Recit. ad d. c. 6. ad hac. & ad d. c.12. ubi eleganter ait,* Appellatio iniquitati arcendæ non autem arceſſendæ vel tuendæ comparata eſſe debet. Sive nemo ſub prætextu appellationis impunitatem conſequi debet ſuorum exceſſuum ſive criminum. Non debet ad defenſionem iniquitatis uſurpari, quod ad præſidium innocentiæ dignoſcitur inſtitutum. *c.26. reprehenſibilis valde conſuetudo. De appellat.*

Alia differentia eſt *apud Bart. nu.148. & Bapt. S. Blaſ. num.150.* pertinens ad tempus appellationis proſequendæ. Jure Civili Judex à quo nihil poteſt ſtatuere in præjudicium cognitionis futuræ in Judicio appellationis: hoc enim eſſet innovare aliquid pendente appellatione, quod prohibetur. *tot. tit. ff. Nihil novand. appellat. pend.* Sed Jure Canonico poteſt Judex à quo præfigere appellanti terminum proſequendæ appellationis, intra quem iter arripiat ad judicem appellationis, eique ſe præſentet, & fidem faciat judici à quo de prædictis. *c. cum ſit Rom. 5. & c. 26. reprehenſibilis. verſ. ſi verò quiſquam. De appellat.*

Caput XXIX.

DE POENA TEMERARIAE PROVOCATIONIS.

SEquens differentia pertinet ad pœnam temerariæ provocationis. Sciendum eſt, ſicut temerarii litigatores in primo judicio variis modis ac legum remediis coërcentur, de quibus explicatur *tit. Inſtitut. de pœn. tem. litig.* Ita etiam temerarias appellationes ſuis pœnis & coërcitionibus obnoxias eſſe: quarum una paſſim uſu recepta eſt, quod appellare volens cogitur certam pecuniæ ſummam deponere, hac lege, ut ſi ſuccumbat, eam perdat, non minus quàm principalem cauſam: Cujuſmodi erat olim Romæ id quod ſacramentum dicebatur, quæ erat, Feſto & Varrone teſte, certa pecunia, &c. Et alia eſt, quod appellantes adiguntur ad Jusjurandum, quod vocatur, Der Appellation Eyd/ꝛc. Sed hujuſmodi aliis remediis, quibus appellationum licentia coërcetur ac refrenatur in præſentiarum omiſſis, illam videamus in qua differentia aliqua conſiſtit utriuſque Juris. Igitur Jure Civili frivola & fruſtratoria appellatio L. libris auri punitur. *l. 5. ab executione. prope fin. C. quorum appell. non recip.* Jure Canonico temerarius appellator in expenſas condemnatur. *cap. 26. reprehenſibilis. §. ſi autem in quocunque. De appellat.* Ita hanc differentiam aliqui annotant: quæ tamen non per omnia vera eſt. nam neque d. l. 5. de quavis temeraria appellatione & ejus pœna agit (quæ certè ſæpè nimis

Digitized by Google

gravis eſſet) ſed de certo quodam genere & caſu dumtaxat. Et d.c.26. non loquitur de pœna temerarii appellatoris, ſed de eo, qui poſtquam appellavit, ad condictum diem non venerit, cum tamen veniret adverſarius, ſive is, contra quem appellatum eſt: quem vulgò Appellatum pragmatici vocant, huic ibi jubetur reddere viatica & ſumptus litis. Interim non nego etiam aliàs victum, victori in expenſas condemnandum eſſe. De quo aliàs. Hucuſque de Appellationibus. nam illam differentiam & quæſtionem, an & quando Jure Civili vel Canonico à ſententia Excommunicationis liceat appellare vel non, quam tractat. *Bart. num. 147.* brevitatis cauſa omitto.

Caput XXX.

DE EXPENSIS ET SPORTVLIS.

VEnio ad Expenſas: de quibus in fine litium tàm in ſecundo quàm in primo judicio tractari ſolet. Hîc illam obſervo differentiam, quam & *Bapt. S. Blaſ.* *habet n. 111.* quod Jure Civili Expenſarum taxatio & condemnatio reſervatur ac rejicitur plerunque in finem litis. *L.13. properandum. §. ſin autem. cum ibidem not. C. de Iudiciis.* Jure Canonico, qui poſt fundatam intentionem actoris objicit exceptionem aliquam peremtoriam vel dilatoriam, ſed deficit in probatione, ſtatim condemnatur ad ſolvendas expenſas. *c. 5. finem litibus. extr. de dolo & contumacia.* Portò expenſarum ſpecies quædam ſunt ſportulæ: circa quas etiam eſt differentia. Nam Jure Civili Judicibus delegatis dantur ſportulæ pro modo definito in Novell. 82. *De Iudicibus.* Jure Canonico ſportulæ non dantur Judicibus, ſed tantum viatica. *c. cum ab omni. De vit. & honeſt. cler. c. ſtatutum. §. inſuper ut gratis. De reſcript. lib. 6.*

FINIS LIBRI QVINTI.

DIFFERENTIARUM JURIS CIVILIS ET PONTIFICII LIBER SEXTUS.

Caput I.

DE CRIMINIBVS, ET ACCVSATIONIBVS, atq; Inſcriptionibus.

INgredimur in novam claſſem Differentiarum, quæ ſcil. eſt, De Criminibus, eorumque denunciationibus, Inquiſitionibus, accuſationibus, & pœnis. Ubi differentia I. hæc eſto, Jure Civili criminalium judiciorum alia ſunt publica, alia privata. *L. 1. ff. de publ. jud. & init.*

Digitized by Google

init. Inſtitut. eod. tit. ubi, quantum inter has ſpecies interſit, expoſitum eſt. *Vide & Iodoc. Damboud. in praxi rerum Criminalium cap. 1. n. 10.* Jure autem Canonico de omnibus criminibus publica tantum dantur judicia, non privata. *c. infames. ubi gl. 6. quæſt. 1. gl. in §. fin. 2. quæſt. 4. cap. 1. ſcripta fraternitatis. & c. 2. crimina. ubi gl. cap. in tantum. De colluſ. deteg. c. novit. 13. extr. de judiciis. Vide de hac differentia etiam Bart. num. 12. & num. 59. Item Bapt. S. Blaſ. num. 60. & 61.* Ubi etiam hoc habetur: Jure Canonico omne criminale judicium afferre condemnato infamiam: quod Jure Civili ſecus eſt. Nam eo Jure tantum illa infamant, quæ expreſsè nominantur in legibus. *Vide l. 8. infamem. ff. de publ. Iudic. & tot. titul. ff. de his qui not. infam.*

Differentia II. pertinet ad ratihabitionem delicti ab alio perpetrati. Quæri enim ſolet, An is, qui delictum alterius ratum habuit teneatur. Juris Civilis interpretes hîc ita diſtinguunt, ut ſi quidem nec nomine ratum habentis aliquid factum ſit, nec ex delicto ad eum quid pervenerit, non teneatur, etiamſi ratum habuerit: Sin autem geſtum ſit ejus nomine, tunc ratum habens teneatur, tanquam ſuo nomine geſtum. *vid. gl. & Bart. in l. 1. § dejicere De vi & vi armata. Baldum in l. non ideo minus verſ. 12. quæritur. C. de accuſat. Sichard. in l. 9. ſi pecuniam. C. de negot. geſtis. Ang. in Tract. Maleſic. verb. Rodolphum barbi tonſorem. verſ. 2. num. 15. quæritur. num. 34.* Jure Canonico & in foro pœnitentiali ut loquuntur, tenetur quis, etiamſi non ipſius nomine geſtum ſit, dummodo aliquid ad ipſum pervenerit. *Ant. de Butr. in c. cum dilectus. ext. de ord. cogn. in fin. Auguſtin. addit. ad Angel. d. loco gl. in c. cum quis. De ſententia excom. in 6.*

Sequens differentia pertinet ad quæſtionem; An heres ex delicto defuncti teneatur. Jure Civili regulariter heres ex delicto defuncti non tenetur, neque conveniri poteſt: (Ratio eſt, quia pœnæ ſuos debent tenere auctores.) Excipiuntur hi duo caſus: I. Niſi quid pervenerit ad heredem ex delicto defuncti. Nam Lucra injuſta etiam heredibus extorquenda ſunt: cum nemo neque ex ſuo, neque ex anteceſſoris ſui delicto lucrari & conditionem ſuam meliorem facere debeat. II. Niſi lis fuerit cum defuncto conteſtata. nam cum judicio quaſi contrahatur & à litis conteſtatione verè iuceperit judicium, jam heres quaſi ex contractu cum defuncto habito tenebitur. *vid. l. un. ubi DD. C. Ex delict. defunct.* Jure autem Canonico heres omninò tenetur ex delicto defuncti cujus bona percepit, etſi neque lis cum defuncto conteſtata ſit, neque ex maleficio quidquam ad eum pervenerit *c. in literis. De raptoribus. cap. ultim. de Sepultura: ca. ſi Epiſcopum. ubi gloſſ. in verb. reddantur. 16. quæſt. 6.* Ratio eſt, quia heredi incumbit hæc cura, ut liberet defuncti animam à peccato: quod ſecundum Auguſt. & reg. Jur. Canonic. non dimittitur niſi reſtituatur ablatum, reſtituatur, inquam, vel per malefactorem ipſum qui abſtulit, vel per ejus heredem. Eſt tamen hic notanda limitatio heredem non teneri ultra vires hereditatis, ſive ſupra modum facultatum defuncti, quarum confecit inventarium. *d. c. in literis. & ibi gloſſ. in verb. juxta facultates. De raptoribus.* Idque ſanè longè æquiſſimum eſt. *vid. Bart. ſub nu. 178. & Bapt. à S. Blaſ. n. 54.*

Digitized by Google

Alia differentia eſt, Quod Jure Civili frater fratrem vel ſororem de gravi & capitali crimine accuſare non poteſt. *l.13. ſi magnum. C. qui accuſ. non poſſ.* idq; propter conjunctionem ſanguinis, cum frater ſit ferè alter idem. Meritò itaq; frater non tantum non auditur, ſed etiã exilio plecti jubetur. *d. l. 13.* Dixi *gravi & capitali*, nam aliud eſt in levioribus, ubi non prohibetur frater fratrem vel ſororem accuſare. *l. 18. ſi ſororem. C. d. t.* Reperiuntur tamen etiam quædam graviora crimina ubi frater contra fratrem audiendus ſit, *quæ ibidem annotat. gl.* Sed Jure Canonico frater fratrem etiam de hæreſi, quod eſt crimen graviſſimum, accuſare poteſt. *c. literas. 14. De præſumpt. vid. & Bart. n. 44. & Bapt. S Blaſ. n. 92.*

Sequens differentia annotatur. *à Bart. num. 10. & à Bapt. à S. Blaſ. num. 70.* Jure Civili accuſatus de aliquo crimine, poteſt etiam poſt condemnationem accuſare ſuum accuſatorem, dummodo ex illa ſententia non perdiderit civitatem, vel libertatem. *l. 15. qui reus cum ibi not. ff. de publ. jud.* At Jure Canonico accuſatus & condemnatus de crimine non poteſt ſuum accuſatorem vel alium quem accuſare. *c. qui crimen. 6. q. 1. c. neganda. ubi not. 3. q. 9. ubi canoniſatur l. 19. neganda. C. Qui accuſ. non poſſ.*

Alia differentia eſt, quod Jure Civili nemo ſine accuſatore damnari debet judicio criminali, exceptis paucis caſibus *not. in gl. c. 1. verb. accuſatione. ut Eccleſ. beneſic. &c.* Jure Canonico aliud eſt receptum *c. novit. De Iudic. c. ſi peccaverit. 2. q. 1. c. aliquando. 4. quæſt. 4.*

Alia differentia eſt, quod Jure Civili inimicus ad accuſandum admittitur, cum non ſit expreſsè prohibitus. *l. 12 qui accuſare. ff. de accuſat.* Jure Canonico non admittitur inimicus. *gl. & Pan. ad c. 1. de accuſat.* Tametſi non deſint, qui etiam Jure Civili eum removendum cenſeant ab accuſatione. *argum. l. Labeo de arb. & l. inimicitia. De his quibus ut indignis. Bald. & Angel. in l. is qui reus. ff. de publ. Iudic. l. 3. §. ult. ff. de adim. leg. Ang. in Tract. de maleſ. verb. & ad querelam Titii. verſ. 10. repellitur n. 36 ubi Auguſt. addit Spec de accuſat §. 1. verſ. item quod eſt inimicus.* Porrò de illa differentia jam ſupra dixi ſub cap. de Teſtibus, quod cum Jure Civili mulier in criminalibus poſſit eſſe teſtis, Jure Canonico à teſtimonio repellatur æquè atque ab accuſatione. *vid. Bart. n. 6. & Bapt. S. Blaſ. n. 38.*

Alia differentia eſt, quod Jure Civili mulier iis caſibus, quibus admittitur ad accuſandum, tenetur ſe ſubſcribere in pœnam talionis. *l. de crimine ubi gl. & Dd. C. qui accuſare non poſſunt: Ioh. Faber in §. conſequens. Inſt. de ſuſpect. Tut.* Sed Jure Canonico non requiritur illa mulieris ſubſcriptio. *gl. in c. ſuper his de accuſat. Hoſtienſis in ſumm. De accuſat. §. quis poſſit.* Unde & hodiè hoc jure utimur, ut ſolennes inſcriptiones & ſubſcriptiones illæ veterum, de quibus & apud Symmachum in Epiſtolis & paſſim *in ff. & Cod. ſub tit. de accuſationibus & inſcriptionibus*, nonamplius ab accuſatore requirantur: ſed expoſitio criminis ſufficiat. *Bart. in l. ſi cui. & l. libellorum. ff. de accuſ. Weſe. b. in Parat. De accuſat. & inſcript. n. 12. ord. crimin. Caroli. V. art. 11.*

Sequentem differentiam & *Bart. annotat. n. 81.* quod Jure Civili ſi accuſator non probet crimen, quod intendit, reus abſolvitur, etiamſi ipſe nihil probet aut præſtet. *l. 4. qui accuſare. C. de edend.* quæ tamen regula etiam Jure Canonico approbatur.

Digitized by Google

batur: *c.un.ut Eccleſiaſt. beneſ. ſine demin. confer.* Et quidem in criminalibus oportet probationes luce meridiana eſſe clariores *l.ult.C. de probatio.* Quia quantò ibi majus eſt periculum, tantò cautius eſt agendum. Agitur enim de vita hominis, re irrevocabili & irreparabili, agitur de honore, qui vitæ comparatur, & cum ea paribus paſſibus ambulat, ut loquuntur. Excipiuntur tamen etiam Jure Civili caſus nonnulli, in quibus, etiamſi crimen non probetur, tamen cogitur reus ſe exonerare & purgare. *l.ubi falſi.ff.ad L.Cornel.de falſ.l.ubi fallaciter.ff.de aboliti.* Jure autem Canonico ei, qui infamatus eſt de aliquo crimine, tametſi id probari nequeat, tamen indicitur purgatio: in qua ſi defecerit, punitur tanquam convictus. *cap.cum P.&c. cum dilectus. ext. de purg. can. c. inſinuatum. De Simon.c. Presbyter ſi à plebe.2.q.5. c.1. de conſecr.* Durum hoc quidem jus eſt, cum poſſit ſæpè etiam innocentiſſimus ſicut accuſari, ita etiam infamari: quem propterea iniquum ſit, vel purgatione, vel ea deficiente pœna nocentium prægravari. De accuſatione innocentum memorabiles ſunt hæ ſententiæ. Non ſtatim qui accuſatur reus eſt, ſed qui convincitur criminoſus. *cap.ult. in fin.15. quæſt.8.* Sic B. Auguſtinus ſcripſit: Si nominatio ſola ſufficit, multi damnandi ſunt innocentes, quia ſæpè falsò in quoquam crimina nominantur; quod ejus dictum refertur *in can. 18. multi. 2. quæſt. 1.* Sic Apuleius, in illa doctiſſima apologia, quam pro ſe ipſo habuit, cum fuiſſet magiæ inſimulatus, ait: Accuſari etiam innocens poteſt: Revinci autem, niſi nocens, non poteſt. Similiter cuidam acerrimo oratori Delphidio olim, teſte Ammiano Marcellino hiſtorico *l.18.* reſpondit Imperator Julianus: Si accuſare ſufficiet, ecquis innocens eſſe poterit: cum dixiſſet Delphidius, Florentiſſime Cæſar: Ecquis nocens eſſe poterit uſquam, ſi negaſſe crimen ſuffecerit. Puto igitur, Jus Can. ſtrictè hîc intra ſuos terminos & caſus, de quibus Dd. communiter loquuntur, continendum, nec facilè producendum ulterius.

Sequens differentia pertinet ad accuſationes poſt mortem criminoſi inſtituendas: & annotatur etiam à *Bart.num.162.* Etſi enim regulariter crimina mortalitate extinguuntur, ſecundum id, quod dicitur, mors omnia ſolvit, & quod Juri noſtro convenienter ſcripſit Symmachus in Epiſtolis: tamen quidam ſunt caſus excepti utroque Jure, quibus etiam poſt mortem durat & inſtitui poteſt accuſatio, ſed diverſimodè, & aliter alioq; ſine Jure Civili, aliter alioq; ſine Jure Canonico. De Jure Civili *vide l.ult. ff.ad l.Iul. Majeſt. l Manichæos C.de hæret.l.ex judiciorum. ff de accuſ.l.ult. C. ſi reus vel accuſator mort. fuer.l. Apoſtatarum C.de Apoſtat.* De Jure Canonico, *vid c. ult 33. q. 2. c. ſi quis.ext. de hæret.can nequid. Diſt.88. c. placuit. 24.q.4. c. ſi Epiſcopum.17.q.7.c. pen.de raptoribus, c. in tua. de uſuris.*

Caput II.

DE ACCVSATIONE ADVLTERII.

SEquentem differentiam *annotat. Bart. num.165. & totidem pœnè verbis Bapt à S. Blaſ.n.161. item num. 170.* quæ pertinet ad jus accuſandi maritum de adulterio. Iure namq; Civili mulieri non permittitur accuſare maritum adulterii, ſi rem cum alia habuerit. *l. 1.ubi gl. & Dd l.eum qui duas Cod. de adult.l. inter liberos. ff. eodem tit.* Iure autem Canonico poteſt uxor maritum accuſare adulterii tantum ad ſeparationem

Digitized by Google

tionem tori, quæ actio Jure Civili eſt incognita, ut notat etiam *Bapt. à S. Blaſ. nu. 170. c. maritu & c. intelleximus. ext. de adult. & ſtupr. Wurmſ. tit. De matrim. obſer. 7.* Hic repeti poſſunt, quæ ſupra pluribus tradidi propè fin. claſſis differentiarum matrimonialium. Notandum tamen, poſſe maritum etiam Jure Civili agere ad amiſſionem donationis propter nuptias. Nam ut mulier per adulterium perdit dotem, ita maritus ex eadem cauſa donationem propter nuptias. *l. conſenſu. §. 1. C. de repud. Dd. ad d. l. 1. C. de adult. Angel. in Tract. maleſi. in verb. che hai adulterato verſ. quæro, quia video. n. 25.* Notandum hoc quoque, hodiè ex Conſtit. Criminali Caroli V. *artic. 120. verſ. Item* daß es auch gleicherweiß *&c.* eidem pœnæ virum adulterum ſubjici, quæ & uxori adulteræ proponitur, videlicet, ultimum ſupplicium, ſive pœna gladii: quod tamen multis in locis non obſervatur, ſed malè. (Exempla ſunt odioſa.)

Alia differentia ſimiliter ad accuſationem adulterii pertinens, hæc eſt: Quod Jure Civili maritus ab accuſatione adulterii excluditur ac ſubmovetur præſcriptione quinquennii. *l. miles. §. adulterii reum. ff. de adulter.* Ratio eſt, tum quia ſibi imputare debet, quod tàm diu tacuit: tum quia quæ tot annis caſtitatem coluit, & ſeriò ad frugem bonam reverſa eſt, meritò veniam prioris admiſſi conſequi debet: maximè propter honorem matrimonii. Aliud eſt Jure Canonico, quo poteſt maritus etiam poſt quinquennium de adulterio uxoris ſuæ queri & agere ad ſeparationem tori. *c. admonere 33. q. 2. ubi not. vid. Bart. n. 168. & Bapt. S. Blaſ. n. 164.* De pœna adulterii leviore, ſecundum Jus Canon. quàm ex Jure Civili, infra dicam. Sequens differentia pertinet ad condemnationem abſentium in criminalibus, de qua prolixè agit *Bart. num. 8. & eum ſequutus Bapt. S. Blaſ. num. 62.* Summa eſt, Jure Canonico poſſe abſentem poſt litis conteſtationem damnari, ſi de cauſa liqueat: Jure Civili ſecus eſſe. *l. abſentes. ff. de pœnis. tot. tit. de requir. reu. gl. in c. caveant. 3. quæſt. 9.*

CAPUT III.
DE INQVISITIONE ET DENVNCIATIONE criminis.

ACcuſationi criminis vicina eſt Inquiſitio & denunciatio, ſive indicatio, de quibus differentiæ iterum breviter colligendæ ſunt. Ad inquiſitionem quod attinet, Jure quidem Civili regulariter non proceditur per inquiſitionem. *l. 2. §. ſi publico. ff. de adult. Panorm. & alii in rubr. ext. de iudic.* Excipiuntur caſus, quibus ad publicam utilitatem inquiſitio fieri poteſt, ut I. ſi Dominus à familia occiſus eſſe dicatur, nec de auctore certo conſtet: tunc inquiſitio fieri poteſt, & quæſtioni ſubjiciuntur ſervi. *l. 1. & tot. tit. ff. ad SC. Silanianum,* in quem prolixè & eruditè ſcripſit Joannes Igneus. II. In crimine quoque læſæ Majeſtatis inquiſitio fieri poteſt Jure Civili, quod facit ejus atrocitas. *l. 2. & 3. ff. ad l. Iul. Majeſtat.* Quæ eadem ratio militat etiam in aliis atrocioribus criminibus, ut III. in Peculatu, *l. 4. §. mandatis ff. ad L. Iul. Peculat.* Item IV. in violatione Epiſcopi. *l. ſi quis in hoc. C. de Epiſc. & Cler.* Item V. ſi accuſator à reo corruptus eſſe dicatur abolitionis impetrandæ ergò. *l. abolitio. C. de abolition.* Sic VI. ſi quis criminoſus

ſocios

Digitized by Google

ſocios criminis nominaverit, plena quidem fides ejus dictis non adhibetur. *l. ult. C. de accuſat.* Ei enim, qui de ſe confeſſus eſt, in alios credi non oportet, ut ait Paulus in ſententiis. Sed tamen judex poteſt ex officio contra nominatum inquirere, *l. 1. §. ſi quis ultrò. ff. de quæſt.* Sic VII. fit inquiſitio in datione tutoris. *l. credendum. ff. Qui pet. tut.* Et VIII. in crimine ſuſpecti tutoris. *l. 1. & 3. ff. de ſuſp. tutor.* Et IX. contra executores publicos, ne ſubditos iniquis & immodicis tributis atque exactionibus vexent & exugant. *Nov. de mand. Pr.* Et X. de patrimonio ejus, qui à cenſu ob illius deminutionem relevari deſiderat. *l. ultim. ff. de Cenſib.* Hi ferè ſunt caſus excepti, quibus Jure Civili ob utilitatem publicam permiſſa eſt inquiſitio, quorum tamen quidam ad crimina non pertinent. Erat olim etiam genus quoddam privatæ inquiſitionis in furto uſitatæ, quando ſcil. furtivam rem per lancem & licium quærebant, *qua de re ad Inſt. l. 4. tit. 1. & apud Gellium.* Jure autem Canonico in quolibet crimine, licet procedere per inquiſitionem. *gl. & Canoniſtæ in c. infames. 6. q. 1. & notatur in c. unic. extr. ut Eccleſ. benef. ſine demin. confer. Item in c. qualiter & quando. extr. de accuſ.* Et in hac re hodiè paſſim etiam uſu prævaluit Juris Canonici diſpoſitio, ut teſtantur Joannes Berber. *in aur. pract. p. 4. de Iudic. num. 128. Hippol. de Marſil. in pract. crimin. §. conſtante num. 12. Damhoud. prax. rer. crim. c. 8. de Inquiſit. Angel. in Tract. malef. in verb. Hæc eſt quædam inquiſ. & Ferrarienſ.* Ubi tamen hæc notanda eſt cautio ſive limitatio, Non paſſim neq; temerè contra aliquem inſtituendam eſſe inquiſitionem, ſed oportere præcedere diffamationem, ſive famam publicam, aliaq; neceſſaria requiſita: quæ apud prædictos auctores videri poſſunt.

Alia circa inquiſitionem differentia eſt, quæ ad tempus ejus inſtituendæ pertinet. Jure civili ut accuſatio, ita & Inquiſitio de crimine præſcribitur XX. annis, quo elapſo tempore, non amplius locum habet. *l. quærela. & ibi Bart. aliiq; communiter. C. ad L. Cornel. de falſis.* Jure Canonico ſive, ut loquuntur, in Jure poli & conſcientiæ, non habet locum hæc præſcriptio XX. annorum, quin poſſit etiam ultra id tempus inſtitui inquiſitio. *Panorm. in c. cum haberet. extr. De eo qui dux. in matrim. quam poll. per adult. c. cum tanto. extr. De conſuet. Damhoud. d. c. 8. num. 25. & ſeq. Fr. Balb. De præſcript. in §. 2. quæro.*

Sequitur de denunciatione: ubi I. hæc eſt differentia. Quod Jure Civili nemo cogitur denunciare furem vel alium malefactorem, quamvis eum ſciat. *l. qui vas. §. qui furem. ff. de furt. l. civile. 5. Cod. de furt. & ſerv. corr.* Excipitur. I. Vaſallus, qui ratione Juramenti fidelitatis cogitur domino ſive ſeniori ſuo denunciare auctorem maleficii, quod ſcit adverſus eum parari vel committi. *c. 1. §. prat. ubi Iſern. & alii. Quæ fuit prima cauſa beneficii amittendi: Qua de re in Partitionib. Iuris Feud. dictum eſt.* II. excipitur is, quem judex per inquiſitionem, ſive ex officio procedens jubet delinquentem indicare. Is enim in facere cogitur. *Dd. ad l. Divus. ff. de offic. præſid.* Sed Jure Canonico poteſt aliquis cogi præciſè ut furem indicet *c. qui cum fure. & ibi gl. extr. de furt. Bapt. à S. Blaſ. num. 98. Quæ tamen de re vid. Gothofred. Not. ad l. 4. §. ult. ff. de condict. ob turpem cauſ. & Ioh. Sich. ad dictam l. civile. C. de furt. & ſerv. corr.*

Huic

Huic vicina eſt altera differentia, quam annotavit etiam Bartolus *num. 51. & Bapt. à S. Blaſ. d. num. 98.* Iure civili poteſt quis recipere præmium pro indicatione furis aut rei furtivæ, quod μήνυτρον Græci vocant. *l. ſolent. ff. de praeſcr. verb. l. 4. §. ult. ff. de cond. ob turpem cauſam. Bart. allegat etiam l. 8. ſi ob turpem. cod. tit.* Sed ea nihil ad rem facit. At Iure Canonico nihil licet hoc nomine accipere præmii. *d. c. qui cum fure. ext. de furtis.*

CAPUT IV.

DE CRIMINVM AC DELICTORVM ALIQVOT SPECIEBUS: ut Furto: Injuria: Famoſo libello: Adulterio: Stupro: Fornicatione.

DEinceps de ſpeciebus quibuſdam delictorum & criminum videamus: v. g. de furto: de injuria & libello famoſo, de adulterio, de raptu, de ſtupro & fornicatione: de peccato contra naturã: de Homicidio, de vulnere, de incendio, de falſo, de ſacrilegio, de ſortilegio, de blaſphemia, de perjurio, de hæreſi, de anabaptiſmo: de impoſitione novorum vectigalium, de deſertione militiæ, de violatione legatorum. De Carcere, De diſputationib. interdictis ſuper rebus divinis, &c. In his enim omnibus occurrent aliquæ notandæ differentiæ inter utrumque jus. Ac primò quidem in furto has animadverti notatas duas differentias. I. Furtum Iure Canonico largiore modo ſumitur, quàm Iure Civili, *ut patet ex can. 12. dixit Dominus. 14. q. 5. collato cum l. 1. §. ult. ff. de furtis. & §. 1. Inſtit. de obl. quæ ex del. naſc. vid. Bart. n. 51. Et Bapt. S. Blaſ. num. 75.* Iure namque Canon quælibet illicita contrectatio rei eſt furtum.

II. Iure Civili, qui furti faciendi cauſa conclave intravit, antequam contrectet rem, nondum fur eſt. *l. 21. vulgaris eſt quæſtio. §. qui furti. ff. de furtis.* Sed Iure Canonico quicunque non per oſtium, ſed aliunde intrat animo furandi (ex Evangelio Iohannis) quamvis nihil adhuc acceperit, fur eſt. *can. 12. tres perſonas. 23. q. 4. & ibi gl. vid. Bart. n. 72. & Bapt. S. Blaſ. n. 109.*

De Injuria hæ ſunt differentiæ. I. actio Injuriarum Iure Civili non tranſit ad heredes, neque contra heredes. *l. 10. Si cum judicio §. qui injuriarum. ff. Si quis cautionibus, in judic. ſiſt.* Iure Canonico etiam ad heredes & contra heredes tranſitoria eſt. *c. in literis. extr. de raptoribus. vid. Bapt. de S. Blaſ. n. 5.*

Aliam differentiam *annotat. Martin. Vranius conſ. 14. Tom. 1. num. 40. & ſeq.* quod Jure Civili nuſquam ſit cautum, ut injuriarum nomine liceat læſo agere ad palinodiam, id eſt, revocationem verborum contumelioſorum. Unde etiam nec Speculator, nec alii celebres practici libellos in actione injuriarum formarint vel conceperint ad revocationem: proculdubio id facturi, ſi hujuſmodi actionem ad id dari exiſtimaſſent, qua in ſententia eſt etiam D. Giphanius in Diſputatione De Injuriis Ingolſtadii habita. Jure autem Canonico, ſive in foro conſcientiæ, fatetur Uranius teneri injuriantem ei, cujus honorem vel famam læſit aut abſtulit ad revocationem. Hodiè moribus noſtris alibi datur actio ad palinodiam, alibi non item. *vid. And. Gail. & Mynſ. obſerv.*

III. Diffe-

Digitized by Google

III. Differentia, quæ tamen etiam ad furtum accommodari poteſt, hæc eſt, Jure Civili quomodocunque quis condemnatus fuerit de injuria, ſive ex actione Civili, ſive criminali, ſive pro magna & atroci, ſive pro levi & exigua indiſtinctè infamia notatur: *ut expoſitum eſt ad Inſtitut. De injur. l. ult. C. de injur. l. 1. ff. de his qui not. infam.* Sed jure Canonico pro injuria modica condemnatus non fit infamis. *c. cum te. De ſentent. & re judic. Bapt. S. Blaſ. n. 192.* Ratio eſſe videtur æquitas, &c.

Injuriæ ſpecies & quidem inſignis eſt FAMOSUS LIBELLUS, unde etiam in Cod. tit. de Injur. proximè ſubjicitur tit. de famoſo libello. De quo hæc notatur differentia. Jure Civili pœna auctoris famoſi libelli eſt capitalis: *l. 1. & 2. C. de famoſis libellis.* Cujus tam gravis pœnæ ſanciendæ hæc videtur fuiſſe ratio, frequentia & crebritas, quæ fuit Romæ hujus delicti. Solent enim pœnæ augeri & exaſperari, quoties nimium graſſantur crimina, ut opus ſit exemplo ad deterrendos à maleficiis homines. Poteſt etiam hæc aſſignari ratio, quia ſcripta injuria multò ſit gravior, quàm convicio prolata. Magis enim præmeditata ac deliberata ac malitioſa videtur injuria literis mandata, quam voce fortè in calore iracundiæ pronunciata. Graviore itaque pœna coërcenda fuit viſa legislatoribus.

Notandum eſt autem non tantum hac pœnâ comprehendi Auctorem ſive eum, qui ipſe compoſuerit libellum famoſum, ſed etiam eum, qui invenerit, nec combuſſerit, aut laceraverit, atque aboleverit, ſed evulgârit & latius ſparſerit in vulgus. Ipſe enim pro auctore habetur, qui auctorem non prodiderit. Jure Canonico autem pœna mitior eſt, nec capitalis in fabricatorem famoſi libelli. *c. 1. c. ſi qui. & c. quidam. 5. q. 1.* ubi aliquando verberibus ſubjicitur talis ſeu flagellatur, aliquando verò excommunicatur, ſive anathematiſatur. *vid. Bapt. S. Blaſ. n. 7.*

De adulterio præter ea, quæ ſupra attulimus, hæc eſt differentia, *notata à Bart. n. 166. & 176.* Quod J. Civili gravior ſit ejus pœna quàm jure Canonico. Hoc enim agitur ad ſeparationem tori & menſæ, nec non ad privationem dotis & donationis propter nuptias. *c. tua. ext. de procurat.* Illo autem Jure ad pœnam capitalem: *ut notum ex tit. Inſt. de publ. iudic.*

Cui & hæc differentia addi poteſt, quod jure Civili adulterium graviſſimis criminibus, quale revera eſt, annumeratur, & meritò: Corrumpit enim primam vitæ ſocietatem, quæ eſt in conjugio: corrumpit ſinceritatem & certitudinem ſobolis, quæ eſt fundamentum civitatis. At Jure Canonico adulterium inter minora crimina refertur. *c. 4. ext. de iudic. in verbis: de adulteriis verò & aliis criminibus, quæ ſunt minora.* quem Papæ lapſum vocat Cujacius, qui ſine calumnia excuſari non poſſit. (ſ. excuſari poteſt, ut dicas, Papam non recenſere adulterium inter minora crimina, ſed dicere alia crimina, quæ ſunt minora ſcil. adulterio, quod eſt grave crimen.) Porrò ut adulterii, ita & ſtupri pœna J. Canonico eſt mitior, quàm Jure Civili: *ut notat. Bart. n. 115. ex cap. pervenit. ext. de adult.*

Aliam quoque differentiam circa ſtuprum annotat. *Bart. n. 90.* nempe quod Jur. Canonico ſtuprum propriè dicatur committi in virginem, tametſi interdum etiam latiùs ſumatur; Jure autem Civili ſtuprum committatur in virginé, viduam, puerorum, fœminam ſolutam, quæ tamen non loco concubinæ habeatur.

Digitized by Google

De fornicatione hanc differentiam tradit *Bart.n.91.* Quod Jure Canonico etiam ſimplex fornicatio puniatur, cum ſit hoc crimen canonicum *c. nemo.18. q.2.* Jure autem Civili non mereatur pœnam, ſed potius permiſſa ſit. *l. in concubinatu. ff. de concubinis. & arg. l. 2. C. de don. inter vir. & ux.* Notandum tamen ea loca non agere de fornicatione, ſed de concubinatu: quæ duo plurimum differunt. Fornicatio à recentioribus dicitur, Impudica conſuetudo cū libera perſona extra conjugium, *vid. Iul. §. fornicatio.* à fornice, id eſt, lupanari, ubi meretrices proſtabant, *ut Iuvenal. ſat.3.* Lenonum pueri quocunq; in fornice nati. *& Horat. lib.1. ſat.2.*

—— niſi olenti in fornice ſtantem. & mox.

Quidam notus homo cum exiret fornice: macte
Virtute eſto, inquit ſententia dia Catonis.

Caput V.

De Raptu: de Peccato contra Naturam, sive Sodomia: de Homicidio: de Parricidio.

SEquitur de raptu, cum quo etiam ferè ſtuprum ſolet eſſe conjunctum: ubi has annotant differentias *Bart. n.126. & Bapt. à S. Blaſ. n.140. cum duobus ſeqq.* Quod Jure Canonico, qui rapit & ſecum abducit virginem, tenetur eam dotare & in uxorem ducere: Sin autem pater nolit conſentire & relinquere ei raptam in uxorem, cogitur eam reddere & dotare. *c. 1. ext. de adult. & ſtupro.* Aliud autem eſt Jure Civili hac de re conſtitutum, ut patet *ex l. un. C. de raptu virg. quæ eſt etiam l. pen. C. de Epiſc. & Cler. & explicatur à Iuſtiniano in Novell. de raptis mulieribus.* ubi pœna raptori irrogatur capitalis, & bona ejus vel addicuntur ipſi raptæ, vel ejus parentibus, vel his deficientibus aut etiam conſentientibus fiſco.

Deinde Jure Civili raptus etiam in deſponſata committitur à ſponſo. *d. l. un. C. de raptu virgin.* Sed Jure Canonico in ea tantum, quæ non eſt deſponſata. *c. ult. & ibi gl. not. ext. de adult. & ſtupro. c. 6. cum cauſam. ext. de raptu.*

Tertio ſtuprator virginis, ſi eam ducat & dotet, aliter non punitur Jure Canonico: ſed ſi eam recuſet, excommunicatur, verberibuſq; ſubjectus in monaſterium detruditur. *c. 2. ext. de adult. & ſtupro.* Jure autem Civili aliter punitur, ſive raptus acceſſerit, ſive non: ut patet *ex d. l. unic. C. de raptu virginum. & ex §. Item lex Iulia. Inſtit. de publ. judic.*

Quibus adde quartam differentiam, quod Jure Civili non permittitur conjugium inter raptorem & raptam: Jure autem Can. permittitur, tametſi inconſtanter & variè, ut patet *ex c. 4 de puellis 36. quæſt. 2. De qua ſatis dictum ſupra lib. 1. in explicatione differentiarum matrimonialium. & confer Bart. n.124.*

Eſt etiam differentia quo ad pœnam ſtupri ſive inceſti commiſſi in virginem Deo dicatam ſeu Monialem. Jure namque civili eſt pœna capitalis. *l. ſi quis non dicam rapere. Cod. de Epiſcop. & Cler. quæ lex eſt etiam relata à Gratiano in Decretum can. 3. ſi quis. 36. q. 2.* Jure Canonico pœna clerici eſt depoſitio: Laici excommunicatio. *can. ſi quis Epiſcopus. 27. q. 1. vid. Bart. n. 83. & Bapt. à S. Blaſ. n. 115.*

Sequitur de peccato contra naturam. Ita appellatur illud crimen, quod vulgò Sodomiam vocamus: de quo *Iul. Clarus proprio §. explicat l. 5. Sentent.* ubi amor

quæritur

quæritur nec invenitur, ut ait Imperator *in l.31. cum vir nubit. Cod. de adulter.* Juſtinianus nefandam libidinem cum maſculis vocat *in §. Item lex Iulia. Inſtitut. de publ. Iud.* Tametſi etiam à maſculis in fœminas perpetrari poſſit & æque puniatur, ut docet Julius Clarus *d §. Sodomia.nu.2.* & à fœminis inter ſeſe, ut ſatis oſtendit Paulus Apoſtolus *Rom.1.v.26.* Differentia hæc eſt, quod Jure Civili hujus criminis pœna ſit capitalis *d.l.cum vir nubit.C.de adult. & d §.Inſt. de publ Iud. Item in Nov. ut non lux. contra naturam. propè fin.* Jure autem Canonico non eſt capitalis, ſed mitior. *c.4.clerici.de exceſſibus prælat.* ubi in concilio Lateranenſi ſub Alexand. III. habito clerici incontinentia contra naturam laborare deprehenſi dejiciuntur à clero, vel ad agendam pœnitentiam in monaſterium detruduntur: Laici excommunicationi ſubjiciuntur. *Allegat Bart.n.92.& Bapt. à S.Blaſ.n.119. etiã can.13. flagitia.32.q.7.* ubi Auguſtinus dicit quidem ubiq; & ſemper deteſtanda atque punienda eſſe flagitia contra naturam, ſed modum & genus pœnæ nõ exprimit. Veriſimile eſt igitur Auguſtinum ſuo in vigore reliquiſſe Conſtit. Juris Civilis. Neque enim eo ſeculo Epiſcopi leges Imperatorum abrogare, aut iis derogare præſumebant. Et certè longè honeſtius eſt hac in re Jus Civile, quod etiam in Italia audio hodiè uſu eſſe receptum.

Notandum hic, crimen iſtud eſſe utriuſque fori, & tam apud Eccleſiaſticum, quàm ſecularem Judicem examinari & diſcuti poſſe, *teſte Iulio Claro d. §.n.3.* Notandum etiam hoc, quamvis Jus Civile irroget reis pœnam gladii: tamen conſuetudine eam mutatam eſſe in ſupplicium ignis, ut vivi exurantur. *Vid. Conſtit. Caroli V.*

Sequitur de Homicidio. ubi hæc prima eſt differentia, quod Homicidæ Jure Canonico mitiùs puniuntur quàm Jure Civili, *ut not. Iohann. Andr. in cap. ſicut dignum. extr. de homicid.* clerici namque deponuntur, Laici verò excommunicantur.

De Juris Civilis pœna graviore dictum eſt *ad Inſtit. de publ. Iudic. §. Item lex Cornelia.*

Aliam differentiam notat *Bapt. à S.Blaſ. num.200.* de pœna populi occidentis proprium Epiſcopum: quæ eſt *ex can.ult. Ita nos.25. q.2.* ut tali populo vel civitati deinceps Epiſcopalis dignitas ſubtrahatur, & vicini Epiſcopi viſitationi ſubjiciatur. Quod Jure Civili non reperitur cautum, quo homicidæ aliis pœnis ſubjiciuntur. Notandum tamen hic aliter ob crimen puniri ſolere ſingulos, aliter commune aliquod ſive populum.

Homicidii ſpecies eximia & graviſſima eſt, quæ in propriis perpetratur liberis, quæ etiam proprium nomen aſſumit, ut parricidium dicatur: de quo hæc annotatur differentia, quod Jure Canonico pœna mitior infligatur parentibus qui ſuos liberos occiderunt, quàm Jure Civili. *Notat Bart. num.125. Bapt. à S. Blaſ. num.138.* De Jure Civili dictum eſt *ad Inſtit. de publ. Iudiciis. ubi de lege Pompeia de parricid. §. Alia deinde lex.* De Jure Canonico *vid. c.1.2. & 3. extr. de his qui filios occiderunt. & c.7. quæſitum eſt. ext. de pœnitentia.* Quibus locis de pœnitentia tantum aliquot annorum vel arbitraria reis injungitur. Quod ferri quidem poſſet de iis parentibus, qui liberos parvos in eodem cum ipſis lecto jacentes oppreſſerunt

Digitized by Google

per negligentiam atq; ſuffocarunt, de quo caſu agit *d. c. ult. De his qui filios occiderunt. & d. c. 7. quæſitum eſt, De pœnitent.* In his enim abeſt dolus & propoſitum occidendi. Sed idem etiam ſtatutum eſſe de iis mulieribus quæ ex propoſito liberos occiderunt, id ſanè permirum mihi videtur: *ut in c. 1. d. t.* Ubi mulier calore iracundiæ ducta filium ſuum occidiſſe proponitur, cum ſuus maritus ei ſæpè torvo vultu exprobraſſet, Non eſſe de ſe genitum, non eſſe ſuum filium. In c. 2. eod. tit. proponitur mulier, furore diabolico accenſa jugulaſſe filiam parvam. Hîc certè pœna nimis levis pro atrocitate delicti imponitur. Sed ratio ejus Juris eſſe videtur; quod Jure Canonico pœna mortis non habeat locum, *ut docet Bart. n. 146. & idem Bart. n. 121.* allegant hanc rationem, quia Deus non diligat mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Quæ ſententia Ezechielis eſt quidem veriſſima: Sed non inde ſequitur, quod delicta debeant manere impunita. Nam & hoc in divinis ſcriptum eſt literis, Magiſtratum non fruſtra geſtare gladium, ſed ad vindictam nocentium, &c. *Rom. 13.* & Deus præcepit per Moyſen: Auferes malum de medio tui. Omninoq; confundit Bartolus mortem ac vitam temporalem cum æterna: de qua loquitur Propheta, non de morte temporali.

CAPUT VI.
DE VULNERIBUS.

VIdeamus de Vulneribus, per quæ ad cædem pervenitur. Et primò quidem de eo caſu, quando dubitatur, an ex vulnere mors ſecuta ſit. Ubi hanc inter utrumque Jus differentiam annotat *Bart. num. 123.* quod Jure Civili is, qui vulneravit, non teneatur de occiſo. *l. huic ſcripturæ. §. ſi ſervus. ff. ad Legem Aquil.* Jure autem Canonico eatenus tenetur, ut non poſſit amplius miniſtrare in ſacris ordinibus. *c. ad audientiam. ext. de homicidio.* II. Quæſtio eſt: Si plures unum vulnerârint, qui ex vulneribus illis mortuus ſit, an omnes ſint pro homicidis habendi vel non. Hac in re iterum differentia eſt annotata *à Bart. n. 80. & Bapt. à S. Blaſ. nu. 113.* Jure Civili is ſolus cenſetur homicida, ex cujus ictu periit vulneratus à pluribus, ſive qui lethaliter eum percuſſit. Ictus enim uniuſcujuſque contemplandi ſunt. *l. ſi in rixa. ff. ad L. Corneliam de ſicariis.* Sed Jure Canonico ſi plures eundem vulnerent, qui inde deceſſerit, omnes cenſentur homicidæ, quamvis conſtet, quod ex ictu ſeu vulnere unius tantùm perierit. *c. 34. & ibi gl. 23. q. ult. in verbis. Quicunque eorum plagam ei impoſuit ſecundum ſtatuta Canonum ut homicida judicetur.* Hæc tamen res accuratiorem & pleniorem requirit tractatum, qui petendus eſt *à Julio Claro §. in Homicidium. & And. Gail. 2. obſ. 109. Videri etiam utiliter poteſt. Modeſt. Piſtoris lib. 2. Conſ. 4. & Conſ. 30.*

Sequitur de eo, qui occidit alium pro defenſione rerum ſuarum: ubi etiam eſt differentia utriuſq; Juris, notata *à Bart. n. 122. & Bapt. à S. Blaſ. nu. 139.* Jure Civili cuilibet conceditur alium pro defenſione rei ſuæ occidere, ſi aliter ſe defendere non poſſit. *l. 4. ff. ad L. Aquiliam. l. furem nocturnum. ff. ad L. Corneliam de Sicariis. l. 1. C. unde vi. l. 1. C. Quando liceat unicuique ſine judice vindicare ſe. &c.* At Jure Canonico non licet Clerico alium pro defenſione rerum ſuarum occidere. *c. ſuſcepimus. ubi gl. ext. de homicid. c. 1. & c. plenior. 23. q. 8. Can. ſi quis vult. diſtinct. 36. c. ex multa. extr. De voto.*

CAPUT

Digitized by Google

Caput VII.

DE INCENDIO.

SEquitur de Incendio, hujus quoque pœna multò eſt levior Jure Canonico, quàm Civili, ut videre eſt ex *can. 8. cum devotiſſimam. in fin. 12. q. 2. & c. ſi quis damnum. ext. de injuriis & damno dato c. 1. ext. de raptoribus, Incendiariis &c. can. 31. ſi quis membrorum. & can. 32. peſſimam. 23. q. 8.* collatis cum locis Juris Civilis *in l. qui ædes. & l. ult. ff. de Incendio, ruina, naufragio &c. l. capitalium. §. qui ob inimicitias. ff. de pœnis. l. 3. in pr. ff. ad L. Corn. de Sicar. l. data. C. qui accuſare non poſſunt. l. 1. ff. de off. præfecti vigil. vide de hac differentia. Bart. n. 78. & Bapt. à S. Blaſ. n. 112.*

Caput VIII.

DE FALSO.

SEquitur de crimine falſi, quod eſt multiplex. ut ejus variæ ſpecies aliàs ad Inſtit. ſunt expoſitæ. Nunc tantum de differentiis agimus: quarum prima hæc eſt, annotata etiam *à Bart. num. 118. & Bapt. à S. Blaſ. n. 136.* quod Jure Civili pœna falſi in libero quidem homine deportationis & publicationis omnium bonorum, in ſervo autem ultimum ſupplicium. *l. 1. §. ult. ff. ad L. Corn. de falſ.* Sed Jure Canonico. pœna eſt multiplex ac diverſa, pro diverſis falſi ſpeciebus. *c. ad falſariorum. ext. de crimine falſi. Gothofredus in ſumma eod. tit.* Alia circa falſum differentia eſt, quod qui falſis inſtrumentis utitur aliter Jure Civili, quàm Canonico, punitur: ut *videre eſt in c. 4. dura. & d. c. 7. ad falſariorum. extr. de crimine falſi. & apud Bart. num. 129.* Inter falſi ſpecies una, eaque non poſtrema etiam hæc eſt, quæ & in ſacris literis abominabilis habetur, ſi quis pondera & menſuras falſas habuerit, in quod crimen longè ſeveriùs animadvertit Jus Civile, quàm Canonicum. Hoc enim Jure tantum XXX. diebus talis falſarius jubetur pœnitentiam agere in pane & aqua *c. 2. ext. de empt. & vendit.* Rurſum alia; quoad pœnam falſi, eſt differentia, annotata *à Bart. n. 118. & Bapt à S. Blaſ. n. 143.* quod Jure Canonico poteſt falſarius charactere ſive ſtigmate & bulla in facie notari, in ſignum videlicet maleficii, idq; etiamſi ſit clericus. *c. 3. ad audientiam. extr. de crim. falſi.* Ubi proponuntur clerici falſificaſſe ſigillum Philippi Regis Francorum. Sed Jure Civili hæc pœna non habet locum. Nemini enim ullum ſtigma ſive ſignum in facie imprimi debet. *l. 17. ſi quis in metallum. C. de pœnis.* Ubi & rationem reddit Conſtantinus, quia non debeat maculari facies, quæ ad ſimilitudinem cœleſtis pulchritudinis figurata eſt. quaſi ſcilicet imago Dei in facie hominis externa, ac non potius in interna pulchritudine ſive conformatione virium animæ cum Deo & ejus lege conſiſtat, aut quia Deus habeat ſpeciem humanam; ut anthropomorphitæ voluerunt. Qua in re aliquid humani paſſus eſſe videtur Imperator Conſtantinus. Quod autem ad hanc differentiam attinet, mihi ea non videtur vera, neque enim Urbanus III. in *d. c. 3.* præcipit, ut character ille, ſive ſignum imprimatur falſariis in fronte: ſed generaliter & indiſtinctè inquit, facias eis imprimi characterem aliquem: non addito in qua parte corporis imprimi debeat, Quare ut vitetur legum & Jurium correctio id capitulum intelligendum eſt ſecundum Jus Civile, id eſt, *d. l. 17. C. de*

Digitized by Google

pœnis: qua permittitur cauterium imprimendum manibus, ſive, ut Accurſius interpretatur, brachiis, vel etiam furis facinoroſi: tantum prohibetur ne faciei imprimatur. Porrò quod ne ſtatuto quidem talis pœna ſtigmatis in hominis facie imponi poſſit, *ex Angel. Alex. & Marant. probat Mynſing. 2. obſ. 46. vid. & Iul. Clar. §. fin. l. 5. ſent. q. 70. num. 1. in fin.*

Caput IX.

DE SACRILEGIO: SORTILEGIO: BLASPHEMIA: Perjurio.

SEquitur videre de Sacrilegio: de quo primò illud obſervetur diſcrimen. Jure Can. largius accipitur Sacrilegium, quam Jure Civili. Trib. enim modis committitur: 1. auferendo rem ſacram de loco ſacro. 2. auferendo rem non ſacram, ſive profanam de loco ſacro. 3. rem ſacram ex loco non ſacro. *c. 21. quiſquis. 17. q. 4.* Jure autem Civili tantum is eſt ſacrilegus, qui rem ſacram ex ſacro loco ſurripuit. *l. 5. Divus. ff. ad L. Iuliam Peculatus.* Qua tamen de re antiqua fuit controverſia in Scholis Rhetorum jam olim agitata, an non etiam is ſit ſacrilegus habendus, qui rem aliquam profanam in æde ſacra depoſitam ſubtraxerit, *ut videre eſt apud Ciceronem 2. de Invent. Quinctil. l. 7. c. 3. & Cujac. 13. Obſ. 4. Hanc Differentiam notant Bart. n. 68. & 79. & Bapt. a S. Blaſ. n. 107.* Quod Jure Civili durior pœna huic crimini imponitur, quàm Jure Canonico, *de quo vide c. 20. ſi quis contumax. & cap. 21. quiſquis & c. 29. ſi quis ſuadente Diabolo 17. q. 4. & confer cum l. ſacrilegii pœnam. & l. ſacrilegii. ff. ad L. Iuliam Peculatus.*

Porrò de ſortilegio differentiam hanc annotat *Bart. nu. 82.* quod cum Jure Civili ſortilegus capite puniatur. *l. nemo. C. de mathematicis.* Jure Canonico ſortilegi & divinatores, & qui eos conſulunt, tantum quinquennii pœnitentiæ ſubjiciuntur. *can. qui divinationes. 26. q. 5.* Atque ex his emendandus eſt *Bart. d. loco, ubi vitioſiſſimè editum eſt,* puniuntur pœna quinque aureorum. *26. q. 1. can. quoniam divinationes.* Reſtitue ut modo dixi. Plura de hoc crimine ſortilegii videantur *in Iure Canonico d. c. 26. q. 1. 2. 3. 4. & 5. Item apud Iodocum Damhoud. c. 61. in pr. rerum criminal. & apud Caſp. Peucerum in ſuo doctiſſimo Commentario de generibus divinationum, nec non apud Ioach. Camerarium.*

Sequitur de blaſphemia, ubi differentia hæc occurrit, notata etiam *Bartolo n. 130.* Jure Civili blaſphemator Dei, aut Spiritus Sancti ultimo ſupplicio afficitur. *Novell. ut non luxurientur homines contra nat. Iodoc. Damhoud. c. 61. n. 12.* Sed Jure Canonico pœna eſt mitior: quæ præſcribitur à *Gregorio 9. in cap. ult. extr. de maledicis.* nimirum hæc, quod ſeptem diebus dominicis jejunans pridie in pane & aqua, ſtare debeat blaſphemus præ foribus Eccleſiæ, dum ſolennia miſſarum peraguntur, & quidem poſtremo die nudipes ſine calceamentis & ſine pallio, ligatus corrigia circa collum. Quæ notabilis eſt forma publicæ & ſolennis pœnitentiæ. Præterea ut uno quoque die ſupradicto unum, duos tresve alat pauperes pro modo facultatum; aut ſi non poſſit, tum id ei in aliam pœnam convertatur; Poſtremò ut etiam mulcta pecuniaria afficiatur per poteſtatem temporalem, vel XL. ſolidorum, ſi dives fuerit, vel XXX. vel XX. vel ſi tenuior V. cum tamen aliàs pœna

pecunia-

Digitized by Google

pecuniaria non poſſit Jure Canonico infligi: *ut loca annotat Bart. n.69.* Quod ſi quis illam pœnitentiam ſubire recuſet, ei interdicatur ingreſſus Eccleſiæ, id eſt, excommunicetur dum vivit, & ſepultura Eccleſiaſtica ſive Chriſtiana prohibeatur mortuus. Alibi verò in Jure Canonico diſtinguitur inter Blaſphemiam Clericam & Laicam. ut ille deponatur, iſte anathematizetur. *cap. 10. ſi quis per capillum. 22. quæſt. 1.*

De moribus noſtris ſi quæras, I. conſuetudine ferè generali non amplius ſervatur pœna capitalis, *d. Novel. ut non luxur. hom. con. natur.* & malè, ut cenſet *Iul. Clar. §. blaſphemia nu. 3.* II. Hodiernis temporibus vel lingua amputatur blaſphemis, vel perforatur ferro, vel in exilium pelluntur, vel aliter pœna arbitraria afficiuntur, pro diverſitate ſtatutorum vel conſuetudinum.

Sequitur de Perjurio: ubi differentiam hanc annotat *Bapt. S. Blaſ. n. 39.* Jure Canonico perjurus efficitur infamis: prohibetur enim à teſtimonio & quadraginta dies in pane & aqua pœnitere debet, & deinde ſeptem ſequentes annos, nec unquam eſſe ſine pœnitentia. Jure autem Civili perjurium ſolum Deum habet ultorem. *l. 2. C. de reb. cred. & iurejur.* Sed hac de re latius videndum *apud Iul. Clarum §. fin. & Iacob Menoch. de arbit. Iud. quæſt.*

Caput X.

DE HAERESI ET ITERATIONE BAPTISMI.

Sequitur de hæreſi, ubi hanc differentiam annotat *Bart. n. 143.* Jure Civili bona hæreticorum relinquuntur liberis Catholicis & orthodoxis. Sed Jure Canonico ablata liberis & aliis propinquis publicantur. *c. 10. vergentis 23. q. 4. & 24. q. 1. 2. & 3. ferè per totum. extr. de hæretic.* Quam Juris Canonici duritiem excuſare conatur *Innocent. III. in d. c. vergentis.* I. quia etiam ſecundum legitimas ſanctiones, id eſt, Jus Civile liberis reorum læſæ Majeſtatis bona ablata confiſcentur, ac vita tantum ex miſericordia relinquatur. *l. quiſquis. C. ad L. Iul. Majeſt.* Ergo mulò magis id fieri debet in parentib. ob crimen hæreſeos damnatis, Ratio conſequentiæ, quia longè ſit gravius æternam quàm temporalem lædere majeſtatem: quorum illud fit in hæreſi, hoc, in crimine læſæ majeſtatis. II. Quia etiam ſecundum divinum judicium liberi in multis caſibus pro parentibus temporaliter puniantur. Hic tamen magna opus eſt cautione, ne innocentes, ut fit, pro hæreticis habeantur, qui autem veri ſint hæretici qui non, aliàs expoſui ex *c. 4. c. 7. c. 27. c. 29. & c. 39. §. ult. q. 3.*

Sequitur de pœna iterantis baptiſmum: ubi hanc differentiam notat *Bapt. S. Blaſ. n. 181.* quod cum Jure Civili pœna ſit capitalis in utroque & baptizante & baptizato. *l. 2. C. Ne ſanctum Baptiſma iteretur.* Jure Canonico hæc eſt, ut non poſſit promoveri. Hic obiter notanda eſt antiqua illa cõtroverſia de illis, qui baptiſmum ab hæreticis extra Eccleſiam acceperunt, an ſint ab Orthodoxis in Eccleſia iterum tingendi: Id quod voluerunt Epiſcopi in Carthaginenſi concilio congregati ſub Cypriano: ut videre eſt in ipſorum ſententiis apud Cyprianum relatis. Quæ tamen ſententia ab aliis improbata eſt, nec in Eccleſia Romana recepta. *Vide Cujacium in Paratitlis Cod. eod. tit.*

Digitized by Google

Caput XI.

De impoſitione novorum vectigalium: De militiæ deſertione & fuga: De violatione & impedimento legati.

SEquitur de impoſitione novorum vectigalium: ubi differentiam hanc annotat *Bartolus n.108. & Bapt. à S.Blaſ.n.128.* quod Jure Civili nova vectigalia inſtituens ſine permiſſu principis, perpetuo exilio punitur. *l.ult.C.vectigalia nova inſtitui non poſſe.* Jure autem Canonico, monetur primo ut deſiſtat & reſtituat ablata & exacta, deinde ſi monitus non deſiſtat, communione Eccleſiaſticâ privatur. *c. innovamus. extr. de Decimis.*

De deſertione militiæ & fuga differentiam hanc notat *Bart.n.137. & Bapt.S. Blaſ. n.53.* quod Jure Civili hujus criminis pœna ſit capitalis. *l.omne.§.qui in acie.ff. de re milit.* Jure Canonico pœna ſit infamia. *can. infames.7.q.1.*

Sequitur de eo, qui impedit legatum amicorum vel hoſtium: de quo hæc eſt differentia apud *Bart.n.136. & Bapt.S.Blaſ.num.59.* quod Jure Civili pœna ejus ſit hæc, ut tradatur hoſtibus & eorum fiat ſervus. *l.ult. ff.de Legation.* Sed Iure Canonico excommunicetur. *can. ſi quis. Diſtinct.94. gl.ult. in c. Ius gentium.Diſt.1.*

Caput XII.

De diſputationibus ſuper rebus divinis.

POrrò etiam delicti quædam ſpecies eſt, diſputare de rebus divinis (quo hodiè nihil eſt crebrius) poſt deciſionem controverſiarum in Synodo legitima factam. Circa quam rem etiam differentia quædam à me notata eſt inter Ius Canonicum & Civile: quæ apparebit ex horum inter ſe locorum collatione. *l.3. nemo clericus.C.de ſumma Trin. & fid. Cathol. quæ eſt conſtitutio Martiani.c. 2.§. inhibemus. De hæreticis lib. 6. can.2. majores noſtri. 24. q. 1.* Differentia breviter hæc eſt, quod Jure Civili indiſtinctè prohibentur tales Diſputationes tàm clericis, quàm Laicis: Sed Jure Canonico Laicis tantum interdicuntur, & quidem ſub pœna excommunicationis, Clericis verò permittitur. Duas tamen limitationes Juris Civilis videre licet *in gl.d.l.3. C. de ſumma Trin.& fide Cathol.* videlicet, niſi fiat cauſa addiſcendi in Scholis, nam de ſingulis dubitare non eſt inutile ſecundum Ariſtotelem. vel 2. cauſa convincendi aliquem hæreticum: quam exceptionem 2. probat idem *Accurſ.in gl. ad l.23. quoniam venerabilis. C.de Epiſcopis & Clericis.*

FINIS LIBRI SEXTI.

DIFFE-

Digitized by Google

DIFFERENTIARUM JURIS CIVILIS ET PONTIFICII LIBER SEPTIMUS

CAPUT I.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS ſive Clericis.

DUo ferè capita differentiarum Juris utriuſque nobis explicanda reſtant, De perſonis videlicet & de rebus Eccleſiaſticis. Etſi autem plurima de his ambobus dici poſſunt, tamen præcipua tantum attingam & breviſſimè contraham. Perſonæ Eccleſiaſticæ generali ferè nomine appellantur Clerici, Aliàs autem docui *in Partit. Feudal l. 1. c. de perſonis Feuda dantibus*, ex Hieronymo, Chryſoſtomo & aliis, antiquiſſimam in populo Chriſtiano hanc eſſe hominum diviſionem, ut alii ſint clerici, quaſi dicat, in ſorte dominica conſtituti, alii Laici ſeu populares, qui & ſeculares dicuntur. Jam de Clericis hæc ſit I. differentia, Quod cum Jure civili omnes, atque ita etiam clerici, poſſint docere vel audire Ius civile, *argum. l. nec non. §. quod cū ff. ex quibus cauſ. maj.* & probatur ſatis hoc ipſo, quod nemo prohibetur aut excipitur. Jure Canonico clerici prohibentur à Scholis Juris civilis & jubentur contenti eſſe Jure Canonico & ſtudio Theologiæ. Differentiam hanc annotavit etiam *Bapt. à S. Blaſ. n. 34. allegato c. 28. ſuper ſpecula. extr. de privilegiis & exceſſibus, cum quo conjungendum eſt cap. ult. extr. Ne clerici vel Monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant.* Ubi religioſi non tantum leges, ſed etiam Phyſicam audire prohibentur ſub pœna excommunicationis. *& c. ult. ext. de Magiſtris & ne aliquid exigatur, &c.* Omnia enim hæc capita & eundem auctorem, videl. Honorium III. & idem initium atque argumentum habent. Hic tamen notandum *d. c. 28. ſuper ſpecula. De privilegiis.* non eſſe generale, ſed tantum directum eſſe in ſpecie ad Pariſienſes & vicinas civitates, aut vicina alia loca: quibus interdicitur, ne quis ibi doceat vel audiat Jus Civile: & additur ratio, quæ etiam eſt ſpecialis, quia in Francia & aliis quibuſdam provinciis, & Laici non utantur Legibus Romanorum, & rarò occurrant cauſæ Eccleſiaſticæ tales, quæ ſtatutis Canonicis non poſſint expediri. Quæ ſunt rationes ab inutili ſumptæ. Additur etiam hæc ratio, ut plenius ſacræ paginæ inſiſtatur: id eſt, ut tantò plus ſtudii impendatur ſacris literis & Theologiæ, cui aliàs tantum decederet, quantum curæ & operæ legibus ſecularibus tribueretur. Atque hinc factum eſt, ut ne hodiè quidem Juris Civilis Profeſſores ſint Pariſiis. Alioquin conſtat, hac prohibitione non obſtante alibi locorum Clericos operam Juri Civili dediſſe, quod ipſorum ſcripta ſatis declarant: *ut Panormitani, Abbatis Siculi. & Cardinalis Oſtienſis, Item Innocentii & aliorum.* Sic de Univerſitate Patavina teſtatur idem *S. Blaſian. d. loco,* in ejus Privilegiis contineri, ut poſſint Clerici per quinquennium audire Jus Civile, quo faciliùs doctrinam Juris Canonici ca-

pere poſſint. Eſt enim antiquum Proverbium Italicum, cujus hæc eſt ſententia, Legiſta ſine Capitulo aliquid valet: ſed Canoniſta ſine lege nihil valet: quo dicterio (cujus meminit etiam *Iohannes Igneus in diſputatione ſua. An Rex Franciæ recognoſcat Imperatorem num. 104. allegans Lud. Rom. Notab.* 143 Quello legiſta ſenza capitulo vale poco. ma lo canoniſta ſenza lege vale niente) hoc ſignificatur, Doctoré Juris Canonici ſine cognitione Juris Civilis nullius eſſe pretii, & Jus Pontificium accipere lumen à Jure Civili: quod eſt veriſſimum. Sequens differentia etiam eſt ſpecialis, & propria clericorum Pariſienſium. Jure Canonico clerici illi poſſunt etiam in cauſa pecuniaria convenire Laicos, coram Epiſcopo loci, qui eas cauſas Jure Canonico decidere jubetur. *c. 9. quod clerici. extr. de for. Comp. & ibi poſt alios Cujacius in Recitat.* Secus eſt Jure Civili. *l. ſi qui ex conſenſu. C. de Epiſcopali audientia. l. fin. C. ubi in rem actio exerc. debeat. Bart. num. 32. Bapt. S. Blaſ. nu. 82.* Generaliter autem, quando & quibus caſibus poſſit clericus Laicum trahere ad Judicem Eccleſiaſticum, docet *Hartmannus Hartmanni c. 2. Miſcell. obſ. 3. in Practſori obſervationibus.* Sicut idem de Clericorum captura & incarceratione & tortura quid Juris ſit, videri poteſt. *d. c. 2. Miſcell. obſerv. 4. & ſeq.*

CAPUT II.

DE RENVNCIATIONE PRIVILEGIO FORI CLERICIS interdicta: deq; Exemptione Clericorum.

ALia differentia eſt, quod clericus ſecundum Jus Civile poteſt renuntiare ſuo juri, id eſt, privilegio fori, & exemptioni Juriſdictionis ſecularis, qua ille ordo gaudet, non tàm divino quàm humano Jure, tùm ex benignitate priorum Imperatorum, tùm etiam ex quadam uſurpatione ipſorum Eccleſiaſticorum: de qua renunciatione, quod ſit licita, eiq; ſtare debeat, qui eam interpoſuit, habetur *in l. 39. ſi quis in conſcribendo. C. de Epiſcopis & clericis. & in l. penul. Cod. de pactis.* Sed Jure Canonico talis renunciatio nullius momenti eſſe jubetur, quamvis jurata ſit. *cap. 12. ſi diligenti. extr. de foro Compet.* tùm quia hic videatur per talem renunciationem derogari Juri publico, quod pactis privatorum concedi nòn debet. *l. 38. Ius publicum. ff. de pactis. l. 27. nec ex prætorio. ff. de reg. Iur.* tùm quia Jusjurandum illud ſit contra ſtatuta Canonica, & proinde illicitum nec ſervandum. *d. c. 12.* De qua differentia quid ſentiendum ſit, ſupra inter judiciarias differentias plenius expoſui: quibus addendi caſus excepti quos remiſſivè annotat *Hartman. d. cap. 2. Miſcellan. obſerv. 6.* Addendæ quoque ſunt diſputationes de Exemptione clericorum apud Marſilium Patavinum in defenſore Pacis, ſcripto eruditiſſimo, quod compoſuit pro Imperatore Ludovico Bavaro, contra Tyrannidem & oppreſſionem Pontificiam, quam is expertus eſt: & apud Bellarminum. Opponi quoque poſſunt illi exemptioni exempla non ſolum Chriſti & Apoſtolorum, qui coram judicibus ſecularibus cauſas dixerunt, accuſati: & cenſum ac tributum Magiſtratui penderunt, idemque alios facere docuerunt ſine diſcrimine, ut ex hiſtoria Evangelica & Act. Apoſtol. notiſſimum eſt: ſed etiam primitivæ Eccleſiæ, quæ tale exemptionis privilegium ignoravit. Et memorabilis præ cæteris Epiſtola S.

Iſidori

Iſidori Peluſiotæ Presbyteri *l. 1. epiſt.* 48. *quam ad Presbyterum alium ſcripſit, quam operæ pretium eſt hic referre, ut latinè interpretata eſt à Nobiliſſ. Doctiſſimoq; Abbate Gallo, Iacobo Billio, & Pariſ. edita habetur p.* 18. Deſcriptus eſt, inquit, Dominus cum utero geſtaretur, & cenſum Cæſari pependit, hinc videlicet, velut lata lege nobis indicens, ut ei qui imperium tenet, obediamus, modò nihil ad pietatem detrimenti afferat. Quæ igitur ipſe Deus noſter ſubita per diſpenſationem & conſilium paupertate docuit, candido animo imitemur, nec pauperum obtentu tributum pendere detrectemus. Hæc Iſidorus, qui in Egypto vixit, temporibus Theodoſii Imperatoris, ad quem etiam ſcripſit Epiſtolas tempore I. Concilii Epheſini diu poſt Conſtantinum Magnum, cuius donatio jactari ſolet, & prolixè defenditur à Franciſco Burſato, in gratiam Cardinalis Herculis Gonzagæ, *Conſ. 114. l. 1. refutata ab aliis ut Laur. Valla & Franciſco Hottomanno in Bruto fulmine Sixti V.*

Caput III.

DE EPISCOPALI DIGNITATE ET MODIS TOLlendæ patriæ poteſtatis.

SEquens differentia talis eſt: Jure Civili ſola Epiſcopalis dignitas filiumfamilias liberat patria poteſtate. *auth. ſed Epiſcopalis dignitas. Cod. de Epiſcop. & Cler. & Novell. 81.* Unde ſumitur conſtitutio, *quæ de dignitate. §. palam vero. vid. Mynſing. ad §. filiusfamilias, ſi militaverit. Inſtit. Quibus modis Ius patriæ poteſt. ſolvi poſſit. num. 6.* Sed Jure Canonico & ſacerdotium & quilibet ordo ſacer eximit filiumfamilias patriæ poteſtati, ut notant Canoniſtæ. *capit. indecorum. extr. de ætate & qualitate & ordine præficiendorum.* quamvis ibi in textu eo nihil tale dicatur, ſed hoc tantum caveatur, ne quis ad regimen Eccleſiarum admittatur minor XIV. annis: addita hac ratione, quia indecorum ſit, ut Eccleſias & animas aliorum (quod eſt graviſſimum munus & ars artium) regant illi, qui ſeipſos gubernare nondum poſſunt: Cujus ſententiæ ſimiles alias in ſuis Epiſtolis habet Iſidorus, quem antea laudavi. Alios quoque modos plures ſolvendi patriam poteſtatem Juris Canonici, ignotos Juri Civili, notat *Bart. num. 88.* qui videri poteſt. Sequens differentia pertinet ad ætatem Epiſcopi, Jure Canonico Epiſcopus, ut & Presbyter, minimum XXX. annos natus eſſe debet. *c. 6. Epiſcopus benedictionem.* (citatio Bartoli corrigenda c. is præſes Benedictus) *Diſt. 77.* hæc enim ibi ætas viri perfecti eſſe dicitur. *adde c. 7. cum in cunctis. ext. de elect. & elect. poteſt. nec non can. 3. quicunque. d. Diſt. 77. & de ætate Presbyteri eſt etiam Can. pen. Presbyter. Diſt.* 78. Ubi ab exemplo Chriſti argumentum ducitur, quia & Chriſtus anno ætatis trigeſimo baptizatus fuerit & tum demum prædicârit. Sed Jure Civili perfecta ætas citiùs incipit, nempe quinto & vigeſimo anno. *l. 1. ff. de minorib. 25. annis. l. ult. Cod. de his qui veniam ætat. impetr. l. ad rempubl. ff. de muner. & honor. vid. de hac differentia Bartol. numer. 17. & Baptiſt. S. Blaſ. num. 178.*

Digitized by Google

Caput IV.

DE FACVLTATE TESTANDI CLERICIS COMPETENTE, & bonis eorum, qui ingrediuntur in Monaſterium, & eo quod datur pro ordinatione.

SEquens differentia pertinet ad facultatem teſtandi clericis competentem, vel non. Jure namque civili Epiſcopi & adminiſtratores Eccleſiarum non poſſunt teſtari de bonis, quæ propria induſtria vel laboribus ſuis acquiſiverunt, ſed omnia coguntur relinquere Eccleſiæ. *auth licentiam. ubi Salicetus.* C. *de Epiſcop. & cleric.* Sed Jure Canonico poſſunt teſtari & diſponere pro libitu de bonis propriis aliter quàm contemplatione Eccleſiæ, quæſitis ex ſua induſtria. *can.21. ſint manifeſta res. 12. quæſt. 1. & can. 1. eadem cauſa. quæſt.5. adde etiam c. 4. fixum. eadem cauſa & quæſtione.5. & can.39. al.40. in Can. Apoſtol. vid. Bapt. à S. Blaſ. num.52.* Hic tamen notanda eſt limitatio tradita *in can. 34 Epiſcopus qui filios. 12. q.2.* nempe Epiſcopum, qui non habet filios aut nepotes, non debere alium, quàm Eccleſiam, relinquere heredem.

Sequentem differentiam annotat *Bart. num.49.* & vocat bonam & ſubtilem. Jure Civili qui ingreditur in Monaſterium, monachus vel Canonicus regularis, non poteſt quicquam de bonis ſuis retinere. *auth. Ingreſſi. Cod. de Sacroſanctis Eccleſ.* Nam cum incipiat eſſe juris alieni, (ſubjicitur quippe ſuo Abbati) non poteſt aliquid ſuum habere. *arg. l. homo liber. ff. de acquir. rer. dominio. & l. qui in ſervitute. ff. de R.I. & l. placuit. ff. de uſuris.* Jure autem Canonico, poteſt ſine peccato aliquid de ſuis bonis concedere loco præbendæ. *cap. fin. ext. ne clericus vel monachus. capit. tua nos. cum ibi not extr. de Simon. capit. in præſentia. extr. de probat. c. quoniam dilectus. in fin.* De *ſucceſſione ab inteſt.*

Alia differentia eſt, quod Jure Canonico pro ordinatione & receptione ad ſacros ordines ſive ad clericatum, vel pro ſcriptura nihil licet accipere, neque ei qui ordinat, neque tabellioni, alioquin committeretur crimen Simoniæ. (Simonia antiquiſſima omnium hæreſeum.) *Can. ſicut Epiſcopum non decet. 1. quæſt. 2.* Sed Jure Civili permittebatur talis conſuetudo dandi aliquid pro ordinatione vel ſcriptura. §. *pro conſuetudinibus Novell. 123. De Sanctiſſimis Epiſcopis. vid. gl. magnam. in fin. in d. c. ſicut Epiſcopum. & Bart. n.52. item Bapt. S. Blaſ. n.99.*

Caput V.

DE CESSIONE CLERICO, VEL A CLERICO FACTA: & de occupatione Diœceſis vel parochiæ ab hoſtibus occupatæ.

SEquens differentia pertinet ad ceſſionem, quæ clerico fit à Laico. Jure Canonico omnis ejuſmodi ceſſio, quam recipit clericus à Laico præſumitur ſimulata & in fraudem facta. *cap. ex parte. extr. De alien. mut. jud. cauſa. fact.* Nam clerici ab illicita negotiatione prohibentur. *can. clerici. & can. canonum. 14. q.3. c. fornicari. Diſt.88.* Sed Jure Civili nunquam fraus, vel ſimulatio præſumitur, verum probanda

Digitized by Google

probanda eſt ab eo, qui allegat. *l. per diverſu & l. ab Anaſtaſio. C. mandati. l. militem. C. de procur. vid. Bart. n. 48. & Bapt. S. Blaſ. num. 96.*

Alia differentia eſt, quod Jure Canonico Clericus, qui ſemel impetravit licentiam cedendi alteri beneficium Eccleſiaſticum, v. g. Epiſcopatum, vel aliam dignitatem, cogitur omninò illam ceſſionem implere, nec licet ei pœnitere. *c. 12. quidam cedendi. extr. de renunciatione.* ubi ratio redditur, quia qui ſemel petiit cedendi licentiam, & obtinuit, is proculdubiò vel Eccleſiæ cui præeſt, commoda, vel ſuam ſalutem ante oculos habuit. Cum autem mutat conſilium, videtur id vel ex levitate aliqua ſua facere, vel ſuaſionibus inductus aliorum, quæ ſua ſunt quærentium, non quæ ſunt Chriſti. Valebit igitur hîc quoque vulgatiſſima illa regula, quod ſemel placuit, amplius diſplicere non debet. Jure autem Civili, poteſt is, qui ſemel bonis ceſſit recuperare illa, quamdiu res eſt integra, nec præjudicat ipſi ceſſio ſemel facta, vel tentata. *l. is qui ff. qui bonis ced. poſſ. vid. de hac differentia gloſſam in d. c. 12. quidam cedendi. item Bart. n. 115. & Bapt. S. Blaſ. n. 134.*

Sequens differentia annotatur à Bartolo n. 138. poſt Innocentium *in c. cum cauſam. extr. de probat.* nempe quod Jure Canon. non licet Epiſcopo occupare diœceſim vel parochiam in locis, quę ab hoſtibus occupata vel nemini attributa ſunt, ſed expectanda eſt conceſſio ſuperioris. Jure autem Civili valet regula: Ut quæ ſunt nullius, occupanti concedantur: ut exponitur *Inſtit. de rerum diviſ. & in tit. de acquir. rerum Dom.*

CAPUT VI.

DE ELECTIONIS FORMA, ET EPISCOPI TESTIMONIO ſingulari, & receptione Eleemoſynarum ab uſurariis, &c.

SEquens differentia pertinet ad formam Electionis. Jure Civili qui eligunt Abbatem, jurare debent, ſe eum eligere, quem ſciunt vitâ caſtum, fide rectum, & qui monaſterio utiliter præeſſe ac providere valeat. *§. Igitur Abbatem. Novell. de Sanctiſſ. Epiſcop.* Diverſa eſt forma eligendi præſcripta Jure Canonico, de qua vide *cap. quia propter. extr. de elect. & cap. cum dilectus. extr. de conſuet. & Bart. nu. 111. Item Bapt. à S. Blaſ. num. 130.*

Eſt etiam hæc inſignis differentia, quod, cum Jure Civili teſtimonium non admittatur, etiamſi præclaræ curiæ honore præfulgeat. *l. Iurisjurandi. Cod. de teſtibus.* Jure Canonico Epiſcopo hoc tributum eſt, ut ipſius etiam ſingulare teſtimonium recipiatur, adeò, ut nullus alius audiatur. *cap. 36. omnes. §. teſtimonium etiam. 1. quaſt. 1.* Qui tamen locus etiam ex Jure Civili, nempe ex Conſtitutione Imperatoris, ut alii volunt Theodoſii, ut alii Conſtantini, ſumptus eſt: ut videre licet *in C. Theodoſ. l. 16. tit. de Epiſcopali judicio. l. 1. §. quicunque.* Sed mihi hæc res valdè ſuſpecta eſt de falſo: nam ſi verè hoc privilegium teſtimonio Epiſcopi datum eſt, ab Imperatore, vel Conſtantino vel Theodoſio, non potuit Tribonianus tam nobilem exceptionem ſine flagitio omittere in confectione Cod. Juſtiniani, omninoq; eam addere debuiſſet. *in d. l. 8. C. de teſtibus.*

Digitized by Google

Sequens differentia, quæ eſt mirabilis, annotatur à *Bart. quoque n. 31. & Bapt. S. Blaſ. n. 81.* Jure Canonico confeſſores & prædicatores, ſi non habent aliter unde vivant, poſſunt licitè etiam invitis dominis eleemoſynas recipere ab uſurariis & raptoribus rerum alienarum, quaſi ſcilicet geſtores eorum, quorum res raptæ extortæq; ſunt. *c. cum voluntate. ext. de ſent. excomm. ubi Innocent.* Aliud eſt Jure civili. *argum. l. extat. ff. quod metus cauſa. & l. fin. C. de negot. geſt.*

Alia differentia eſt, Quod Jure civili æquè clericis ac laicis interdictæ ſunt diſputationes de fide & religione Chriſtiana. *l. 3. nemo clericus. C. de ſumma Trin. & fide Cathol.* Iure autem Canonico clericis permiſſæ ſunt, & laicis tantummodo interdictæ. *c. 2 §. inhibemus de hæret. lib. 6.* Dixi aliquid de hac differentia etiam ſupra in fine criminalium differentiarum. Sed nunc repetere eandem volui, quia pertinet ad perſonas & Iura clericorum.

Caput VII.
De Pallio Archiepiscopali.

SEquens differentia pertinet ad Archiepiſcopos, & quidem ad eorum pallium, de quo videri poteſt *tit. 8. 1. Decretal. de auctoritat. & uſu pallii, & de materia & confectione redemptioneq; ejuſdem Iohannes Sleidanus libri. 13. Commentar.* ſicut & de ſignificatione & myſterio illius. *Ioh. Steph. Durandus l. 2. c. 9. de ſacris veſtim. num. 41. & 124 poſt Gregor. Magnum l. 7. Regiſt. c. 129.* Eſt enim res illa antiquiſſima. Sed omiſſis cæteris, differentiam ſolum cognoſcamus. Iure igitur Canonico Archiepiſcopus intra ſuæ tantum provinciæ Eccleſias poteſt uti pallio ſuo, non autem extra ſuam provinciam. *c. 1. & c. 5. ex tuarum. extr. d. t. de auctoritat. & uſu pallii.* Iure autem civili, videtur poſſe eo uti etiam extra ſuam provinciam, argumento ejus quod proconſul non tantum in ſua provincia, ſed ubique poteſt uti inſignibus imperii ſui, excepta tantum urbe Roma. *l. 1. ff. de officio proconſulis & leg. vid. Bart. n. 114. &* Bapt. *S. Blaſ. n. 133.* Circa idem pallium alia quoq; occurrit non contemnenda differentia: nempe quod Iure Canonico Archiepiſcopus cum pallio ſepelitur. *c. 2. in fin. & ibi not. de auctoritat. & uſu pall. c. adhæc. & c. nemo. de conſecr. diſt. 1.* Sed jure civili nemo debet cum ornamentis ſepeliri, etiamſi hoc præcepiſſet defunctus, cujus ineptæ voluntati non debet obtemperari. Ratio 1. quia inutilis eſt hic ſumptus; computreſcunt enim talia & vermium eſca fiunt, ut & cadaver. 2. Quia invitant effoſſores ſepulchrorum, cui crimini olim etiam clericos interdum deditos fuiſſe indicio eſt graviſſima Nov. Impp. Theodoſii & Valentiniani. *tit. 5. in lib. II Nov. D. Valent. poſt C. Theodoſ. ſubjectarum. l. at ſi quis. §. funeris cauſa. ff. de relig. & fun. ſumpt. vid.* Bart. *n. 113. &* Bapt. *S. Blaſ. n. 132.*

Caput VIII.
De Patrono Ecclesiae Praesentante Indignum & ineptum, & de libertis Eccleſiæ.

ALia differentia eſt, pertinens ad patronum Eccleſiæ alicujus, id eſt, eum, qui habet jus præſentandi & collocandi in ea parochum. Quod ſi quis indignum & ineptum præſentaverit, Iure quidem civili adimitur ipſi Ius præſentandi pro illa

Digitized by Google

illa vice, & ſuperiori defertur præſentandi poteſtas. §.*oratorium.Nov.de ſanctiſſ.Epiſcopis.* Sed Jure Canonico non privatur ſuo jure, ne pro illa quidem vice.*c.cum nos.ubi gl.verb.idoneus.& Dd.extr.de off.ordin.vid.Bart.n.119.& Bapt. S.Blaſ.n.137.*

Alia differentia eſt, Quod Jure Canonico Abbas in cauſa monaſterii ſui poteſt jurare de calumnia, non in animam ſuam, ſed majoris partis capituli ſui, ſive conventûs.*c.dudum.de elect.c. præſentium.de teſt.* Jure civili jurat in animam ſuam. *Auth.cauſa quæ fit cum monacho.C.de Epiſc.& cleric.l.2.§.quod obſervari.& §.hoc etiam.ubi Dd.not.C.de jurejurando propter calumn.dand.vid. Bart.n.42.& Bapt.S.Blaſ.n.90. vide & ſupra inter Iudiciarias differentias.ubi de jurejurando.*

Sequens differentia pertinet ad libertos Eccleſiæ, notaturq; *à Bart.num.116. & Bapt. S. Blaſ. num.137.* In libertis Jure Canonico multa ſervantur ſingularia, de quibus *in c.3.de famulis.in textu & gl.extr.de ſerv.non ordinand & eor.manumiſſ.* quæ Jure civili patronis in libertos non leguntur competere.*tit de Oper. libert.*

Notandum hîc, olim etiam Eccleſias habuiſſe ſuos ſervos, quos interdum miſerationis & pietatis intuitu manumittebant; qua de re eſt præclarus locus *Greg. M. lib.5.epiſt.12. citatus in can.68.cum redemptor noſter.12. quæſt.2.* & hi poſt manumiſſionem poterant ad ſacros ordines promoveri, non autem ante.*d.tit.de ſerv. non ordinand.* Quanquam autem liberi fierent, tamen neque ipſi neque eorum poſteri, à patrocinio & obſequio Eccleſiæ, utpotæ talis matronæ, quæ nunquam moritur, diſcedere poterant. Quod ſi recedere præſumpſiſſent, nec admoniti ad officium rediiſſent, propter contemptum inobedientiæ tenebantur actione ingrati, per quam manumiſſione ipſorum irritâ factâ, in ſervitutis nexum revocabantur, ut quorum libertas fuerat pernicioſa, eorum eſſet ſalutifera ſervitus, & qui noverant ſuperbire, adepta libertate elati, diſcerent obedire ſubjecti. Qua de re *vid c.61. liberti Eccleſiæ. c.62. Octava diſcuſſio. c 63. de libertis. & c 65. liberti Eccleſiæ.12. q. 2.* Qua in re notanda eſt convenientia utriuſque Juris. Nam & in Iure civili ingratus libertus in ſervitutem à patrono revocari poteſt, de quo ad *Inſtit. lib. 1. dictum.* Et hanc convenientiam notat quoque *d. cap. 62. Octava diſcuſſio. 12. quæſt. 1. in verbis: adverſus quem ingrati actio Canonum & LL. auctoritate juſtè dirigitur, &c.*

CAPUT IX.

DE PRIMATV PAPAE ET ECCLESIAE ROMANÆ prærogativa, ſupra omnes totius orbis Eccleſias, ἀποϱίαι.

SAtis ferè de perſonis Eccleſiaſticis dictum eſt pro inſtituti noſtri ratione. Sed fortaſſe non alienum fuerit aliquid hoc loco attingere de Primatu Papæ & Eccleſiæ Romanæ, præſertim cum hac in re ſit convenientia aliqua inter Ius Civile & Canonicum: ut videre eſt *ex l. ſive Epiſtola inter claras quæ Iohanni Papæ tribuitur ad Imp Iuſtinianum, & extat ſub tit.C. de ſumma Trinit & fide Cathol.* propugnaturq; *ab Andr. Alciato 5. Pareg. c.23. & Cujac.12. obſ.26.* ſed impugnatur *à Franciſc. Hotom. lib 1 Amicab reſponſ.c.1* cui ſeſe poſt ejus mortem oppoſuit *Andr.Fachineus lib.8.controverſ.jur. cap.1.* Non perſequar autem omnia: alioquin prolixus & novus n..hi naſce-

naſceretur Tractatus: qualem Bellarminus de Pontifice Romano fecit: ſed tantum iſta tria breviter proponam: I. Indicabo præcipua Juris Canonici à me collecta loca, quæ appellare ſoleo Teſtimonia domeſtica Pontificum Romanorum, de ſuo primatu, & Eccleſiæ Romanæ privilegiis. II. Dubitationes quaſdam movebo ſuper origine & fundamento illius primatus, *ad Nov. 14. Impp. Theodoſii & Valentiniani de Epiſcoporum ordinatione*, ex quo ſimul mendum quoddam tollam. III. Denique proponam Imperatoris Romani cum Papa comparationem & ipſorum inter ſe habitudinem, quam habeant in Jure Canonico, à quo veterum Patrum ſententias plurimum diſcrepantes indicabo.

Ad teſtimonia igitur illa, ut dixi, domeſtica quod attinet, videantur hæc loca in Jure Canonico, *can. 2. in N. T. can. 3. quamvis. diſt. 21. can. 1. & 2. diſt. 22. can. 30. nemini. 17. quæſt. 4. can. 9. dudum. 3. quæſt. 6. cap. 10. patet. & c. 13. nemo. 9. quæſt. 3. can. 6. ſi fortaſſis. 6. q. 7. can. 15. rogamus. & 16. cum beatiſſimus Petrus. 24. q. 1. c. ultim. in fin. extr. de ſumma Trinitate & fide Catholica c. ſignificaſti. c. 6. licet extr. de elect. & el. pot. c. 17. fundamenta. de elect. in 6. c. 3. S. Romana. in Extravag. communi de elect. c. 5. cum ſit Rom. extr. de appellationibus. c. 7. cum Apoſtolica. extr. de his quæ fiunt à prælatis ſine conſ. capit. c. 1. extr de reſcript. c. ultim extr. de foro competent. c. 10. quod ſedem. extr. de offic. judic. ordin. c. 5. licet ad regimen extr. de crim. falſi. c. ult. extr. de pœnis in 6. c. penult. extr. de rerum permut. c. 23. cum apud ſedem. extr de ſponſalib. cap. 16. ad Apoſtolicam. extr. de regularibus. cap. 23. antiqua. extr. de privileg & exceſſ. Bonifacius VIII. in proœm. 6. Decretal.* Poſſunt fortaſſe plura hujuſmodi colligi teſtimonia, ſed hæc ſunt præcipua. Cum autem *in d. c. 4. ſignificaſti. extr. de elect.* dicatur Pontifex Romanus eſſe ſupra concilia, non ſatis videtur id congruere cum *can. 12. nunquam. diſt. 96.* ubi Gelaſius fatetur, Eccleſiam poſſe de Papa judicare. Eccleſiam autem repræſentant, qui in concilio conveniunt Epiſcopi, &c. Imò etiam in celebri illo *c. 6. Si Papa. Diſt. 40.* Ubi Papa à nemine mortalium judicandus eſſe dicitur planeque ἀνυπεύθυνος & ἀνέγκλητος conſtituitur, hæc tamen additur exceptio ſive limitatio, Niſi deprehendatur à fide devius. Quæ exceptio quomodo conveniat cum illa Pontificia hypotheſi, quâ aliâs contendunt, Non poſſe Eccleſiam Romanam & Papam à fide deviare & aberrare, quia ſcilicet præſidem habeat Spiritum Sanctum, à quo in omnem veritatem deducatur.

Summa autem omnium illorum locorum quæ adduxi, huc redit, Primatum hunc Eccleſiæ Romanæ Pontificis ejus ſupra omnes alias Eccleſias totius mundi, & ſedes Patriarchales ſive Epiſcopales conſtitutum eſſe ab ipſo Chriſto, cum dixit Petro: *Tu es Petrus, Tibi dabo claves. &c. Paſce oves meas.* & ut Petrus omnium Apoſtolorum caput fuit (unde & Cephas linguas Syriacâ dictus eſt, quæ vox proximè alludit ad κεφαλὴν Græcorum) ita & ſucceſſores omnes Petri, Papas Romanos eſſe caput Eccleſiæ Univerſalis, eſſe Chriſti in terris vicarios: Imò etiam, eſſe Deos, ab omnibus in rebus dubiis conſulendos: à nemine judicandos: & qui hoc non credit, eum procul dubio hæreticum eſſe. Huc etiam accommodarunt illa S. Petri elogia, quæ paſſim in eum SS. Patres contulerunt, Primum omnium Epiſcoporum Coryphæum, Anteſignanum, & Præſulem Apoſtolici chori, item baſin & fundamentum Eccleſiæ eum ſalutarunt. Cujuſmodi Epithetis

pleni

Digitized by Google

pleni ſunt Patrum, quà Græcorum, quà Latinorum libri: ut vel in eorum Judicibus videre licet. Omitto, quæ de poteſtate Papæ propemodum immenſa, vel Juriſconſulti quidam, vel alii aſſentatores Pontificii plenis buccis prædicarunt. Ex quibus illud Baldi inprimis eſt memorabile, quod & Philippus Decius allegat *conſ.* 588. *n.* 5. Papam eſſe præter, ſupra, & contra Jus, omniaq; poſſe.

Sed jam propoſitis illis teſtimoniis domeſticis, quibus tamen fortiter jam olim contradixerunt Eccleſiæ Græcorum & Gallorũ (ne quis putet intra hoc duntaxat proximum ſeculum natam eſſe hanc controverſiam) proximum eſt, ut videamus quaſdam de iſto primatu dubitationes. Erunt autem illæ ferè tres. Nam ſi verum eſt, quod cantat *can. Conſtantinus diſt.* 96. Conſtantinum Magnum decernendo ſanxiſſe, ut Pontifex urbis Romæ principatum teneret ſupra IV. Patriarchicas ſedes, adeoq; ſuper omnes univerſi orbis Eccleſias, eſſetq; princeps cunctis ſacerdotibus totius mundi, cujus judicio, quæ ad cultũ Dei vel fidei Chriſtianorum ſtabilitatem procuranda fuerint, diſponuntur: ſi deinde verum eſt, quod Imperatores Theodoſius & Valentinianus ſcribunt *in lib. Novell. tit.* 14. *de Epiſcoporum ordinatione.* Primatum ſedis Apoſtolicæ firmatum eſſe, & S. Petri Epiſcopalis coronæ principis merito, & dignitate civitatis Romanæ & ſacræ ſynodi auctoritate; ita ut tanti Pontificis auctoritati in Eccleſias nihil non liceat, omnibuſque pro lege ſit quicquid ſanxit vel ſanxerit Apoſtolicæ ſedis & Papæ urbis æternæ auctoritas: Si deniq; *Novella CXXXI.* Imperator Juſtinianus conſtituit, ut Papa ſenioris Romæ (ſic tum appellabatur Roma, quæ & Roma vetus ad differentiam Novæ Romæ, hoc eſt, Conſtantinopolitanæ urbis) primus ſit omnium ſacerdotum, à quo ſecundum obtineat Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus: quæro primùm, quorſum opus fuerit tot & toties iteratis principum Conſtitutionibus ad hunc primatum Papæ Rom. introducendum & ſtabiliendum, ſi ipſo jure hic jam ante ei (ut volunt) competebat, & quidem vigore dictorum Chriſti: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: Paſce oves meas: Tu converſus confirmabis fratres tuos, &c. An jus divinum ſatis non erat, niſi accederet confirmatio humanarum conſtitutionum? Deinde mirari quis non immeritò poſſit, quare nullam mentionem fecerint illi Imperatores illius fundamenti, cui hodiè ferè ſoli nituntur, auctoritatis divinæ, quia ſcilicet Chriſtus de Petro illa, quæ modò dixi, protulerit. Nihil quicquam eorum allegant, quibus tamen vel ſolis rem conficere poterant. Quid ergò? allegant S. Petri meritum, quod nec ipſe Petrus agnoverit, cujus ſummam & perpetuam humilitatem atque modeſtiam ex ejus Epiſtolis cognovimus. Neque Chriſtus meritum ullum Petri, ſed confeſſionem divinitus per os ejus communi omnium Apoſtolorum nomine pronunciatam laudavit, & huic, non illi, ſtabilitatem Eccleſiæ immotam ſpopondit. Quod Romanæ civitatis dignitatem allegant Imperatores, totum juris eſt humani, non divini, non naturæ. Quod Synodi auctoritatem laudant, quæ hunc primatum fundarit, intelligunt Synodum Nicenam, cui tamen falſitatis crimen impegerunt CCXXX. illi Epiſcopi, qui in vetuſtiſſima ſynodo Carthaginenſi convenerunt. Et hæc quidem hactenus. Sequitur illa vel maxima dubitatio, ſiquidem & juris divini auctoritate, & ſynodali, & tot Principum ſanctionibus jam

Digitized by Google

olim munitus ac firmatus erat iſte primatus, & Papa Romanus Univerſalis Epiſcopus & ſacerdotum princeps erat, habebatur, dicebatur, qui factum ſit quod Gregorius I. cognomento Magnus primatum hunc & univerſalis Epiſcopi titulum velut nec ſibi, nec cuiquam alteri competentem, tanta cum vehementia, ubique in Epiſtolis ſuis recuſavit? Nota ſunt loca & jam pridem ab aliis indicata, partim etiam in Decretum Gratiani mirabili certè judicio relata. Cur Epiſcopo Conſtantinopolitano Johanni, ejuſq; ſucceſſoribus, titulum univerſalis Epiſcopi, ſeu Papæ ſibi arrogantibus toties contradicens ac reclamans non ita potius dixit: Tibi Conſtantinopolitano Epiſcopo, non convenit titulus univerſalis, quia mihi debetur, ex Chriſti ipſius inſtituto, ex ſynodali decreto, ex Conſtantini Magni donatione, ex Theodoſii & Valentiniani Novellis legibus, ex Novella deniq; Juſtiniani: quibus tamen omnibus Principibus longè poſterior fuit Gregorius, ut ex Chronologiis conſtat: nec potuit ipſorum conſtitutiones & leges ſacratiſſimas (quæ quæ ab omnibus ſciri debent & omnium vitas conſtringunt *l. 9. C. de legibus*) ignorare: nec credibile eſt, ipſum hoc Jus, quod ſibi competere norat, repudiare voluiſſe. Quid, quod ne debuerit quidem repudiare? Magno enim præjudicio ſucceſſorum ſuorum cauſam læſiſſet. Quid, quod ne Clericus quidem, ſecundum Jus Pontificium, ſui ordinis privilegio renuntiare poteſt, & paciſci, ut coram ſeculari judice conveniatur? ut ſupra oſtenſum eſt. Quanto igitur minus hoc licebit facere omnium clericorum & totius Eccleſiæ capiti, ut repudiet Jus ſibi & ſedi ſuæ competens: hoc eſt, cum ſit univerſalis Epiſcopus, tamen neget hunc titulum ſibi, aliiſque convenire, ſed eſſe præcurſoris Antichriſti? Adhæc, annon ſat firmus erat tot, quot diximus, fulcris exſtructus & ſuſtentatus ille primatus, & univerſalis Epiſcopi titulus, niſi acceſſiſſet etiam Phocas parricida Principis ſui Mauricii & liberorum ejus, qui denuò eum velut nutantem fulciret? Juris certi regula eſt, poſſe quidem pluribus ex cauſis deberi nobis quippiam; At non etiam ex pluribus cauſis aut ſæpius eſſe noſtrum. Mihi (fateor) hîc magnæ & inexplicabiles difficultates, quibus dum me alius explicet, interim ad prædictam revertar Novellam, quæ à Theodoſio & Valentiniano tota in gratiam atque ad inſtantiam Leonis Magni (à quo Gregorius Magnus totis CL. annis remotus eſt) in odium & præjudicium Hilarii Arelatenſis Epiſcopi ſcripta atque promulgata eſt, cum is inconſulto Papâ Romano Epiſcopos quoſdam aliis remotis ſubſtituiſſet ordinaſſetque. Ex ea mendum tollo forte an typographicum. Pro illis enim, nec quicquam alteri Eccleſiaſticis rebus arma miſcere: manifeſtè, legendum: nec cuiquam alteri. Fortaſſe etiam verius ſit pro Nec, reponere Vel: præceſſit enim vel Hilario: cui alterum Vel potius reſpondere debet, ſecundum regulas Grammaticorum & conſuetudinem rectè loquentium, quàm τὸ Nec.

Caput X.

Imperatoris Romani cum Papa comparatio & horum inter ſe σχέσις.

PRæclarè Tertullianus: Imperatorem Chriſtiani colunt ut hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt à Deo conſecutum & ſolo Deo minorem. Idemque

que in Apologetico *cap. 30.* Sciunt, inquit, Imperatores, quis illis dederit Imperium: eum Deum eſſe ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi, poſt quem primi ante omnes & ſuper omnes Deos. Sic alius Afer, *Optatus Milevitanus lib. 3.* Cum ſuper Imperatorem non ſit niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem, dum ſe donatus ſuper Imperatorem extollit, jam quaſi hominum excederat metas, ut ſe, ut Deum non hominem æſtimaret, non verendo eum, qui poſt Deum ab hominibus timebatur. Similiter & Chryſoſtomus *homil. 2. ad populum Antiochenum*; Læſus eſt, qui non habet parem ullum ſuper terram, ſummitas & caput omnium ſuper terram hominum. loquitur de Imperatore Theodoſio M. cujus ſtatuas Antiocheni per tumultum dejecerant, & in ſummam ob id indignationem incurrerant. Sic ergo antiquis illis & verè aureis Eccleſiæ temporibus Chriſtiani ſentiebant. Videamus quæſo, quantoperè ab hac ſententia, quæ Imperatorem immediatè Deo proximum & ſolo Deo minorem facit, diſcrepent, quæ de Primatu Papæ poſteriùs tradita ſunt & in Jus Pontificium non uno loco relata. Ex quibus eſt inprimis memorabile *c. ſolitæ. 6. extr. de majorit. & obedient.* in quo Innocent. III. rei ſuæ & Romanæ benè cavens & benè gerens Pontifex ad Imperatorem Conſtantinopolitanum ſcribens, Pontificalem auctoritatem Soli, id eſt, luminari majori, Regalem poteſtatem minori luminari, id eſt, Lunæ confert: nec dubitat affirmare, quanta eſt inter Solem & Lunam diſtantia claritatis, tantam etiam eſſe inter Pontifices & Reges differentiam. Nec diſſimilia etiam Gelaſius Papa ſcripſit ad Imperatorem Conſtantinopolitanum Anaſtaſium, nec non ad Epiſcopos Orientales, & Pontifex Nicolaus ad Imperatorem Michaëlem, ut videre eſt in *cap. 4. ubinam legiſtis. & tribus ſequentibus & cap* 10. *duo ſunt. & c. 12. nunquam. diſtinct. 96.* Ait Gelaſius *in d. cap. 10.* dignitatem ſacerdotalem tàm longè altiorem eſſe regia poteſtate, quàm aurum ſit pretioſius plumbo: ſive Regum fulgorem & Principum diadema, cum ſacerdotali ſublimitate collatum, longè inferius eſſe, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem comparetur: ſed & colla Regum ac Principum ſubmitti genibus ſacerdotum, eorumque dextras oſculari ait. Quam ad rem utitur, ne dicam abutitur, exemplis ſanctorum Epiſcoporum, qui pios Imperatores in peccata prolapſos excommunicarunt, & quibus Imperatores ceſſerunt ac paruerunt: ut B. Ambroſius Theodoſium M. poſt ſævitiam ejus in Theſſalonicenſes promiſcuè innocentes cum nocentibus uſurpatam ab Eccleſia excluſit: de quo eſt Tripartita hiſtoria Eccleſiaſtica apud Theodoretum *lib. 9. cap. 30.* cujus rei occaſione ab Imperatore promulgata eſt. *l. 20. ſi vindicari. Cod. de pœnis.* Neque verò aut Tertulliani & Chryſoſtomi ſententiæ quicquam obſtant, aut Gelaſio & Innocentio & Nicolao, aliiſque Pontificibus ſupra Imperatores ſeſe efferentibus ullum præbent patrocinium, ea quæ de dignitate ac ſublimitate ſacerdotii paſſim à SS. Patribus afferuntur. Verbi gratia, cum dicunt ſacerdotium ipſo Imperio ſive regno eſſe ſublimius ac præſtantius, tantóque altius, quam cœlum terra, anima corpore: Qualia multa apud Ignatium & Iſidorum Peluſioten in Epiſtolis, ipſumque adeò Chryſoſtomum in libris de Sacerdotio & alibi leguntur. Ex quo nunc unum locum annotare ſufficiat, qui eſt in oratione in ſtatuas: μείζων ὄντως ἡ τῆς ἱερωσύνης ἀ, χὴ

τῆς ἀρχῆς τῆς βασιλικῆς. καὶ τοσοῦτον μείζων, ὅσον ὁ μὲν βασιλεὺς σώματα ἐμπεπίστευται, ὁ δὲ ἱερεὺς ψυχάς. καὶ ὁ μὲν λοιπάδας χρημάτων ἀφίησιν. ὁ δὲ λοιπάδας ἁμαρτημάτων. κἀκεῖνος ἀναγκάζει, οὗτος παρακαλεῖ. ἐκεῖνος πολεμεῖ πρὸς βαρβάρους, οὗτος πρὸς δαίμονας. διὰ τοῦτο καὶ ἐν τῇ παλαιᾷ ἱερεὺς τοὺς βασιλῆς ἔχριον. καὶ νῦν τὴν κεφαλὴν ὑπὸ τὰς τοῦ ἱερέως χεῖρας φέρων τίθησιν ὁ θεὸς, παιδεύων ἡμᾶς, ὅτι οὗτος ἐκείνου μείζων ἄρχων. τὸ γὰρ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται. Addam & alium conſimilem locum ex oratione contra Judæos. Ἄρχων ἐστὶ καὶ οὗτος [ὁ ἱερεὺς] καὶ ἄρχων τοῦ βασιλέως σεμνότερος. καὶ γὰρ αὐτὴν τὴν βασιλικὴν κεφαλὴν οἱ ἱεροὶ νόμοι ταῖς τούτου χερσὶ φέροντες ὑπέταξαν καὶ ὅταν τι δέοι χριστὸν γίνεσθαι, ἐντεῦθεν ὁ βασιλεὺς πρὸς τὸν ἱερέα, οὐχ ὁ ἱερεὺς πρὸς τὸν βασιλέα καταφεύγειν εἴωθε. Sed ut dicere cœperam, nihil hæc talia ſententiæ priori, quam ex Tertulliano, Optato & eodem Chryſoſtomo protulimus, adverſantur, ſi dextrè & commodè accipias, neque ad tuas cupiditates detortis abutaris. Ejuſmodi enim elogia, nihil de majeſtate Imperatoris detrahunt, aut poteſtatem ejus in rebus ſecularibus imminuunt, cui potius ex loco Petri & Pauli cæterorumq; Apoſtolorum & Eccleſiæ doctorum, ſuadent obedientiam in omnibus, quæ non ſunt contra Deum. Quid ergò eſt? Nimirum pertinent illa dicta potius ad oſtendendam & exaggerandam ſacerdotalis muneris difficultatem, quod in regimine animarum occupatur, quæ ars artium eſſe dicitur. Cavendus eſt igitur talium dictorum abuſus, quibus Sacerdotium regno anteponitur, ne ob id etiam homines hominibus, nempe Pontifices & Sacerdotes Imperatoribus ac Regibus per omnia & abſolutè præferamus & fundamenta Reipublicæ labefactemus ac ſubvertamus contra Apoſtolica præcepta & primitivæ Eccleſiæ inſtituta. De hoc autem argumento operæ pretium eſt legere quæ ſcripſit Marſilius Patavinus in defenſore pacis, & Innocentius Gentiletus in Apologia Eccleſiarum reformatarum in Gallia. Et hæc quidem hactenus, de Primatu Papæ, & de comparatione quam faciunt inter Papam & Imperatorem.

Caput XI.

AN CLERICO ET CUIUS CHRISTIANO CONVENIAT ac permitti debeat Lectio & ſtudium Poëtarum & Hiſtoricorum Gentilium.

NUnc priuſquam de perſonis ad res Eccleſiaſticas tranſeamus operæ pretium eſt, unam & alteram adhuc tractare quæſtionem, non inutilem neque ineruditam, quarum prior hæc erit: An clerico, adde & cuivis Chriſtiano conveniat ac permitti debeat lectio & ſtudium Gentilium poëtarum & hiſtoricorum. Altera verò hæc, an ſacerdotis improba vita, impuritas atque indignitas Sacramentis per ipſum adminiſtratis in Eccleſia Dei aliquid officiat aut detrahat. Ad priorem quæſtionem quod attinet, Iſidorus quidem Peluſiota. *lib.1. ep.63.* Monacho ſive Anachoretæ tali ſtudio prorſus interdicit; ut quod non ſolum ſit indignum homine Chriſtiano; verum etiam periculoſum, propter admixtam illis fœditatem atq; obſcœnitatem. In eadem ſententia eſt & aliter Iſidorus Hiſpalenſis *l.3. ſententiarum de Summo Bono cap.13.* Ideo, inquit, prohibetur Chriſtianus figmenta legere Poëtarum, quia per oblectamenta inanium fabularum mentem excitant ad incentiva

centiva libidinum. Non enim ſolum thura offerendo Dæmonibus immolatur, ſed etiam eorum dicta libentiùs capiendo. Beatus Hieronymus quoque *Comment. in c. 6. ad Epheſios* reprehendit Epiſcopos & presbyteros illos, qui filios ſuos ſecularibus literis erudiebant & faciebant illos Comœdias legere & mimorum turpia ſcripta cantare. *Vide eund. in cap. 4. ad Epheſ. & ad Damaſcum. 146.* Ubi invehitur in ſacerdotes, qui omiſſis DEI Evangeliis & Prophetis ſolebant Commœdias legere, amatoria bucolicorum verſuum verba cantare, Virgilium tenere in manibus, & id quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe facibant voluptatis. Quid quod Hieronymus ipſe de ſe ſcribit ad Euſtochium *de cuſtod. virgin:* ab angelo per quieté correptum fuiſſe cum in lectione Ciceronis nimius eſſet, quod vir Chriſtianus paganorum figmentis intenderet? Contra tamen alii ſunt, qui aliter hac de re cenſent, *Vt Clemens I. epiſt. 5.* Cum ex divinis ſcripturis integram quis & firmam regulam veritatis ſuſceperit, abſurdum non erit, ſi aliquid etiã ex eruditione communi ac liberalibus ſtudiis, quæ fortè in pueritia attigit, ad aſſertionem veri dogmatis conferat; ita tamen, ut ubi vera didicerit, falſa & ſimulata declinet. *Vt Beda in Allegoricis expoſitionibus Samuelis:* Turbat, inquit, acumen legentium & deficere cogit, qui eos à legendis ſecularibus literis omninò æſtimat prohibendos: in quibus ſi qua inventa ſunt utilia, quaſi ſua ſumere licet. Alioquin nec Moyſes & Daniel ſapientia vel literis Ægyptiorum permitterentur eruditi; quorum tamen ſuperſtitiones ſimul & delicias horrebant: nec ipſe magiſter gentium aliquot verſus Poëtarum ſuis vel ſcriptis indidiſſet vel dictis. Quid quod & Hieronymus ipſe *in cap. 1. Danielis* ait, ſi quando cogimur literarum ſecularium recordari, & aliqua ex his diſcere, quæ olim omiſimus, non noſtræ eſt voluntatis, ſed graviſſimæ neceſſitatis, ut probemus, ea, quæ à ſanctis Prophetis ante ſecula multa prædicta ſunt, tàm Græcorum quàm Latinorum & aliarum gentium literis contineri? Et in Concilio Romano ſub Eugenio II. habito conſtitutum eſt, ut idoneis in locis magiſtri & doctores conſtituantur, qui ſtudia literarum, liberaliumq; artium dogmata aſſiduò doceant: Addita hac ratione ab utili, quia in his maximè divina manifeſtantur atque declarantur mandata. Qua in ſententia eſt etiam Gregorius M. *lib. 5. Expoſit. in prim. Reg. cap. 13.* Profectò, inquiens, ſecularium librorum eruditio, etſi per ſemetipſam ad ſpiritualem Sanctorum conflictum non prodeſt, ſi divinæ ſcripturæ conjungitur, ejuſdem ſcripturæ ſcientia ſubtilius eruditur. Ad hoc quidem tantum liberales artes diſcendæ ſunt, ut per inſtructionem illarum divina eloquia ſubtiliùs intelligantur. A nonnullorum cordibus diſcendi deſiderium maligni ſpiritus tollunt, ut & ſecularia neſciant, & ad ſublimitatem ſpiritualium non pertingant. Et mox: Apertè quidem dæmones ſciunt, quia dum ſecularibus literis inſtruimur, in ſpiritualibus adjuvamur. Cum ergo nos ea diſcere diſuadent, quid aliud quàm ne lanceam aut gladium faciamus præcavent. Et infra: Ad Philiſtæos deſcendimus, quando ad diſcendos ſeculares libros animum inclinamus. Et deſcenſus dicitur, quia Chriſtiana ſimplicitas in alto eſt, & quæ ibidem plura ſequuntur.

Quid ergo eſt? Si meum hîc judicium requiratur, exponam id verbis iiſdem, quæ IC. *Vlpianus ex reſcripto Severi & Antonini.* vel potius ex veteri proverbio olim

Digitized by Google

de Xeniis protulit, *l.6. ſolent. ff. de off. proconſ. & legati*: ὅτι πάντα, ὅτι πάντοτε, ὅτι παρὰ πάντων legenda eſſe ſecularia ſcripta. Dicam item, ſi bono fine, bono modo, & ab iis, qui non facilè corrumpantur & ſeducantur paganorum ſcriptis, ea legantur, non poſſe nec debere omnem eorum lectionem improbari aut rejici. Quæ res longiorem deſiderat tractatum, quem in Sacris lectionibus dabo. Interea videre poterit lector quæ ſuper hac re diſſeruit eruditiſſimus *Iacobus Billius lib. 1. obſerv. Sacrar. cap. 13.* & diſtinctionem Gratiani, quam poſuit ſententiæ noſtræ convenientem ante *can. 9. legimus. Diſt. 36.*

CAPUT XII.

AN SACERDOTIS IMPROBA VITA, IMPVRITAS ATque indignitas detrahat aliquid aut officiat Sacramentorum per ipſum adminiſtratorum integritati.

QUod ad alteram quæſtionem attinet, veriſſima eſt ſententia, Quod Sacerdotis impuritas, improbitas atque indignitas Sacramentorum divinorum perfectioni & puritati dignitatiq; nihil officiat neque detrahat: ſed quod DEUS etiam per impii miniſterium efficaciter operetur in auditoribus, & iis, qui ſacra myſteria ab ipſis percipiunt, ſanè inculcat Iſidorus *Peluſiota lib. 2. epiſt. 7. & libr 1. epiſt. 120. & libr 3 epiſt. 340.* Conſentit paſſim *Iohannes Chryſoſtomus in ſuis homiliis.* Conſentiunt etiam multa Juris Canonici loca, ex quibus quædam hîc adſcribam, quod res magni ſit momenti & notatu digna, nec parum profutura videatur eorum collatio.

Auguſtini dictum eſt *l. b. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas. cap. 19.* Sic DEUS adeſt Sacramentis & verbis ſuis, per qualeslibet adminiſtrentur, & Sacramenta DEI ubique recta ſunt, ſicut mali homines, quibus nihil proſunt, ubique perverſi ſunt. Refertur *in can. 32. 1. quæſt. 1. Et idem Auguſt. lib. 4. ejuſdem operis cap. 12.* Nec foris ſicut nec intus quiſquam, qui ex parte diaboli eſt, poteſt vel in ſe, vel in quoquam maculare Sacramentum, quod Chriſti eſt. Refertur *ibidem in can. ſeq.* Rurſus idem *Auguſt. lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani cap. 10. & refertur in can 78. 1. q. 1.* Omnia Sacramenta cum obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus, ſicut & verbum DEI, &c. Idem Auguſtinus *lib. 2. contra literas Petiliani, c. 22.* Vos autem neceſſe eſt ut ſemper erretis, quamdiu propter hominum vitia DEI ſacramenta violatis. Et mox: Baptiſmi puritas à puritate vel immunditia conſcientiæ, ſive dantis ſive accipientis omninò diſtincta eſt. Et infra: Memento ergo, ſacramentis DEI nihil obeſſe mores malorum hominum, quò illa vel omninò non ſint, vel minus ſancta ſint. Et rurſum: Sacramentum DEI & in malis hominibus ſanctum eſt, &c. Refertur *in can. 87. 1. q. 1.*

Idem Auguſtinus in *Pſalmo 10.* Dona DEI pervenire ait ad eos, qui cum fide accipiunt etiamſi talis ſit per quem accipiunt, qualis Judas fuit. *Vid. can. 88. d. c. & q.* Plura in hanc ſententiam apud eundem Auguſtin. *vide in Iohannem tract. 5.* Sic Iſidorus Hiſpalenſis *lib. 6. Etymol. 19.* Sive per bonos, ſive per malos miniſtros intra DEI Eccleſiam diſpenſetur, ſacramentum tamen eſt, quia Spiritus Sanctus myſticè illud vivificat, qui quondam Apoſtolico in tempore viſibilib. apparebat operibus.

Nec

Digitized by Google

Nec bonorum meritis diſpenſatorum amplificatur, nec malorũ attenuatur: quia neq; qui plantat, aliquid, &c. Et infra: Quia virtus divina ſecretiùs operatur in eis,& divinæ ſolummodo hæc eſt virtus ſive poteſtas, non humanæ efficaciæ. *can. 84. multi.1. q.1.* Sic Gregorius: Non nocet malitia Epiſcopi neque ad Baptiſmum infantis,neque ad Eccleſiæ (ſ.Euchariſtiæ.) conſecrationem: quia (ſ.deeſt,ut) baptiſma à Deo datur,non ab homine:ſic & Euchariſtia,&omnia quæcunq; in altari ponuntur,non ab homine,ſed à Deo ſanctificationem accipiunt.*can.89.1.q.1.*

Declaratur etiam hæc res aliquot ſimilitudinibus ab Auguſtino, Anaſtaſio II. & Nicolao Pontificibus, videlicet Canalis lapidei per quem aqua tranſit: radiorum ſolarium loca fœtida etiam atque immunda illuſtrantium: & cereæ facis accenſæ atque ardentis. *Auguſt.tract.5. in Iohan.* Si fuerit ſuperbus miniſter, cum Diabolo computatur, ſed non contaminatur donum Chriſti. Quod per illum fluit,purum eſt: quod per illum tranſit, liquidum, venit ad fertilem terram, puta quia ipſe lapideus eſt,quia ex aqua fructum ferre non poteſt: Per lapideum canalem tranſit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generans: ſed tamen in hortis plurimum fructum affert. Spiritalis enim virtus Sacramenti ita eſt, ut lux,& ab illuminandis pura excipitur,& ſi per immundum tranſeat,non inquinatur.*vid.can. 30. ſi juſtus.1.quaſt.1. Anaſtaſium 2.Epiſtol.1. ad Imp.Anaſtaſium cap.7.& 8.* Ne forſitan per iniquum tradita ſacramenti gratia minus firma videatur. Nam & Baptiſma ſive ab adultero, ſive à fure datum fuerit, ad percipientem munus pervenit illibatum: quia vox illa, quæ ſonuit per columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excluſit,qua declaratur ac dicitur: Hic eſt,qui baptizat in Spiritu Sancto & igne. Nam ſi viſibilis Solis iſtius radii, cum per loca fœtidiſſima tranſeunt, nulla contactus inquinatione maculantur, multò magis illius, qui iſtum viſibilem fecit, virtus nulla miniſtri indignitate conſtringitur. Nam & Judas cum fuerit ſacrilegus atque fur, quicquid egit inter Apoſtolos pro dignitate commiſſa, beneficia per indignũ data nulla ex hoc detrimenta ſenſerunt,declarante hoc ipſum Domino manifeſtiſſimâ voce: Scribæ, inquit.& Phariſæi ſuper cathedram Moyſi ſedent: quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt,facere nolite, dicunt enim,& non faciunt. Quicquid ergo ad hominum profectum quilibet in Eccleſia miniſter pro officio ſuo videtur operari, hoc totum contineri implente divinitatis effectu. Et mox poſt teſtimonium *Pauli 1. Corinth.3. addit.* Adeò autem non quæritur quis, vel qualis prædicet, ſed quid prædicet, ut invidos etiam benè Chriſtum prædicare affirmet: quo malo ipſe Diabolus dejectus eſt. Ex mox: Ideò ergò & hic malè bona adminiſtrando ſibi tantum nocuit. Nam inviolabile ſacramentum,quod per illum datum eſt aliis, perfectionem ſuæ virtutis obtinuit, &c. *vid.can. 8. Diſt. 19. Nicolaus in Reſponſis ad Conſulta Bulgarorum cap.71.* Sciſcitantibus vobis, ſi Sacerdote, qui ſive deprehenſus in adulterio, ſive de hoc ſola fama reſperſus eſt, debeatis communionem ſuſcipere, necne: raſpondemus: Non poteſt aliquis quantumcunque pollutus ſit, ſacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum contagionum exiſtunt. Nec poteſt ſolis radius per cloacas & latrinas tranſiens aliquid exinde contaminationis attrahere. Proinde qualiſcunque ſacerdos ſit, quæ ſancta ſunt coinquinare non poteſt: Idcirco ab eo, uſque

quo

quo judicio Epiſcoporum reprobetur, communio percipienda eſt: quoniam mali bona adminiſtrando ſe tantummodo lædunt: & cerea fax accenſa, ſibi quidem detrimentum præſtat, aliis verò lumen in tenebris adminiſtrat, & unde aliis commodum exhibet, inde ſibi diſpendium præbet. Sumite ergo intrepidi ab omni ſacerdote Chriſti myſteria: quia omnia fide Chriſti purgantur. Fides enim, quæ hunc mundum vincit, & quia non dantis meritum, ſed accipientis ſit, dicente B. Hieronymo: Ad credendum in anima omni baptiſmus eſt perfectus, & in omni ſacerdote corpus Chriſti eſt perfectum. *Vid. can. ult.* 15. *q.* 8. Et hæc quidem de hac quæſtione hactenus.

Caput XIII.

Paralipomena quaedam differentiarum de Clericis.

ILlud ferè omiſeram de clericis, Quod fidejubere non poſſint Jure Canonico, ut eſt cautum *in c.* 1. *extr. de fidejuſſion. & can.* 19. in Canonibus qui Apoſtolici inſcribuntur. Jure autem Civili poſſunt fidejubere etiam Clerici, non minus, quàm Laici. quod eo ipſo ſatis probatur, quia nuſquam prohibiti reperiuntur. Ratio autem Juris Canonici eſt, ne hac ratione clerici per occaſionem fidejuſſionum à ſacro miniſterio abſtrahantur, & litibus forenſibus, aliiſque ſecularibus negotiis implicentur, vel unà etiam implicent moleſtiis ipſam Eccleſiam, cujus tranquillitati potius conſulendum eſt, ut tantò ardentius ſerviat Deo. Sed hodiè Jus Canonicum hac quoque in parte in deſuetudinem abiiſſe videmus.

Omiſi ſupra hanc quoque differentiam, quam annotat *Bart. n.* 122. Jure Civili quilibet pro ſua poſſeſſione pugnare poteſt armis & res ſuas tuendi cauſa prævenire adverſarium in percutiendo. *l.* 1. *C. unde vi. l.* 1. *C. quando liceat ſe ſine jud. vind.* Jure autem Canonico, non licet Clerico pugnare, ne cum Saracenis quidem, nec pro defenſione rerum ſuarum armis reſiſtere. *ca. ex multa. De vot. can. clericus qui pannum. Diſt.* 50. *c.* 1. *& c. plenior.* 23. *q.* 8. *c. ſi quis vult. diſt.* 36. *c. ſuſcepimus. & ibi not. extr. de homicid.*

Caput XIV.

De rebus Eccleſiaſticis.

NUnc à perſonis ad res Eccleſiaſticas tranſitum faciamus. Ubi antequam differentias explicem, quædam præmittenda cenſeo: quorum primum illud ſit: In veteri Eccleſia ſolere bona Eccleſiaſtica, quæ ex reditibus & oblationibus piorum & de ſtipendio obveniſſent, in quatuor dividi portiones: quarum prima eſſet Pontificis, unde familiam ſuam aleret & hoſpites exciperet. (oportet enim, ut Paulus præcipit, Epiſcopum hoſpitalem eſſe.) II. clericorum. III. Pauperum & peregrinorum in eos eroganda. IV. fabricis applicanda, ſive Eccleſiis reparandis, ut inde ædificia Eccleſiaſtica ſarta tecta præſtarentur. Quæ pulcherrima diſtributio pervetuſta eſt, ut patet ex dictis Gregorii M. Gelaſii & Simplicii relatis *in can.* 25. *Volaterrana. can.* 27. *quatuor & 4. ſeqq.* 12. *q.* 2. Quorum locorum quædam

Digitized by Google

dam laudat etiam Innocent. Gentilet. in *Apolog. Eccleſ. Gallic. c. 15. poſter. edit. in priori eſt XI.* ſed male obſervari conqueritur. Addendus eſt illis etiam *can. 63. ad hoc. 16. quæſt. 1.*

Quod præmitto, eſt, Res Eccleſiæ olim dictas fuiſſe patrimonia pauperum: & quicquid habent clerici, id pauperum eſſe. Ut ex Hieronymo ad Damaſcum, & ex capitulis Caroli Magni & Ludovici relatum eſt *in c. 59. quia juxta SS. & can. quoniam quicquid. 16. q. 1. quibus adde c. 21. indigne 12. q. 2.* Quo etiam referenda ſunt dicta Heronymi, Ambroſii & Auguſtini, qui uno ore dicunt, clericos nihil proprii habere debere, & ſi habent, de tabula clericorum delendos eſſe, ac tantùm ex oblationibus & decimis, ut olim Levitas vivere debere. *c. 5. clericus. & c. ſeq. cui portio Deus eſt c. 10. nolo. & c. ſeq. 12. q. 1.* Tertio præmitto, Quod res ſacra & ſemel Deo dicata, non debeat poſtea ad uſus humanos & profanos transferri, ut eſt *in c. 51. ſemel Deo. de R. I. in 6. ubi vide P. Peck graviſſime de his diſſerentem.* Adeò quidem, ut etiam ſi quis auctoritate Principum ejuſmodi res invadat, tanquam ſacrilegus excommunicari jubeatur. *c. 21. indigne. & cap. 22. de rebus. 12. q. 1.* Quarto præmitto Convenientiam Juris Civilis & Canonici circa alienationem rerum Eccleſiaſticarum regulariter utrobique prohibitam. De Jure Civili quidem videndus *tit. C. de ſacroſ. Eccleſ. & de reb. & privileg. earum. nec non Nov. 7. De non alien. aut permut. Nov. 120. De alien. & Emphyt.* Ex quibus aliquot authenticæ deſumptæ & illius tituli legibus inſertæ ſunt. De Jure Canonico eſt in Decreto *cauſa. 12. q. 1. & 2. & in Decretalibus tit. De rebus Eccleſ. non alienand.* Convenit etiam utrumque Jus in Exceptionibus, quarum nobiliſſima eſt illa, ob redemptionem captivorum poſſe ſacra vaſa alienari. *vid. Ambroſ. 2. de Off. c. 28. & Greg. M. lib. 6. & 7. Epiſt. relatos in c. 14. 15. & c. 20. 12. q. 2.* Sed (ut dehinc jam differentias exponere incipiam) in eo primò differunt, quod Jure Canonico faciliùs permittitur alienatio rerum Eccleſiaſticarum, quàm Civili, quod majorem requirit ſolemnitatem. *vid. Auth. hoc jus porrectum. ubi DD. C. d. t. can. hoc jus. 10. q. 2.* Ubi Canonizatur illa Juſtiniani Conſtitutio. *c. ſine Exceptione. cum ibi not. 12. q. 2. c. dudum. ubi Innocent. De reb. Eccleſ. non alien. vid. & Bart. n. 99. & Bapt. S. Blaſ. num. 123.*

Sequens differentia annotatur *à Bart. num. 103. & Bapt. S. Blaſ. nu. 125.* Jure Civili res ſacræ vel religioſæ nullo modo in obligationem deduci poſſunt. Sed Jure Canonico ex neceſſitate poſſunt oppignorari. *cap. 1. extr. de pign. ubi gl. in verb. neceſſitate.*

Alia differentia eſt, quod Jure Canonico, qui emit rem Eccleſiæ à fiſco non eſt ſecurus, ſed rem Eccleſiæ reſtituere tenetur. *c. 2. & ibi not. De reb. Eccleſ. non alien.* Jure autem Civili, qui emit rem alienam quamcunque à fiſco, ſecurus eſt. *l. benè à Zenone. C. de quadri. præſcript. §. ultim. Inſt. de uſucap. vid. Bart. n. 98. & Bapt. S. Blaſ. num. 122.*

Alia differentia eſt, circa id quod in alieno ſolo extructum eſt. Jure Civili notum eſt, ædificium ſemper ſolo cedere, & ſolum ad ſe trahere id, quod eſt inædificatum. *§. cum in ſuo. Inſt. de Rer. diviſ. l. adeo. § cum in ſuo. ff. de acquir. rer. dom. l. redemptoris. De rei vindic.* ubi not. Jure autem Canonico ædificium pecuniâ & ſumptibus Eccleſiæ extructum in ſolo alterius, non cedit ſolo, ſed ad ſe potius

Digitized by Google

trahit ſolum, ejuſque dominium adjicit Eccleſiæ. *c.apoſtolicos ubi not. in gl. fin.12. q.2.* Ratio juris Canonici eſt favor Eccleſiæ. *vid.Bapt.n.36.*

Atque hæc de præcipuis Juris civilis & Canonici differentiis: de perſonis, atque earundem bonis: nec non quæſtionibus aliquot Eccleſiaſticis, dicta ſufficiant. Cætera, quæ ſunt de altaribus, calicibus, de vaſis ſacris, & his ſimilibus, cum in Jure noſtro perexigui ac nullius ferè ſint uſus, nunc prætermitto.

DIFFERENTIA JURIS UTRIUSQUE CIVILIS ET CANONICI.

AUCTORIS ANONYMI IN HARMONIA Titulorum utriuſque Iuris Theodori Straitmanni.

1. DE APPELLATIONIBUS.

Pug. *l. ante ſententia. C.quor. appell. non rec. Cum c. ſuper.ext.de appell.*

PRima differentia de appellatione. Appellare namque ab interlocutoria ſententia non poteſt. *l. ante ſententia. C.quor. appell. non recip.* ubi dicitur, quod ante ſententiæ ſcil. definitivæ, *ſecundum gl.* (tempus) appellare non licet. Ergo ab interlocutoria, quæ inter principium & finem cauſæ fertur, & ſic ante ſententiæ definitivæ prolationem appellari non poterit. De jure tamen Canonico ab omni gravamine licet appellare quandocunque. Nam *in c. ſuper.ext.de appell.* Sacri Canones antè & pòſt, ſingulis facultatem tribuunt appellandi. Leges autem ſeculares, appellationem (niſi in caſibus) ante ſententiam non admittunt. Ex iſto cap. manifeſtiſſimè conſtat appellari etiam ante ſententiam: quo caſu debet appellans cauſam rationabilem exprimere coram judice, à quo appellat. *c. ut debitus. ext. eod. tit.* Secundum verò leges Civiles, non niſi in quibuſdam caſibus.

2. DE USURIS.

Pug. *l. 1. C. de uſur. Cum can. quoniam 47. diſt. c. 1. & 2. extr. de uſur. & c. 1. & c. tit. lib. 6.*

Jure Civili uſuræ ſunt permiſſæ, tàm jure Codicis, quàm Digeſtorum ut patet *ex tit. C. & ff. de uſuris,* & præſertim *ex l. 1. C. d. tit.* ubi Imperat, uſuras, ſi ſtipulatione promiſſæ ſunt, optimo iure deberi. Jure tamen divino & etiam Canonico, ſunt reprobatæ, ut *Levit. 15. & Luc. 6.* Mutuum date nihil inde ſperantes. *Et can. quoniam multi. 47. diſt. c. 1. & 2. & c. quia ex omnibus cum ſeq. ext. de uſur.*

3. DE MATRIMONIIS.

Pug. *§. 1. I. de nupt. Cum c. ſufficiat 27. q. 2. cum ſimil.*

Jure Civili in nuptiis celebrandis requiritur conſenſus tàm parentis, quàm filii.

Digitized by Google

filii, filiæve famil. §.1. I. *de nupt.* De jure autem Canonico ſolus conſenſus matrimonium contrahentibus ſufficit. *c. ſufficiat.27.q.2. & c.hoc ſanctum 32. q.2. Adde c. cum cauſa. ext.de raptor. Vide quoque gl. in l.Paulus.ff. de ſtat. hom.*

Pug. *l.1.C de ſec.nupt. Cum c.pen.& fin.ext. de ſec. nupt.*

Pari modo in ſecundis nuptiis jus Civile & Canon. differunt. Nam jure Civili, mortuo marito, nubens infra annum, luctûs fit infamis,& punitur pœnis in jure expreſſis. *l.1. C. de ſec. nupt.* Sed jure Can. mulier nubens infra annum lugubrem, infamiam non incurrit. *c. pen.& c. fin.ext.de ſec.nupt.*

4. DE CONCUBINATU.

Pug. *L. in concubinatu.in fin. ff.de concub.Cum can.nemo.32.q.4.*

Jure Civili permiſſus eſt concubinatus. *l. in Concubinatu. in fin. ff. de concub.* Jure verò divino & Canon. prohibetur, quia omnis fornicatio jure divino prohibetur, teſte Apoſtolo Paulo *ad Galat.c.5.* dum ait: Manifeſta ſunt opera carnis, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ,contentiones, æmulationes, iræ,rixæ,& his ſimilia, talia qui faciunt,regnum Dei non poſſidebunt. Secundum verò Canonicas ſcripturas patet *ex c. nemo. 32. quæſt.*4. Neminem ſibi blandiri debere de legibus hominum: nam quicquid (ut poſtea ſubjicit) in ea, quæ non ſit legitima uxor committitur, adulterii crimine damnatur.

5. DE LIBERIS ILLEGITIMIS.

Pug. *Auth. ex complex. C.de inceſt. nupt. Cum c. Cum haberet de eo qui duxit in matr. quam poll.*

Civiles leges non ſolum repellunt filios illegitimos à ſucceſſione paterna, ſed etiam ipſis negant alimenta. *Auth. ex complexu. C.de inc nupt.* ubi ex complexu nefario aut inceſto, ſeu damnato, liberi nati, omni paternæ ſubſtantiæ beneficio indigni ſunt. Sed de æquitate Canonica alendi ſunt. *c.cum haberet.extr..de eo qui dux.in matr.* Et hæc æquitas vigorem ſumit à jure naturali: nam educatio filiorum de jure naturali eſt,& ex inſtinctu naturæ procedit. §. 1. *I. de Iur. nat. gent. & Civ.* Unde jus iſtud præfertur Civili. §. *ſed naturalia.I.de jur.nat.* Quamvis filii non ſuccedunt in bonis patris, *ut in præallegato c. gl. dicit.*

6. DE USUCAP. ET PRÆSCRIPT.

Pug. *l.un. C.de uſucap. transfor. Cum c fin. ex de præſcript.*

Jure Civili in uſucapione ſive præſcriptione X.vel XX. annorum ſufficit ab initio bona fides,licet poſtea mala fides ſupervenerit, ut eſt *text. in l.un.C. de uſuc. transfor.* Sed Jure Canon. debet eſſe continua bona fides,ut *in c.fin.ex.de præſcr.*

L. ſi quis emptionis. §. quod ſi quis. Cod. de præſcr. XXX. annor. Et c. vigilanti. extr. de præſcript.

Alio caſu in præſcriptione contrarietas eſt inter jus Civile atque Pontificium. Nam ſecundum jus Civile poſſeſſor malæ fidei & injuſtus præſcribit ſpatio XXX. vel XL. annorum,& verum Dominum exceptione XXX. vel XL. annorum repellit,qua ſibi jus rem retinendi quæritur. *l. ſi quis emptionis.§.quod ſi quis.*

Digitized by Google

C. de præſcr. XXX. ann. Secundum jus Canon. nulla antiqua dierum poſſeſſio juvat malæ fidei poſſeſſorem. Quapropter Romanus Pontifex vigore legis de tricennali vel quadragenali præſcriptione ſuſtulit, ut *in c. vigilanti. extr. de præſcr.* Hinc illa Juris Canonici regula: Malæ fidei poſſeſſor nullo tempore præſcribit. *c. malæ fidei, de reg. jur. in 6.* In his itaque duobus caſibus præſcriptionis ſtandum eſt potius juri Canonico leges corrigenti.

7. DE TESTIBUS TESTAMENTO adhibitis.

Pug. *l. fin. C. de fideic. & §. ſed cum paulatim. I. de ordin. teſt. Et C. Cum eſſes, & c. relatum. ext. de teſtam.*

Jure Civili regulariter in teſtamentis ſeptem teſtes requiruntur. *§. ſed cum paulatim. I. de ord. teſt.* Jus autem Pontificium decrevit valere Teſtamentum, quod parochianus facit coram presbytero parochiali & duobus teſtibus, ut *in c. cum eſſes & c. relatum extr. de teſtam.*

8. DE LEGITIMA DETRACTIONE, QUÆ hodiè eſt tertia.

Pug. *Auth. noviſſimo jure, Cod. de inoff. teſtam. Et c. Raynutius, & c. Raynald. extr. de teſtam.*

In detractione duarum quartarum eo caſu, quo filius eſt à patre rogatus de reſtituenda hereditate: ſecundum Jus Civile videtur tantùm unam quartam poſſe detrahere filium, nempe legitimam, quæ eſt hodiè tertia Trebellianica, *Auth. noviſſimo jure. C. de inoff. teſt. l. jubemus. C. ad SC. Trebell.* Secundum verò jus Canon. retinere poteſt duas quartas filius de reſtituendo gravatus: primum quidem legitimam (quæ nunc eſt tertia) jure naturæ debitam detrahet. Ratio eſt, quia in ea gravari nequivit: omne enim onus & gravamen de legitima ſubducitur. *l. quoniam. C de inoffic. teſtam.* Unde fideicommiſſum in illa legitima non tenet ipſo jure, & ideo in alio videtur rogatus: & de eo, in quo eſt rogatus, debet quartam deducere: Præterea & quartam Trebellianicam detrahere poteſt filius, cum etiam quilibet reſtitutione gravatus eam deducere potuiſſet. Hæc omnia probantur *in c. Raynutius. & c. Raynaldus. ext. de teſtam.* Sed verius & æquius concludendum & diſtinguendum videtur *ex gl. in l. Papinian. §. meminiſſe. ff. de inoff. teſta.* hoc pacto: Cum quæritur, an filius poſſit detrahere duas quartas, diſtinguendum eſt: Aut enim rogatus eſt purè & ſimpliciter reſtituere hereditatem, & eo caſu unam quartam tantum debet habere, quia quod ſtatim capit per Trebellianam, imputatur in legitimam, quam debet habere jure naturæ: cum inſtitutus heres ſit, & eam habeat jure inſtitutionis, ſed de æquitate quatenus plus eſt in legitima, quæ jure naturæ debetur, conſequetur, *argum. l. 1. ff. de vi bon. rapt.* Aut verò rogatus eſt in diem vel ſub conditione, ut ſi rogatus ſit de reſtituendo, ſi decedat ſine liberis, & tunc ex æquitate Canonica, utramque quartam habebit: ſtatim quidem legitimam quartam, vel hodiè trientem, quaſi æs alienum deducet. *l. Papinianus. §. ſi quis impubes. ff. de inoff. teſtam.*

9. DE

Digitized by Google

9. DE PETITIONE LEGITIMÆ PARTIS in vita patris.

Pug. *Auth. ſi qua mulier. in fin. C. de SS. Eccleſ. Et c. cum ſcimus. ext. de regular.*

Nona contrarietas eſt in petitione legitimæ partis jure naturæ debitæ, in vita patris, eo monaſterium ingrediente. Lex enim Civilis in eo caſu ſtatuiſſe videtur, filium legitimam partem ſibi debitam petere non poſſe, niſi pater moriatur. *Auth. ſi qua mulier. in fin. C. de SS. Eccleſ. & gl. ibid. in verbo: moriatur.* Jure autem Canonico in hac ſpecie filium videtur petere poſſe legitimam à monaſterio in vita patris monaſterium ingredientis. *c. cum ſcimus. extr. de regularibus.* Sed dicendum eſt in jure noſtro duplicem eſſe ſucceſſionem, quædam vera, puta quando quis naturaliter moritur altera ficta, quando quis habetur pro mortuo, ut Monachus. Textus igitur *in d. Auth.* intelligitur de ficta ſucceſſione, & ita parum, aut nihil obſtabit *d. c. cum ſcimus.*

10. DE PACTIS.

Pug. *L. pactum quod bona fide. C. de paſt. Et c. pactum. de ver. ſig.*

Pactum nudum Jure Civili ſcripturam non exigit ad ſui validitatem. *l. pactum quod bona fide. C. de pact.* ſi modò aliis probationibus vel confeſſionibus partium res geſta probetur. Sed jure Canon. pactum dicitur inter partes conveniens ſcriptura, legibus ac moribus comprobata. *c. pactum. de ver. ſig.* Ergo ad eſſentiam pacti iſto jure requiritur ſcriptura.

L. Iuriſgentium. §. ſed cum nulla. §. quin imò. Et c. 1. ext. de pact.

Jure Civili pactum nudum actionem non parit. *l. juris gentium. ff. de pact.* Jure verò Canonico ex nudo pacto oritur actio, ut *in c. 1. ext. de pact.*

L. pactum dotali. C. de Collat. Et c. pactum. de pact. lib. 6.

Pactum dotali inſtrumento comprehenſum, quod filia dote contenta nullum ad bona paterna regreſſum habebit, auctoritate juris civilis improbatur: nec prohibetur ſuccedere patri ea ratione. *l. pactum dotali. C. de collat.* Sed jure Canonico pactum hujuſmodi cum juramento tenet. *c. pactum de pact. lib. 6.*

11. DE ALIENATIONE RERUM dotalium.

Pug. *Auth. ſive à me. C. ad SC. Velleian. Et c. cum contingat. extr. de jurejur. & c. licet mulier. eod. tit.*

Alienatio rerum dotalium prohibita eſt, & in hac conſenſus mulieris nihil proficit. *Auth. ſive à me. C. ad SC. Velleian.* Maritus enim, etiam conſentiente muliere, nihil poteſt obligare vel alienare res dotales. *l. un. §. & cum Lex Iulia. Cod. de rei ux. act.* Sed licet juxta legitimas ſanctiones mulierum conſenſus in alienatione ſuper rebus dotalibus non ſit obligatorius: ſi tamen alienationi conſenſerint proprio juramento, firmantes ſervare juramentum hujuſmodi, nec vi, nec dolo, præſtitum: de jure Canonico tenentur mulieres ſervare ipſum juramentum, cùm in alterius præjudicium non redundet, nec in diſpendium æternæ ſalutis vergat *c. cum contingat. extr. de jurejur.*

Digitized by Google

12. DE RESCRIPTIS.

Pug. *L. Vniverſa. C. de diverſ. reſcr. Et c. 2. ex. de reſcript.*

Secundum Leges Civiles univerſa reſcripta ſub ea conditione proferri debent: Si preces veritate nitantur: adeò quod non valent, niſi apponatur eadem Clauſula. *l. univerſa. C. de diverſ. reſcr.* Sed ſecundum Canones valet reſcriptum, etiamſi hæc verba non apponantur: quia tacitè intelliguntur, ut *extr. de reſcript. c. 2. verſ. verum.*

13. DE CAUSIS MERI IMPERII.

Pug. *L. 1. ff. de offic. ejus cui mand. eſt juriſd. Et c. quod ſedem. in fin. ext. de off. jud. ord.*

Secundum Jus Civile cauſæ meri vel mixti imperii aliis delegari non poſſunt, niſi in caſu abſentiæ. *l. 1. & ibi Dd. ff. de off. ejus cui mand. eſt juriſd.* Sed ſecundum Canones ea, quæ ſunt meri Imperii, poſſunt delegari. *ut eſt gl. in jure Canonico communiter approbata in c. quod ſedem. in verb. committere. in fin. ext. de off. jud. ordin.*

14. FILIOFAM. AN COMPETAT ACTIO citra conſenſum patris.

Pug. *L. cum non ſolum. §. 1. C. de bon. quæ lib. Et c. fin. de judic. lib. 6.*

Filiusfam. licet agere vel defendere cauſam in judicio non poſſit ſine conſenſu patris, ſub cujus eſt poteſtate. *l. cum non ſolum. ult. §. 1. C. de bon. quæ lib.* Jure tamen Canonico in cauſis beneficialibus, vel aliis ſpiritualibus, nec non & dependentibus ab eiſdem, cum de his ſe intromittere non debeat pater: filiusfam. poteſt agere in judicio ſine patris conſenſu. *c. fin. de judic. in 6.*

15. DE JUDICIO INTER PATREM ET filiumfamil.

Pug. *L. Lis nulla. ff. de judic. Et can. Cum quæritur. 2. q. 7.*

Secundum jus Civile inter patrem & filiumfam. judicium non poteſt conſiſtere. *l. lis nulla. ff. de judic.* Sed lex iſta non procedit de jure Canonico, quo inter patrem & filium in poteſtate conſtitutum poteſt eſſe judicium. *Can. quæritur. & ibi gl. 2. quæſt. 7.*

16. DE DELEGATO A PRINCIPE IN EXEcutione ſententiæ.

Pug. *L. à Iudice. in fin. C. de jud. l. à D. Pio. ff. de re jud. Et c. quærenti. extr. de offic. & pot. jud. del.*

Jure Civili delegatus à Principe, licet delegare aliis cauſam poſſit. *l. à judice. in fin. C. de judic.* in quo differt à delegato, à judice, qui delegare non poteſt: Sententiam tamen ſuam executioni demandare non poteſt, ſed judex ordinarius exequetur eam. *l. à D. Pio. ff. de re jud.* Sed jure Can. delegatus à Papa poteſt exequi ſententiam ſuam uſque ad integrum annum. *c. quærenti. ex. de off. & pot. jud. del.*

Hactenus de contrarietatibus cauſarum civilium: opere pretium erit quoq; videre in cauſis criminalibus, in quibus differat Jus Canonicum à Jure Civili.

CAR-

Digitized by Google

17. CARCER AD CONTINENDOS, NON AD puniendos homines inventus.

Pug. *L.aut damnum.§.ſolent.ff.de pœnis. Et c.quamvis. de pœnis. lib.6.*

Quia lege Civili carcer ad continendos,non ad puniendos homines dari debet: Præſidibus provinciarum prohibetur damnare in carcere continendos, ut in vinculis perpetuis detineantur. *l.aut damnum.§.ſolent.ff.de pœn.* Sed de jure Canonico poteſt quis puniri pœna carceris perpetuo. *c.quamvis. de pœnis. lib.6.*

18. DE CRIMINE RAPTUS.

Pug. *L. un. §. Et ſi quidem.* C.*de rapt. virg.Et c.fin.ex. de raptor.*

Secundum leges non poteſt contrahere matrimonium raptor cum rapta puella.*l.un.§.ſi quidem.C.de raptor.virg.* Hodiè tamen de jure Canonico ſecus obſervatur, quia rapta poteſt matrimonium contrahere cum raptore, ubi datur facultas in contrahendo. *c.fin.extr.de raptoribus.*

19. DE STUPRO.

Pug. *§. Item lex Iulia. I.de pub.jud. Et c.2.de adult. & ſtupro.*

Aliter punitur ſtuprum lege Civili,aliter jure Canonico. Nam ſecundum leges, ſtuprator ſi honeſtus ſit, relegatur & pars bonorum ejus publicatur: Si vilis coërcebitur corpore, id eſt,verberabitur & relegabitur.*§.Item lex Iulia.I.de pub.judic.* Jure verò divino alia pœna eſt, & *Exod 22.c.* in quo continentur ſequentia verba, quæ etiam referuntur *in c.1.ext. de adulteriis & ſtupr.* Si quis ſeduxerit virginem nondum deſponſatam,dormieritq; cum ea,dotabit eam,& habebit uxorem. Si verò pater mulieris dare noluerit, reddet pecuniam, juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt: Quam legem divinam ſecuti ſunt Canoniſtæ *in c.2.de adult.* hoc addito,quod ſi noluerit, ſtuprans matrimonium contrahere cum ea virgine,ultra dotem, quam dare tenetur,corporaliter caſtigabitur.

20. DE CRIMINIBUS MAJORIBUS.

Pug. *Tit.I.de publ.judic. Et Can. hoc ipſum 33.q.2.*

Jure Civili pœna capitalis in majoribus criminibus imponitur, & in crimine homicidii, parricidii, peculatus, raptus virginis, adulterii & ſimilibus.*I.de pub.jud. per tot.* Sed Jure Can. non pœna ſanguinis ſive mortis irrogatur in majoribus criminibus,ſed pœnitentia ſeptem annorum. ut in *c.hoc ipſum.33.q.2.*

GEOR-

Digitized by Google

GEORGIUS LAUTERBEGUS.

LIB. II. DIFFERENTIA IN JURE.

TIT. INTER IVS CANONICVM & Civile.

COgitanti mihi de hac differentia, duo potiſſimum faceſſebant negotium, ac deterrere conabantur, quo minus eam huic operi admiſcerem. Primùm quod quidam Jus Canonicum, ceu in ordinem jam dudum redactum, prorſus contemnant. Alterum quod hæc differentia latior ſit, quàm ut hic paucis abſolvi comprehendiq; poſſit. Verùm quod ad primum attinet, nihil me movet, quod quidam juri Canonico iniquiores ſint. Etſi autem mihi ipſi non omnia arrideant, quæ habet jus Canonicum, eò quod multa ab interpretibus ob adulationem affiсta ſint in gratiam Romani Pontificis: tamen ideò non per omnia contemnendum eſſe arbitror. Nam quod ad determinandas cauſas attinet, plus mihi valere videtur ipſo jure Civili. Decretales enim ex legum rationibus deſumptæ ſunt, & vicinius ad noſtrum ſeculum accedunt quàm leges veterum, in quibus multa partim ob vetuſtatem abolitæ ſunt: partim ita obſcurata, ut niſi accedat applicatio, quæ bona ex parte è Decretalibus colligitur, nulli prorſus ſint uſui. Igitur contemnat jus Canonicum qui volet, & ſuo judicio utatur: mihi certè ob dictas cauſas neutiquam aſpernandum videtur. Quod autem ad differentias attinet inter Jus Canonicum & Civile, fateor ſanè plures eſſe, quàm ut omnes huc adferri queant. Et ut maximè velim, poſſibileq; foret: fateor tamen non eſſe mearum virium. Paucas tamen aliquas eam ob cauſam ponere libuit, quo videlicet jurium ſtudioſis viam commonſtrarem, alias ſimili modo obſervandi.

Sit igitur prima differentia, quod Judex differens cauſam prætextu alicujus dubitationis, quæ tamen nulla eſt, punitur ſecundum legum ſanctionem infamia, & XXX. libris auri. *l. eum qui temerè.* §.1. *ff. de judic. l. fin.* C. *de pœnis. judic. qui malè jud. Auth. ut litigantes in exord. litis jur.* § *ſi quis autem.* Jure autem Pontificio ſuſpenditur talis Judex per annum ab officio. *c.* 1. *de ſent. & re jud. lib.6.* Notatur *in c. intimaſti. de appella.* Verum hæ leges magna ex parte hodiè frigent, adeò ut ſi quis à ſingulis unum duntaxat annum exigat, is profectò Luculli divitias ſibi corradere poſſet.

Deinde leges permittunt Judici, ut incidenter etiam de cauſa Eccleſiaſtica cognoſcat. *l. quoties.* C. *de judic. l. qui non cogitur. ff eod. tit.* Canones verò nullo modo judici civili permittunt Eccleſiaſticæ cauſæ cognitionem. *Vt c. tua. de ord. judic. c. cauſam. & c. lator. qui filii ſint legit.*

Tertiò, jure Civili poſſunt litigatores ſeſe aperto conſenſu ſubjicere juriſdictioni alienæ, extra forum ſuum. *l.2. in pr. ff de jud. l.1.* C. *de juriſd. omn. jud. l. ſi qui ex conſenſu.* C. *de Epiſc. aud.* Canones autem id vetant *c. ſignificaſti. de foro compet.* Niſi conſentiat Epiſcopus. *c.* P. *&* G. *de off. del. 4. q. 6. c. non licet.*

Quartò,

Quartò, ſecundum leges Judex datus, ut cognoſcat de proprietate, non poteſt judicare ſolam poſſeſſionis cauſam. *ſi de proprietate C. ſi à non compet. jud.* Jure verò Can. id licet judici etiam ſimpliciter delegato. *c. 1. & c. paſtoralis. de cauſ. poſſ. & propr. c. 1. de ſequeſtr. poſſ. & fructuum.*

